S. LAURENTII A BRUNDUSIO

ORDINIS FF. MIN. S. FRANCISCI CAPUCCINORUM

OPERA OMNIA

A PATRIBUS MIN. CAPUCCINIS PROVINCIAE VENETAE

E TEXTU ORIGINALI NUNC PRIMUM IN LUCEM EDITA NOTISQUE ILLUSTRATA

SUMMO PONTIFICI PIO XI DICATA

VOLUMEN V

QUADRAGESIMALE SECUNDUM

PARS I

PATAVII

EX OFFICINA TYPOGRAPHICA SEMINARII

MCMXXXVIII

IN PRAEPARATIONE:

QUADRAGESIMALE SECUNDUM S. LAURENTII A BRUNDUSIO ORD. MIN. CAPUCCINORUM ✣ ✣

OPERUM OMNIUM VOLUMEN V PARS II

Pretium praesentis voluminis lib. it. 95

S. LAURENTII A BRUNDUSIO

ORD. FF. MIN. CAPUCCINORUM

OPERA OMNIA



Effigies admodum Reuerendi Patris
LAVRENTII A BRVNDVSIO *Ord. Capuccinorum,*
et aliquando dicti Ord. Generalis, Viri Apoſtolici,
vitæ Sanctitate, Doctrina, Prædicatione, et Mi-
raculis in vita et poſt mortem clariſſimi, qui
obijt Vliſibonæ 22. Iulij 1619. Ætat. ſuæ anno 62.

Mich. Snyders excud.

S. LAURENTII A BRUNDUSIO

ORDINIS FF. MIN. S. FRANCISCI CAPUCCINORUM

OPERA OMNIA

A PATRIBUS MIN. CAPUCCINIS PROVINCIAE VENETAE

E TEXTU ORIGINALI NUNC PRIMUM IN LUCEM EDITA NOTISQUE ILLUSTRATA

SUMMO PONTIFICI PIO XI DICATA

VOLUMEN V

QUADRAGESIMALE SECUNDUM

PARS I

PATAVII

EX OFFICINA TYPOGRAPHICA SEMINARII

MCMXXXVIII

FR. VIGILIUS A VALSTAGNA

TOTIUS ORDINIS FF. MIN. S. FRANCISCI CAPUCCINORUM MINISTER GENERALIS (l. i.)

Praesentium virtute annuimus ut editio Operum Omnium Sancti Laurentii a Brundusio O. Min. Cap., a Patribus Provinciae Nostrae Venetiarum iuxta textum originalem elaborata et adnotationibus illustrata, iam sub Praedecessore nostro incoepta, servatis de iure servandis, publici iuris fieri possit.

Datum Romae ex Curia Nostra generali,
die 29 Decembris 1937

FR. VIGILIUS A VALSTAGNA
Min. Gen.lis Cap.

(L. S.)

Attente perlegimus volumen quintum Operum Omnium Sancti Laurentii Brundusini, quo continetur eiusdem « Quadragesimale Secundum, pars prima ». Nihil in eo invenimus a mente Ecclesiae alienum, at omnia fidei et morum dogmatibus consona.

Friburgi Helvetiorum, die 27 Decembris 1937

FR. HILARINUS A LUCERNA O. M. Cap.
Cust. Gen.

FR. CRISPINUS AB APPENZELL O. M. Cap.
Lect. Theol.

Nihil obstat quominus imprimatur
Patavii, die 31 Dec. 1937
Can.cus Doct. OLIVUS LUISETTO
Cens. Ecc.

Imprimatur
Patavii, die 1 Ian. 1938
† CAROLUS AGOSTINI - Episcopus

PRAEFATIO

IN SECUNDUM QUADRAGESIMALE S. LAURENTII

Descriptio Codicum. – *Quadragesimale* hoc *secundum* duobus codicibus continetur, membrana religatis, magnitudine externa 25 × 35, interna 17 × 27 cm. Primus constat foliis 163, secundus foliis 160. In utriusque codicis dorso eadem inscriptio legitur: « Quadragesimale P. Laurentii a Brundusio manu propria eiusdem, pars p.ª » et « ... pars s.ª »; itidem super schedula in margine inferiore primi folii agglutinata: « Admodum Rev. Pris Laurentii a Brundusio Concionatoris Capuccini Quadragesimale, Pars Prima » et « ... Pars Secunda, manu propria eiusdem ». Sed errore collectoris inscriptiones hae inversae fuerunt; nam primus codex Pars Secunda, alter vero Pars Prima inscribitur. Sigillum quoque rubro colore in tegumenti exteriore parte: « $\overset{+}{\text{IHS}}$; Archiv: A; Colto: P-5; Busta: –; Fascic. 10 » et « ...11 »; numerus enim 10 in secundo, et 11 in primo codice ponitur.

Primus codex incipit a die Purificationis[1] et desinit post medium Feriae Quintae Dominicae Tertiae Quadragesimae; secundus vero desinit Feria Tertia post Pascha, deinde, paucissimis lineis introductionis pro Domi-

1) Huius Festi sermones in *Mariali* iam editi fuerunt: *In Purificationem*, serm. 2 et 3, pag. 516-536; et serm. 6, pag. 545-546.

nica in Albis scriptis, adiunguntur sermones pro diebus S. Ioseph [2] et Annunciationis B. Mariae Virginis. [3]

Pericopae quadragesimales ita exponuntur ut post longiorem homiliam aliae sequantur, quae quidem vel novae sunt, vel easdem aliquas ideas novo modo proferunt. Saepe in margine codicis notae adiectae fuerunt, ab eadem quidem manu, sed diverso atramento, diverso etiam stylo. Interdum harum notarum insertio in homilia respectiva indicatur, saepissime vero omittitur. Non semel homilia clauditur ardenti peroratione ; aliquando summaria expositionum tantum exhibentur.

Methodus nostra. – Quae nos in edendis hisce homiliis praestitimus, breviter ita perstringimus. Ne tomi nimis voluminosi prodirent, in tres partes *Quadragesimale* hoc *secundum* divisimus, adiungendo singulis partibus respectivos indices syntheticos, catalogo Auctorum et indice alphabetico trium partium ultimae parti reservatis.

Inscriptiones singularum Feriarum prout in codice prostant reliquimus ; sed adiecimus numeros diversis homiliis eiusdem Feriae: II. Alia Homilia, III–IV. Alia Homilia, etc. Notas marginales quae referentiae signo carent, in nota posuimus ; quae autem signum referentiae exhibent, in homiliam inseruimus.

Quae ampliori primae explicationi Evangelii commentaria vel applicationes morales ab Auctore adduntur, ne in infinitum expositionem fragmentare videremur, sub diversis numeris eidem homiliae adnexuimus.

Omnes variationes Sacrae Scripturae textus, quas frequenter affert quaeque in *Biblia Lovaniensi* ad usum S. Auctoris signantur, brevitatis gratia adnotavimus dictione abbreviata : lect. cod.: idest lectio codicum. Interdum tamen in pericope aliqua afferenda sequitur Liturgiam Breviarii vel Missalis Romani.

2) Huius Festi sermones in fine tertiae partis huius Quadragesimalis ponentur.

3) Huius Festi sermones in *Mariali* iam editi fuerunt hoc ordine: *Super Missus est*, serm. 14, pag. 148-153; serm. 3, pag. 88-93; serm. 11, pag. 130-133; serm. 6, pag. 104-107; serm. 2, pag. 84-87; serm. 1, pag. 77-83.


Non semper sibi constans est in scribendis verbis hebraicis ; saepe saepius ea litteris latinis scripta refert ; interdum litteris hebraicis tantum, sine signis, vel etiam cum signis ; aliquando etiam, ante vel post verbum hebraice scriptum, idem reproducit litteris latinis. Uti de more, nos ea hebraice et cum signis reproduximus.

Quoad alia, lectorem ad *Praefationem* praecedentis *Quadragesimalis* remittimus.

Patavii die Nativitatis Domini 1937

Patres Editores

QUADRAGESIMALE
SECUNDUM



FACSIMILE SCRIPTURAE S. LAURENTII TERTIA PARTE DIMINUTAE

DIES S. MATHIAE APOSTOLI [1]

Confiteor tibi, Pater, Domine coeli et terrae, quia absconditi haec a sapientibus et prudentibus et revelasti ea, etc. [2]

S. Mathias in duodecimum apostolum divinitus electus fuit.

I. Celebramus hodie festum Beatissimi Mathiae apostoli, qui Divini Spiritus afflatu sorte electus fuit et apostolico collegio sociatus, [3] qui meruit esse unus ex duodecim Patriarchis Ecclesiae, ex duodecim stellis quae ornabant caput coelestis mulieris, [4] ex duodecim fundamentis supernae civitatis Ierusalem, [5] ex duodecim iudicibus mundi : *Sedebitis ... super sedes duodecim iudicantes duodecim tribus Israel,* [6] una etiam ex duodecim portis coelestis Ierusalem. [7]

Duodenarius numerus celeberrimus est in Divinis Scripturis.

II. Celeberrimus est in Divinis Litteris duodenarius numerus propter mysterium duodecim Apostolorum Christi ; sicut etiam in natura celebris est in duodecim signis coeli, mensibus anni et horis diei. [8] Sol Christus est, [9] Apostoli duodecim signa coeli. Coelestis Ierusalem dicitur habere portas duodecim, in quibus scripta sunt nomina duodecim tribuum Israel suntque in eis duodecim Angeli, [10] et etiam habere duodecim fundamenta, in quibus scripta sunt duodecim nomina Apostolorum. [11] Non dicit scripta esse in portis nomina Patriarcharum, sed tribuum Israel, per quas designantur omnes electi. [12] Quare portae illae Sanctos etiam Apostolos designant, sicut et funda-

1) Sermonem hunc S. Mathiae, qui in hoc codice f. 6 invenitur, praecedit sermo *De Purificatione* B. M. Virginis, qui editus iam fuit in *Mariale, In Purificationem*, sermones 2-3, pag. 516-536; sermo 6, pag. 545-546. Cf. *Praefatio* huius Quadragesimalis. 2) Pericope huius festi Mt 11, 25-30. Cf. Missale Rom. 3) Cf. Act 1, 24 sqq. 4) Cf. Apc 12, 1. 5) Cf. ibid. 21, 14-21. 6) Mt 19, 28. 7) Cf. Apc 21, 12-13. 8) Cf. S. Isidorus Hisp. *Liber Numerorum*, cp. 13, (P. L. 83, 192-193). 9) Cf. Mal 4, 2. 10) Cf. Apc 21, 12. 11) Cf. ibid. vr. 14. 12) Cf. ibid. 7, 4-8.

menta, nam : Aedificati estis supra *fundamentum Apostolorum et Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo.*[13] *Fundamenta* dicuntur propter doctrinam fidei, sed *portae* propter finem fidei : *Reportantes finem fidei vestrae, salutem animarum* vestrarum.[14] In portis duodecim Angeli sunt, quoniam, accepto Spiritu Sancto, Angeli potius quam homines fuerunt : *Nostra ... conversatio in coelis est.*[15]

Duodecimum fundamentum coelestis Ierusalem, amethystus, bene figurabat S. Mathiam,

III. Fuit Mathias duodecimus Apostolus. Ioannes autem in *Apocalypsi* ait quod duodecimum fundamentum erat amethystus ;[16] de qua gemma ait Plinius violacei ac purpurei coloris esse sculpturis facilem ;[17] et Isidorus ait amethystum purpureum esse permixto violaceo colore.[18] Aiunt similem esse rubenti vino, sed tamen non integrum recipit rubentis vini colorem. Creditur etiam ebrietati resistere et propterea ita appellatus est quasi sine ebrietate, nam μεθύσκω[19] graece idem est quod inebrior. Apostoli in die Pentecoste ebrii et vino pleni videbantur, cum tamen non vino, sed Spiritu Sancto pleni essent.[20] Sic Mathias vere fuit amethystus vino similis, sed tamen sine vino, imo vino contrarius, illi, inquam, vino, quem Nazaraei in lege gustare penitus prohibebantur :[21] *Fel draconum vinum eorum et venenum aspidum insanabile.*[22] Luxuriosa res vinum est : *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria.*[23] Habet amethystus vini colorem, sed non est vinum. Homo hebraice dictus est אָדָם[24] ab אֲדָמָה humo, sed אֲדָמָה Hebraeis terram rubram significat, unde אֱדוֹם, rubeus, rufus. Homo videbatur, sed non secundum hominem ambulabat; non poterat dici ei illud Apostoli : Homines estis et secundum carnem ambulatis ;[25] cum totus Spiritu Sancto plenus esset, humanum nil patiebatur, quod spectat ad vitia et imperfectiones humanitatis.

Est vinum causa laetitiae, nam : *Vinum laetificat cor hominis.*[26] Vini colorem habebat, semper hilaris videbatur, nam : *Hilarem ...*

13) Eph 2, 20. 14) 1 Petr 1, 9. *Vestrarum* lect. cod. . 15) Phil 3, 20. 16) Cf. 21, 20. 17) *Hist. Nat.*, lib. 37, cp. 9, pag. 418. 18) *Etymol.*, lib. 16, cp. 9, (P. L. 82, 574). 19) Ms.: *Metisco.* 20) Cf. Act 2, 3-18. 21) Cf. Lv 6, 1 sqq. 22) Dt 32, 33. 23) Eph 5, 18. 24) Ms.: *Adam*, et postea: *Adamah, Edom.* 25) Cf. Rom 8, 4-13; 1 Cor 3, 3; 2 Cor 10, 2-3. 26) Ps 103, 15. Vulg.: *Laetificet*, etc.

datorem diligit Deus ; [27] sed non illa hilaritate quae secundum carnem est, sed spirituali laetitia, nam : *Regnum Dei ... iustitia, gaudium et pax* est *in Spiritu Sancto ;* [28] *Gaudium est iusto.* [29] Facilis est sculpturis amethystus ; non habebat cor durum, iam enim adimpletum in eo erat illud : *Auferam a vobis cor lapideum et dabo vobis cor carneum et spiritum meum ponam in medio vestri.* [30] Sic cordi ipsius Spiritus Sancti opera facile impressa fuit Christi perfecta imago divinaque similitudo, ita ut Angelus potius videretur quam homo, totus in Dei similitudinem transformatus. Sicut reprobato Saule, qui tamen divinitus [31] electus fuerat, [32] in locum ipsius suffectus fuit David, homo secundum cor Dei, [33] ita accidit hodie : reprobato Iuda, qui a Christo electus fuerat apostolus, suffectus est Mathias, [34] revera homo secundum cor Dei, nam sicut David divinitus electus est.

ob multas analogias cum S. Apostolo.

IV. Inter Epistolam hodiernam ex *Actibus Apostolorum*, in qua recitatur historia electionis Mathiae, et Evangelium [35] magna est sympathia. Nam in Epistola ponitur electio, in Evangelio autem causa electionis : *Confiteor tibi, Pater, Domine coeli et terrae, quia abscondisti haec a sapientibus et prudentibus et revelasti ea parvulis. Ita, Pater, quoniam sic placitum fuit ante te.* [36] In Epistola ponitur electio non solum humanitus, verum etiam divinitus facta. Hinc enim, cum Apostoli eum una cum Barsaba, qui paria illi facere videbatur vitae sanctitate et merito, elegissent, [37] Deum precati sunt : *Tu, Domine, qui corda nosti omnium, ostende quem elegeris ex his duobus unum accipere locum ministerii huius et apostolatus.* Sic *cecidit sors super Mathiam et annumeratus est cum undecim Apostolis.* [38] Quare sicut alii Apostoli a Christo electi fuerant, ita etiam Mathias divinitus electus est, ita ut et divinitus et humanitus electus sit ; sicut de Beniamin, qui duodecimus fuit patriarcha synagogae, legimus quod et a matre et a patre nomen accepit, a matre dictus *Benoni* et a patre *Beniamin*, ab illa *filius doloris*, ab hoc autem *filius dexterae* appellatus. [39]

Inter Epistolam et Evangelium huius festi magna sympathia habetur,

quia in Epistola ponitur electio S. Mathiae in apostolum divinitus facta,

27) 2 Cor 9, 7. 28) Rom 14, 17. Vulg.: *Iustitia, pax et gaudium*, etc. 29) Prv 21, 15. Vulg.: *Gaudium iusto est.* 30) Ez 36, 26-27. Vulg.: *Auferam cor lapideum de carne vestra*, etc. 31) Ms.: *Divinus.* 32) Cf. 1 Rg 9, 1-10, 1 sqq. 33) Cf. ibid. 13, 14; 15, 23; 16, 1-13; Act 13, 22. 34) Cf. Act 1, 16 sqq. 35) Cf. Missale Rom. 36) Mt 11, 25-26. Vulg.: *Sic fuit placitum*, etc. 37) Cf. Act 1, 23. 38) Ibid. vrr. 24-26. 39) Gn 35, 18.

In Evangelio autem causa eiusdem electionis assignatur, idest humilitas Sancti Apostoli.

At vero in Evangelio causa divinae huius electionis assignatur: *Abscondisti haec a sapientibus et prudentibus et revelasti ea parvulis . . . quoniam ita placitum fuit ante te.* Electus fuit Mathias, quoniam parvulus, quoniam humilis secundum nomen eius, nam Mathias hebraice idem est ac pusillus: *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* [40] *Abscondisti haec a sapientibus et prudentibus* secundum carnem: *Non multi sapientes secundum carnem,* ait Paulus; [41] nam sapientia secundum carnem *stultitia est apud Deum,* [42] *legi . . . Dei non est subiecta.* [43] *Et revelasti ea parvulis,* humilibus: *Nolite timere pusillus grex;* [44] *Malitia parvuli estote;* [45] *Quasi modo geniti infantes, rationabiles, sine dolo;* [46] simplicitate nanque animi mirum in modum delectatur Deus.

Deus eligit ex bonitate sua quem vult, sed neminem damnat absque iusta causa.

Abscondisti haec a sapientibus reprobis, *revelasti ea parvulis* electis, illis se iustum iudicem exhibendo, his autem misericordem patrem. «Bonus est Deus, inquit Augustinus libro 3 *Contra Iulianum,* iustus est; potest sine bonis meritis liberare, quia bonus est; non potest sine malis meritis damnare, quia iustus est». [47] Et libro *de Gratia et Libero Arbitrio:* Deus reddit mala pro malis, quia iustus est; bona pro malis, quia bonus est; pro bonis bona, quia iustus et bonus est; solum non reddit mala pro bonis, quia iniustus non est. [48] Sic non damnat Deus reprobos absque iusta causa, nam iustus iudex non potest quenquam punire absque culpa. Potest esse electio absque meritis bonorum praevisis, non potest esse reprobatio absque malorum demeritis praevisis; nemo sine peccato damnandus est.

Causa electionis est merum beneplacitum divinae voluntatis.

V. *Abscondisti haec a sapientibus et prudentibus et revelasti ea parvulis . . . quoniam ita placitum fuit ante te.* Alludere videtur Dominus ad illud *Exodi: Miserebor cui miserebor,* [49] cui subiunxit Paulus: *Non est currentis neque volentis, sed miserentis est Dei;* [50] *Cuius vult miseretur, et quem vult indurat;* [51] *Iacob dilexi, Esau autem odio habui;* [52] *Antequam nati essent aut boni aliquid egissent aut mali . . . dictum est:*

40) Iac 4, 16. 41) 1 Cor 1, 26. 42) Ibid. 3, 19. 43) Rom 8, 7.
44) Lc 12, 32. 45) 1 Cor 14, 20. 46) 1 Petr 2, 2. 47) P. L. 44, 721.
48) Ibid. col. 911. 49) 33, 19. Ex hebraico et Paraphrasi Chaldaica. 50) Rom 9, 16.
51) Ibid. vr. 18. 52) Ibid. vr. 13. Vulg.: *Non volentis neque currentis,* etc.

Quia maior serviet minori. [53] At vero non docet hic Dominus reprobationis causam divinam tantummodo voluntatem esse, ut haeretici nostri temporis mordicus et tenacissime tenent, [54] quoniam hic Christus laudare Patrem videtur quod absconderit mysteria fidei et regni coelorum a sapientibus, quoniam sic placitum fuit ei, sicut Paulus ait quod *habet potestatem figulus... ex eadem massa facere aliud... vas in honorem et aliud... in contumeliam.* [55] At vero non ita docet Christus solam Dei voluntatem causam esse reprobationis, sed solam Dei voluntatem causam esse electionis: *Revelasti ea parvulis, quoniam ita placitum fuit ante te.* Ab illis abscondit, quia noluit dare indignis: *Nolite sanctum dare canibus et ne proiciatis margaritas... ante porcos.* [56]

causa autem reprobationis indignitas voluntatis humanae.

Hodierna historia reprobationis Iudae declarat hoc mysterium cum electione Mathiae. Reprobatus fuit Iudas, electus fuit Mathias; ille Esau odio habitus, hic Iacob dilectus; ille pistor Pharaonis, hic autem pincerna; [57] ille Saul, hic autem David. [58] Sed num damnatus est Iudas sine causa? Quis tam desipiat ut hoc dicat? Mathias autem electus fuit: *Cecidit sors super Mathiam, et connumeratus est cum undecim Apostolis.* [59] At vero in electione ipsius nulla fit meritorum mentio, nihil de eo dicitur, sed tantum: *Statuerunt* in medio *Ioseph, qui dicebatur Barsabas, qui cognominatus est iustus, et Mathiam...,* [60] *et cecidit sors super Mathiam,* nulla facta de virtutibus et meritis ipsius mentione. Praepositus tamen a Deo fuit Iosepho iusto, sicut Ephraim, cum minor esset, divino consilio praepositus fuit Manassi maiori fratri; nam cum positus hic esset tanquam maior ad dexteram Iacob, ille autem tanquam minor ad sinistram, cancellavit sanctus patriarcha manus et dexteram posuit super Ephraim minorem, sinistram super Manassen maiorem, [61] quoniam ille apud Deum maior erat. Ita plane hodie Ioseph meritis et virtutibus multo maior Mathia videbatur, quoniam cognominabatur *iustus* et Mathiae praeferebatur. Hinc secundo loco Mathias ponitur; Deus tamen hunc illi praetulit,

Hoc patet in reprobatione Iudae, demeritis narratis,

et in electione Mathiae, nullis recensitis ipsius meritis.

53) Ibid. vrr. 11-12. Vulg.: *Cum enim nondum nati fuissent aut aliquid boni,* etc.
54) Cf. S. Laurentius a Br. *Lutheranismi Hypotyposis,* part. 1, *Hypotyposis Martini Lutheri,* pag. 233. 288. 446. 55) Rom 9, 21. 56) Mt 7, 6. Vulg.: *Neque mittatis margaritas,* etc. 57) Cf. Gn 40, 1 sqq. 58) Cf. 1 Rg 13, 13-14. 59) Act 1, 26. Vulg.: *Et annumeratus est,* etc. 60) Ibid. vr. 23. Vulg.: *Qui vocabatur Barsabas,* etc.
61) Cf. Gn 48, 12 sqq.

minorem maiori: *Cecidit sors super Mathiam.* Ambo erant electi, sicut Ephraim et Manasses, sed minor antelatus est maiori; non erant sicut Cain et Abel, [62] Ismael et Isaac, [63] Esau et Iacob, [64] nam tales fuerunt Iudas et Mathias; sed sicut Ephraim et Manasses, Phares et Zara. [65]

sicut et in reprobatione Saulis et populi iudaici, et in electione David et populi gentilis,

VI. In hodierna historia intelligimus illud *Apocalypsis: Tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam.* [66] Nam Iudas habuit coronam apostolatus, sed non tenuit; venit Mathias et accepit eam; sicut habuit Saul coronam regni, sed non tenuit eam; venit David, homo secundum cor Dei, et tulit eam. [67] Habuit populus Iudaeorum coronam fidei et verae religionis, sed non tenuit; venit populus gentilis et accepit eam, sicut Esther accepit coronam reginae Vasthi. [68] Habuit Esau primogenituram, sed non tenuit eam; venit Iacob et tulit eam. [69]

ideo in hodierna historia ponuntur demerita Iudae, non autem merita Mathiae.

Ponuntur in hodierna historia demerita Iudae: *Fuit dux eorum qui comprehenderunt Iesum . . . , possedit agrum de mercede iniquitatis.* [70] Non ponuntur autem merita Mathiae, quoniam illud opus iustitiae est, hoc autem opus bonitatis Dei: *Ita, Pater, quoniam sic placitum fuit ante te,* licet *beneplacitum* sit *Domino super timentes eum et in eis qui sperant super misericordia eius,* [71] nam bonitate delectatur Deus.

Describitur modus electionis: a) quis eligatur;

VII. In hac autem electione videndum est quisnam electus est, a quibus electus est, et ad quod electus est. *Oportet,* inquit Petrus quoad primum, *ex his viris, qui nobiscum sunt congregati in omni tempore, quo intravit et exivit,* idest conversatus est inter nos, *Dominus... Iesus . . . , testem resurrectionis eius nobiscum fieri unum ex istis. Et statuerunt duos, Ioseph . . . et Mathiam . . . et cecidit sors super Mathiam;* [72] ita ut de Mathia nihil aliud sciamus ex hac historia, nisi quod fuit unus ex antiquis Christi discipulis, non neophytus. Hinc iussit Paulus *ad Timotheum* ne Episcopus neophytus eligatur, *ne in superbiam elatus in iudicium* incideret *diaboli.* [73] Cum Petrus proposuit electionem diaconorum, dixit eligendos esse homines *boni*

62) Cf. Gn 4, 1-8. 63) Cf. ibid. 21, 9-12; Gal 4, 29-30. 64) Cf. Gn 27, 41-45. 65) Cf. ibid. 38, 27 sqq. 66) 3, 11. 67) Cf. 1 Rg 16, 1-13. 68) Cf. Est 2, 17. 69) Cf. Gn 25, 29 sqq. 70) Act 1, 16-18. 71) Ps 146, 11. 72) Act 1, 2 sqq. 73) 1 Tim 3, 6.

testimonii, plenos fide et *Spiritu Sancto,* [74] hoc est viros optimos omnium. Ita hic electi sunt tanquam omnium optimi Iosephus et Mathias. Hinc nanque de Iosepho dicitur quod cognominabatur *iustus,* et Mathias paria illi facere videbatur, ita ut vix discerni posset uter dignior, melior aptiorque esset.

b) a quibus et quomodo, electus enim Mathias fuit a magno concilio

Electus igitur est vir, non mulier, homo aetate perfectus, maturo iudicio ; fidelis, non infidelis ; ex antiquioribus Christi discipulis, non ex recentioribus neophytis, unusque ex melioribus, imo ex optimis omnium. Electus est autem Mathias a Petro, ab Apostolis, ab Ecclesia, a magno concilio ; nec tantum ab his, verum etiam a Deo, qui sorte elegit, sive ostendit quem elegerit, sicut rogatus fuerat: *Tu, Domine, qui corda nosti omnium, ostende quem elegeris ex his duobus unum.* [75]

et a Deo, qui sorte ostendit quem elegerit;

Est autem sors multiplex, ut etiam Divus Thomas docet: [76] quaedam divisoria, qua usi sunt milites *mittentes sortem . . . quis quid tolleret ;* [77] alia consultatoria, qua quaeritur quid sit agendum, sic *sorte exiit* Zacharias *ut incensum poneret;* [78] est etiam sors divinatoria cum quaeritur quid futurum sit, vel quis auctor occulti facinoris. Prima usi fuerunt Israelitae in divisione terrae, sicut in libro *Iosue* legimus ;[79] altera etiam usus fuit David pro sacerdotibus, quo tempore quaeque familia ministrare deberet, [80] et pro cantoribus. [81] Huiuscemodi sortibus uti non incommodat, modo religiose et prudenter, docet Divus Augustinus libro 1 *De Doctrina Christiana,* cp. 28, [82] et Epist. 180 *ad Honoratum.* [83] Divinatoriam autem sortem plurimum exercebant Gentiles valdeque usitata erat, ut de rege Babylonis legimus [in] Ezechiele. [84] Hac etiam usus fuit Moyses ex divino mandato, positis virgis, [85] hac deprehensus fuit Acham, [86] hac electus fuit Saul, [87] hac deprehensus fuit Ionathas, [88] hac usi nautae ac deprehensus Ionas, [89] hac etiam usi sunt hodie Apostoli. De hac legimus *Proverbiis* 16 : *Sortes mittuntur in sinum et a Domino temperantur,* [90] sive, ut hebraice est : *Sors mittitur in sinum et a Domino omne iudicium eius.* Sic sorte ostendit Dominus quem elegerit. Non tamen licet

74) Cf. Act 6, 3. 75) Ibid. 1, 24. 76) *Summa Theolog.*, 2ª 2ªᵉ, q. 95, a. 8.
77) Mc 15, 24. 78) Lc 1, 9. 79) Cf. 1, 6 ; 14, 2. 80) Cf. 1 Par 24, 1 sqq.
81) Cf. ibid. 25, 1 sqq. 82) P. L. 34, 30. 83) Iuxta Migne Epist. 228, ibid. 33, 1018. 84) Cf. 21, 21-24. 85) Cf. Nm 17, 1 sqq. 86) Cf. Ios 7, 16-18.
87) Cf. 1 Rg 10, 20-21. 88) Cf. ibid. 14, 41-42. 89) Cf. Ion 1, 7. 90) Vr. 33.

utcunque sortibus uti; nam, ut alicubi Hieronymus dixit: « Non possunt privilegia singulorum legem facere communem, licet saepe huiuscemodi sortibus veritas cognoscatur occulta, non quidem in sortium, sed Dei voluntate, qui sortes regit incertas ». [91] Id autem sufficit nobis, quod Mathias hodie et humana ecclesiastica et divina auctoritate electus est.

c) et ad quid.

Finis electionis est: *Testem resurrectionis eius nobiscum fieri... episcopatum eius accipiat alter,* sive, ut hebraice est, *praefecturam,* itemque *accipere locum ministerii huius et apostolatus, de quo praevaricatus est Iudas.* [92] Sic *cecidit sors super Mathiam et annumeratus est cum undecim Apostolis.* Declaratur hic quid sit apostolatus, nempe quod episcopatus sit, ecclesiastica praefectura: *Episcopatum... accipiat;* hinc etiam *ministerium* dicitur, nam Paulus ait quod qui *episcopatum desiderat, bonum opus,* idest *ministerium, desiderat;* [93] quodque munus sit praedicandi Evangelium summa cum auctoritate: [94] *Testem resurrectionis eius,* etc.

Alius modus: *a)* electio proponitur a Petro supremo Ecclesiae pastore;

VIII. In historia electionis Mathiae multa sunt consideratione digna. Et primo quidem a quibus eligatur, deinde modus electionis, tertio finis electionis huius. Et primum quidem electio haec a Petro Apostolorum principe et coryphaeo proposita fuit, non facta; non quod solus non potuerit, cum esset supremus princeps et pastor Ecclesiae: *Super hanc petram aedificabo...; tibi dabo claves;* [95] *Pasce oves meas;* [96] sed cum posset, ut Divus Chrysostomus *In Actis Apostolorum* adnotavit, solus eligere, noluit tamen ob modestiam et humilitatem solus eligere, voluitque ut ab universo concilio eligeretur. [97] Hinc contra haereticos nostri temporis constat Petri principatus; [98] ipse enim tanquam caput et princeps proponit electionem universo concilio. Nec quia *fratres* appellat conscriptos patres, propterea non maior censendus est, nam alioquin nec Christus ea ratione cum Apostolos *fratres* appellarit, ut Paulus *ad Hebraeos* scribit. [99] Deinde hinc etiam liquet non esse verum quod haeretici hodierni

91) *Comment. in Ionam,* (P. L. 25, 1126). 92) Act 1, 20-25; Ps 108 (hebr. 109), 8. 93) 1 Tim 3, 1. 94) Cf. Tit 1, 1-3, 1 sqq. 95) Mt 16, 18-19. 96) Io 21, 17. 97) *Hom. 3,* (P. G. 60, 34-36). 98) Cf. S. Laurentius a Br. *Lutheranismi Hypotyposis,* part. 2, *Hypotyposis Ecclesiae et Doctrinae Lutheranae,* pag. 163-208. 99) Cf. 2, 11.

docent nihil faciendum esse sine expresso Dei praecepto;[100] nam ubi, quaeso, praeceptum fuit Petro ut electionem hanc proponeret? ubi quod supplendus esset numerus duodenarius Apostolorum?

fit non ab universa fidelium congregatione,

Electus fuit Mathias a *turba hominum simul fere centum viginti.*[101] Graece autem habetur a *turba nominum,*[102] non autem a *turba hominum;* cum autem insolens et nova videretur locutio, facile mutari potuit *turba nominum* in *turba hominum,* ex vocum similitudine. Non fuit electus Mathias ab universa Ecclesia, nam apparuerat Christus paulo ante plus quam quingentis fratribus, sed electus fuit a concilio optimatum, a praestantioribus et praecipuis, propterea dicitur *turba nominum* phrasi hebraica, ubi nomen pro fama ponitur, vir nominis pro homine famoso,[103] sicut apud Latinos vir magni nominis et vir alicuius nominis. Allusum autem videtur ad id quod scribitur *Numeris* 16: *Filiorum Israel ducenti quinquaginta viri proceres synagogae... qui tempore consilii per nomina vocabantur.*[104] Non igitur ab universa fidelium multitudine electus fuit Mathias, ut sectarii volunt quod ad populum spectet electio Episcoporum sive pastorum esseque Ecclesiam meram democratiam.[105] Nam electus fuit Mathias in Episcopum: *Episcopatum eius accipiat alter,* et tamen electus fuit non ab universa fidelium multitudine, sed a proceribus et optimatibus, ita iubente Petro. Neque enim Ecclesia aristocratia est, ut tradit Calvinus,[106] ita ut penes concilium optimatum resideat summa Ecclesiae potestas, cum Ecclesia regnum et monarchia sit.

sed ab optimatibus, iubente Petro,

non ab aliquo saeculari principe.

Patet etiam quod non sit facienda electio Episcoporum a saecularibus principibus, ut sectarii contendunt,[107] neque enim in hac electione aliquis interfuit saecularium principum. Et Christus in Ecclesia posuit primo Apostolos, deinde Prophetas, alios evangelistas,

100) Cf. S. Rob. Bellarminus *De Controversiis Christianae Fidei*, t. 2, *De Membris Ecclesiae*, lib. 1, cp. 5, col 216-218. 101) Act 1, 15. 102) Ὄχλος ὀνομάτων. Cf. *Biblia Lovaniensis*; Eb. Nestle *Novum Test.*, h. l. 103) Cf. Gn 11, 4; 2 Rg 7, 9; 1 Mach 3, 26; 5, 57. 104) Vr. 2. 105) Cf. S. Rob. Bellarminus *De Controversiis Christianae Fidei*, t. 2, *De Membris Ecclesiae*, cp. 6, col. 219-226; S. Laurentius a Br. *Lutheranismi Hypotyposis*, part. 1, *Hypotyposis Martini Lutheri*, pag. 93. 106) Cf. S. Rob. Bellarminus op. cit. t. 1, *De Romani Pontificis Ecclesiastica Monarchia*, cp. 1, col. 505-506; cp. 8, col. 524.
107) Cf. Denzinger-Bannwart *Enchiridion Symbolorum*, n. 100. 109-110. 112. 960. 967. 1322-1323. 1698. 1719; Conc. Trid. Sess. XXIII, *De Sacr. Ord.* can. 7.

alios pastores et doctores.[108] Saeculares autem principes nec nominantur, cum ipsi quoque oves de grege sint, si sunt christiani.

Ut quis in pastorem Ecclesiae eligatur necesse non est ut sit praedestinatus,

Patet etiam quod electio non sit facienda solum a Deo, ut Ioannes Wicleff et Ioannes Huss docuerunt,[109] eo quod non possit esse verus pastor Ecclesiae, nisi sit praedestinatus.[110] Manifestus error, nam Christus elegit Iudam[111] et Apostoli elegerunt Nicolaum advenam[112] et Deus elegit Saulem,[113] qui praedestinati non erant, et hodie electus est Mathias non a solo Deo, sed etiam ab Apostolis et optimatibus.

neque sanctus,

Patet etiam verum non esse quod dicere solent Novatores quod non sint veri Episcopi et pastores, nisi moribus sint similes primis pastoribus et Episcopis, nempe Apostolis.[114] Nam non fuisset verus apostolus Mathias, nisi fuisset sicut Iudas proditor, fur et latro,[115] qui tamen vir fuit optimus, a Deo iudicatus melior Iosepho, qui dicebatur *iustus*.

sed sufficit ut dignior iudicetur munere ad quod eligitur.

Patet etiam quod non semper necesse est ut[116] ad munus episcopale eligatur sanctior, sed dignior aptiorque, nempe sanctior doctiorque et prudentior. Hinc, quamvis maior vitae sanctitate hominum opinione et celebri fama esset Ioseph, electus tamen fuit divino iudicio Mathias. Nec tamen ob demeritum aliquod repulsus fuit Ioseph, nam propterea eius encomium in hac historia ponitur, sed tamen a Deo aptior meliorque ad munus hoc subeundum iudicatus fuit Mathias, praelatusque fuit Iosepho, sicut Beniamin Manasse.

b) Modus pius electionis describitur, quo patet Mathiam electum fuisse tum ab hominibus tum a Deo;

IX. Modus autem, quo electus fuit Mathias, pius, religiosus et sanctus fuit. Sicut enim Christus ante electionem Apostolorum per totam noctem fudit ad Patrem piissimas preces, nam, ut Lucas ait, pernoctavit in oratione,[117] ita nunc Apostoli : *Orantes,* inquit, *dixerunt : Tu, Domine,* etc., graece autem est : *Postquam orassent, dixerunt.*[118]

Electus est autem Mathias et ab hominibus et a Deo ; ab homini-

108) Cf. 1 Cor 12, 28; Eph 4, 11. 109) Cf. supra, not. 100. 110) Cf. ibid. 111) Cf. Mc 3, 19; Lc 6, 16. 112) Qui communiter tenetur fuisse haeresis Nicolaitarum auctor. Cf. S. Laurentius a Br. *Quadragesimale Primum*, pag. 74. 113) Cf. 1 Rg 9, 15-17. 114) Cf. Denzinger Bannwart *Enchiridion Symbolorum*, n. 638-639. 650. 656. 115) Cf. Lc 6, 16; Io 12, 6. 116) Ms.: *Ut* bis ponitur loco: *Est*. 117) Cf. 6, 12. 118) Act 1, 24. Καὶ προσευξάμενοι εἶπαν.

bus quidem per suffragia, nam ubi noster textus habet: *Annumeratus est cum undecim Apostolis,* graece est: *Suffragiis additus est,* [119] sive cooptatus est; ψήφισμα [120] enim graece suffragium est. Sed cum ambo ipsi viri optimi essent et omnium calculis comprobati paribusque suffragiis digni existimati apostolica dignitate summoque illo honoris in Ecclesia gradu, ne cui iniuria facta videri potuisset, utendum sortibus adiudicatum fuit.

ab hominibus per suffragia,

Quare, licet merito improbatus sit ab Ecclesia mos eligendi praelatos per sortes, cp. *Ecclesia, De Sortilegiis,* [121] in casu tamen simili licet sortibus uti, ut Divus Augustinus docet libro 1 *De Doctrina Christiana,* cp. 28, [122] et *ad Honoratum* Epistola 180. [123] Non enim tunc tentatur Deus in tali casu, cum ab eo requiratur quod humano iudicio declarari non potest quis sit dignior sanctiorque, cum pares habeantur, nec exponitur res periculo quisquis sorte exeat. Non enim potest exire indignus, cum ambo optimi habeantur; tollitur autem sic materia querimoniarum et nemini fit iniuria, maxime autem si mittantur sortes praemissa oratione cum pietate facta, ut fecerunt Apostoli. Nam tunc verum est quam maxime quod Salomon ait: *Sortes mittuntur in sinum, a Domino autem temperantur,*[124] et: *Contradictiones comprimit sors, et inter potentes quoque diiudicat.* [125] Sic Iosue sortibus usus fuit in divisione terrae et David in distributione ministeriorum templi.

a Deo quem Apostoli rogaverunt ut ostenderet quem eligeret.

Sic: *Cecidit sors super Mathiam* ab hominibus prius, deinde ab ipso Deo dignus iudicatus apostolica dignitate, ne ceteris Apostolis inferior haberetur, quod non a Deo ut illi, sed ab hominibus esset electus et apostolico collegio cooptatus. Hinc Apostoli *orantes dixerunt: Tu, Domine, qui corda nosti omnium, ostende quem elegeris ex his duobus unum accipere sortem ministerii huius et apostolatus.* Non committunt penitus sorti hanc electionem, hinc non aiunt: *Ostende quem elegeris ex his omnibus unum,* sed *ex his duobus unum.* Prius enim per suffragia designarunt duos, qui paribus meritis et vitae sanctitate certabant, sicque divinitus electus fuit Mathias, qui dignitatem hanc nec ambivit nec procuravit, sed divinitus accepit, vocatus

Mathias autem sicut non ambivit, ita nec recusavit munus ad quod divinitus electus fuit.

119) Ibid. vr. 26. Συνκατεψηφίσθη. 120) Ms.: *Psephisma.* 121) *Decretum Gratiani,* C. XXVI, q. 2, c. 1-4; S. Thomas *Summa Theolog.,* 2ª 2ªᵉ, q. 95, a. 8.
122) Cf. supra, not. 82. 123) Cf. supra, not. 83. 124) Prv 16, 33. Vulg.: *Sed a Domino,* etc. 125) Ibid. 18, 18.

tanquam Aaron per miraculum virgae, quae floruit.[126] Sicut autem nec procuravit nec ambivit, ita nec recusare voluit munus hoc, ad quod divinitus humanitusque electus et destinatus fuit. Quare divinae voluntati, quam agnoverat, repugnare minime voluit, sicut Moyses, contra quem iratus Dominus fuit.[127] Nec tamen propter adeptam coelitus dignitatem in sublime elatus fuit, aut gloriatus quasi suis meritis fuisset electus, et non divino munere; sed divinum munus agnovit iuxta nomen suum, quod etiam Dei munus sive donum interpretatur. Nam revera magnum Dei donum est bonus princeps et praelatus: *Fidelis servus et prudens, quem constituit Dominus super familiam suam.*[128]

c) Finis tandem electionis assignatur.

Finis autem electionis huius duplex assignatur: ut esset Episcopus: *Episcopatum eius accipiat alter*, et ut esset testis resurrectionis, ut esset pastor et doctor Ecclesiae; episcopatus *bonum opus.*

II. ALIA HOMILIA

Confiteor tibi, Pater, Domine, etc.[1]

Hodiernum Evangelium dogmaticum est, quia docet quid credendum sit de Christo

I. Hodiernum Evangelium valde dogmaticum simul et paraeneticum est; dogmaticum quoad doctrinam fidei, paraeneticum quoad mores. Docet quid sit credendum de Christo et quid sit faciendum in obsequium Christi. Credendum quidem est quod Christus sit Filius Dei, veri Dei, summi Dei, qui Dominus est coeli et terrae, idest mundi totius, quoniam creavit ipse coelum et terram, idest universa; hinc ait: *Confiteor tibi, Pater, Domine coeli et terrae;* quod sit eius natura incomprehensibilis, ita ut solus Deus cognoscat qualis et quantus sit Christus: *Nemo novit Filium, nisi Pater;*[2] non homines neque Angeli naturali cognitione qua divina Christi natura comprehendatur, cognoscunt aut cognoscere possunt; quod sit sapientissimus, qui solus naturali cognitione, et quidem comprehensiva, cognoscit Patrem: *Neque*, inquit, *Patrem quis novit, nisi Filius et cui voluerit Filius revelare;*[3] quod sit princeps universi: *Omnia mihi tradita sunt a*

126) Cf. Nm 17, 1 sqq. 127) Cf. Ex 4, 14. 128) Mt 24, 45.

1) Mt 11, 5. 2) Ibid. vr. 27. 3) Ibid.

Patre meo,[4] sicut alibi dixit: *Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra;*[5] princeps, non tyrannus: *Discite a me quia mitis sum et humilis corde;*[6] princeps humanissimus, qui non imponit *onera gravia et importabilia,*[7] sed iugum suave et onus leve: *Tollite iugum meum super vos..., iugum enim meum suave est et onus meum leve.*[8]

Docemur etiam hic quod non sufficit sola fides; non enim contentus fuit hodie Christus dixisse: *Venite ad me omnes,*[9] utique per fidem, [sed] subiunxit: *Tollite iugum meum... et discite a me quia mitis sum et humilis corde,* nam datus est nobis in exemplum: *Exemplum... dedi vobis ut,* etc.;[10] *Vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia eius.*[11] Docemur quod non sit Christi lex gravis, sicut lex Moysi, de qua Petrus: *Quid tentatis... imponere super cervices discipulorum iugum quod,* etc.[12] Hinc patet quam falsa sit doctrina novorum sectariorum, quod mandata Dei impossibilia sint,[13] contra quos Christus: *Iugum... meum suave est et onus meum leve;* et Ioannes: *Mandata eius gravia non sunt,*[14] levia sunt: quomodo ergo impossibilia? *Omnia possum in eo qui me confortat;*[15] *Dabo spiritum meum in medio vestri et faciam ut in praeceptis meis ambuletis.*[16] Non difficile iter facit per maria magna triremis, flante aura secunda, difficile autem est, aura reflante, remigare.

et de eius lege quae impossibilia non iubet,

Excitatur autem hic a Divo Hieronymo quaestio, quomodo lex evangelica levior sit lege Moysi, cum in Evangelio non tantum homicidium, verum etiam ira prohibeatur, nec tantum adulterium, sed etiam aspectus mulieris ad concupiscendum eam, praecipiatur etiam dilectio inimicorum et peccatorum confessio.[17] Verum Christus non alludit tantum ad iugum legis mosaicae, verum etiam ad iugum mundi et satanae, de quo apud Isaiam: *Iugum enim oneris eius et virgam humeri,* etc.[18] Quod autem spectat ad legem Moysi, de qua Paulus ait quod Christus factus est sub lege, *ut eos, qui sub lege erant, redimeret,*[19] levior multo est lex evangelica,

imo valde levior est lege mosaica, quia licet perfectiora iubeat,

4) Ibid. 5) Ibid. 28, 18. 6) Ibid. 11, 29. 7) Ibid. 23, 4. 8) Ibid. 11, 29-30. 9) Ibid. vr. 28. 10) Io 13, 15. 11) 1 Petr 2, 21. 12) Act 15, 10. Vulg.: *Imponere iugum super cervices discipulorum, quod,* etc. 13) Cf. S. Laurentius a Br. *Lutheranismi Hypotyposis,* part. 2, *Hypotyposis Ecclesiae et Doctrinae Lutheranae,* pag. 405; part. 3, *Hypotyposis Polycarpi Laiseri,* pag. 168. 193-194. 14) 1 Io 5, 3. 15) Phil 4, 13. 16) Ez 36, 27. Vulg.: *Spiritum meum ponam in medio vestri,* etc. 17) *Comment. in Evang. Matthaei,* (P. L. 26, 76). 18) 9, 4. 19) Gal 4, 5.

quoniam illa continebat sexcenta et tredecim praecepta,[20] lex autem evangelica paucissima continet, tantum necessaria, nec habet gravissima supplicia legis mosaicae. Sustulit Christus poenam talionis[21] et ad omne verbum mortis comminationem. Unde dicta est lex illa *lex timoris*, lex autem evangelica *lex amoris et caritatis.*[22]

adiuvat tamen infirmitatem nostram ut praecepta eius facilius observentur.

Et tandem lex onerabat, non iuvabat, non conferebat gratiam; *nondum erat datus Spiritus,*[23] qui *adiuvat infirmitatem nostram*[23a] et facit ut in praeceptis Dei ambulemus. Illa continebat praecepta servorum, haec autem praecepta filiorum : *Non accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis,* etc.[24]

Est etiam paraeneticum, quia docet quid faciendum sit in obsequium Christi,

II. Quod spectat ad paraenesim, habemus in hodierno Evangelio exemplum Christi quod imitemur et documenta quae exequamur ; exemplum pietatis, ut Deo gratias agamus ob accepta beneficia : *Confiteor tibi, Pater.* Non enim accipitur hic *confiteor,* sicut ibi : *Confitebor adversum me iniustitiam meam Domino,*[25] neque sicut ibi : *Si confitearis . . . Dominum* nostrum *Iesum* Christum, etc., *nam corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio,* etc.[26] ; sed sicut ibi : *Confitemini Domino quoniam bonus,*[27] et sicut I s a i a s : *Confitebor tibi, Domine, quoniam iratus es mihi, conversus est furor tuus,* etc.,[28] hoc est : Gratias tibi ago, Domine, quoniam, cum iratus fueris mihi, nunc iterum consolatus es me. Ita loquitur Christus : *Confiteor tibi, Pater . . .,* quoniam *abscondisti haec,* idest cum absconderis haec mysteria, *revelasti ea parvulis ;*[29] quomodo etiam P a u l u s *ad Romanos*: *Gratias . . . Deo quod fuistis servi peccati, obedistis autem . . . in eam formam iustitiae,*[30] idest qui cum fueritis servi peccati, nunc facti estis servi iustitiae. D i v u s L u c a s referens hanc eandem historiam ait quod Christus *exultavit* in *spiritu et dixit : Confiteor tibi, Pater ;*[31] audito fructu praedicationis discipulorum, exultavit laetitia spirituali ; sic exultandum nobis est et laetandum de gloria Dei.

et Christus in seipso nobis exhibet exemplum quod imitemur

Documenta autem sunt : *Venite ad me omnes . . ., tollite iugum*

20) *Talmud Babyl., Makkoth,* f. 23b. 21) Cf. Ex 21, 23. 22) Cf. Rom 8, 15. 23) Io 7, 39. Vulg.: *Nondum erat Spiritus datus.* 23a) Rom 8, 26. 24) Ibid. vr. 15. 25) Ps 31, 5. 26) Rom 10, 9-10. Vulg.: *Corde enim,* etc. 27) Ps 105, 1; 106, 1; 117, 1. 29. 28) 12, 1. 29) Mt 11, 25. 30) 6, 17. Vulg.: *Doctrinae,* loco: *Iustitiae.* 31) 10, 21.

meum . . . discite a me quia mitis sum . . . , iugum enim meum suave est. Vocat nos Christus a laboribus ad quietem : *Venite ad me omnes qui laboratis . . . et invenietis requiem ;* ab oneribus gravibus ad levia : Qui *onerati estis, et ego reficiam vos . . . , iugum . . . meum suave . . . et onus meum leve.* Videtur paradoxum, cum vocemur a deliciis ad poenitentiam, sed revera ita est ut Dominus ait, licet non appareat. Sic Ieremias : *Ambulate in via bona, et invenietis refrigerium animabus vestris.* [32]

et documenta quae exequamur.

III. ALIA HOMILIA

Confiteor tibi, Pater, etc. [1]

I. Proponitur nobis hodie celebris solemnitas Beatissimi Apostoli et martyris Christi, idest Mathiae, cuius in *Actis Apostolorum* relata est assumptio ad apostolatum, [2] sed non meritum huius assumptionis ; nihil enim ibi speciale dicitur in laudem ipsius, nisi quod *cecidit sors super Mathiam et annumeratus est cum undecim Apostolis.* [3] Ne ergo putaremus eum fortuna, non virtute duce, favore aliquo, non meritis assumptum ad divinam hanc dignitatem intrasseque ad templum honoris, sed non per templum virtutis, [4] proponitur sacrosanctum hoc Evangelium, in quo ipsius merita declarantur : meritum fidei, quod ei Deus revelavit mysteria fidei, sicut Petro : *Beatus es, Simon Bar Iona,* sic Matthaeus, [5] revelavit Pater ut cognosceret Filium, revelavit Filius ut per fidem cognosceret Patrem, nam in hodierno Evangelio et Pater revelat Filium et Filius revelat Patrem ; [6] meritum humilitatis, nam : *Revelasti ea parvulis,* [7] idest humilibus ; meritum obedientiae, quia obedivit voci Christi vocantis: *Venite ad me omnes ;* [8] non fuit de illis de quibus dicitur : *Vocavi et*

Referuntur multa merita S. Mathiae,

propter quae annumeratus fuit cum undecim Apostolis.

32) 6, 16.

1) Mt 11, 25. 2) Cf. 1, 23 sqq. 3) Ibid. vr. 26. 4) Cf. Cicero *De Natura Deorum*, lib. 2, vol. 4, col. 268. Virtus ab antiquis dea putabatur, cui templum dedicatum erat cum templo Honoris coniunctum, ita ut in hoc nonnisi per illud pateret aditus. Quo significare voluerunt veram et unicam parandi honoris viam esse virtutem. Forcellini *Lexicon Tot. Lat.*, sub voce: *Virtus.* 5) 16, 17. 6) Cf. ibid. 11, 27. 7) Ibid. vr. 25. 8) Ibid. vr. 28.

renuistis; [9] meritum observationis divinae legis: *Tollite iugum meum super vos;* [10] meritum imitationis Christi: *Discite a me quia mitis sum et humilis corde.* [11] Sic ex meritis tanquam verus Christi discipulus, nam unus fuit ex septuaginta Christi discipulis; [12] Petrus enim proposuit duos ex antiquioribus discipulis: *Oportet* unum *ex his... qui nobiscum sunt congregati in omni tempore, quo,* etc. [13]

Non potest esse Ecclesia Christi sine veris Episcopis legitime ordinatis.

II. *Oportet,* inquit Petrus, creari Episcopum successorem Iudae, quoniam non potest esse Ecclesia sine Episcopis veris, legitime ordinatis a veris Episcopis, sicut hodie Mathias ordinatus electusque a veris Apostolis, et Paulus et Barnabas per impositionem manuum Apostolorum creati fuerunt Episcopi. [14] Non potest esse Ecclesia sine Episcopis, sicut nec grex sine pastoribus, nec exercitus sine ducibus, nec vinea sine cultoribus: *Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere,* etc. [15] Nunc, si Ecclesia non potest esse sine veris Episcopis, nec Episcopus potest esse verus sine vera ordinatione, nec vera ordinatio sine vera auctoritate et potestate episcopali, dicant, quaeso, nobis Novatores ubi sunt ipsorum Episcopi veri? A quibus sunt ordinati? A suis an a nostris? A quibus Episcopis ordinati fuerunt Lutherus et Calvinus? Hi enim sunt, vel habentur eorum primi Episcopi. Revera pseudo episcopi, lupi rapaces in vestimentis ovium; [16] non fuerunt ordinati a veris Episcopis. Quomodo ergo veri Episcopi? Si non veri Episcopi, quomodo Episcopos ordinare potuerunt? Si non potuerunt veros Episcopos ordinare, unde habent ergo veros Episcopos? Quomodo possunt esse vera Christi Ecclesia sine veris Episcopis? Oportuit creari Episcopum successorem Iudae. Sic ergo et aliorum.

9) Prv 1, 24. 10) Mt 11, 29. 11) Ibid. 12) Cf. Lc 10, 1-17. 13) Act 1, 21.
14) Cf. ibid. 13, 3. 15) Ibid. 20, 28. 16) Cf. Mt 7, 15.

DOMINICA SEXTA POST EPIPHANIAM [1]

Simile est regnum coelorum fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinae satis tribus, etc. [2]

In hodierno Evangelio parabolis grani sinapis et fermenti Christus significatur.

I. Duae parabolae proponuntur nobis in hodierno Evangelio, ambae quidem humiles et sublimes, humiles littera, sed sublimes spiritu et intelligentia. Sic enim ait: *Aperiam in parabolis os meum, loquar propositiones, aenigmata, ab initio;* [3] et alibi: *Os meum loquetur sapientiam, et meditatio cordis mei prudentiam,* sive *intelligentiam, inclinabo in parabolam aurem meam, aperiam in psalterio propositionem meam,* sive *aenigma meum.* [4] Sunt nanque huiuscemodi parabolae veluti aenigmata. Sicut autem granum sinapis, ita et fermentum Christum significat, factum *in similitudinem carnis peccati;* [5] nam in Scripturis Sanctis fermentum peccati symbolum est. Hinc Dominus ait: *Cavete a fermento* scribarum et *Pharisaeorum,* idest *ab hypocrisi* [6] vitiisque eorum; et Paulus: *Non in fermento veteri, neque in fermento malitiae et nequitiae, sed in azymis sinceritatis et puritatis;* [7] et item: *Modicum fermentum totam massam corrumpit.* [8] Hanc ob causam prohibebantur Iudaei paschali tempore fermentatum panem comedere aut fermentum domi tenere, [9] quamvis allegoriae mysterium ibi latebat, quod in Christum minime credituri erant, sed comesturi panem legis absque fermento christianae fidei.

Christus enim *fermentum* dicitur.

Tria autem sata farinae Veteris Testamenti fermento Christi fermentanda sunt, ut salutaris panis efficiatur; ait enim: Sicut scriptum est *in lege ... et Prophetis et Psalmis de me.* [10] Nam libros,

1) Inscriptionem hanc nos adiecimus. 2) Pericope huius diei Mt 13, 31-35. Cf. Missale Rom. 3) Ps 77 (hebr. 78), 2; Mt 13, 35. 4) Ps 48 (hebr. 49), 4-5. 5) Rom 8, 3. 6) Mt 16, 6. 11; Mc 8, 15; Lc 12, 1. 7) 1 Cor 5, 8. Vulg.: *Veritatis,* loco: *Puritatis.* 8) 1 Cor 5, 6; Gal 5, 9. 9) Cf. Ex 12, 18-20; Dt 16, 3. 10) Lc 24, 44.

quia ut peccator apparuit iam reconditus in Veteri Testamento;

quos historiales nos dicimus, Hebraei p r o p h e t a l e s appellant: נְבִיאִים רִאשׁוֹנִים,[11] P r o p h e t a s p r i o r e s, et quos dicimus prophetales, ipsi[12] נְבִיאִים אַחֲרוֹנִים, P r o p h e t a s p o s t e r i o r e s appellant. Sic totum Vetus Instrumentum complexus ait Christus: Legem, Prophetas et Psalmos, idest libros sapientiales, hagiographos. Christus igitur fermentum dicitur ob *similitudinem carnis peccati,* qua futurus erat Iudaeis scandalum, Gentibus autem stultitia.[13] Tria autem sata farinae non solum universum Testamentum Dei, quod etiam in historico sensu continet allegoricum, tropologicum et anagogicum, sed etiam universum orbem designat; a tribus enim Noe filiis totus propagatus ac multiplicatus est orbis.[14] Mulier autem divina est utique sapientia ac providentia singularis, qua animarum saluti et gloriae Christi invigilat, ut omnes credant in Christum et salutem consequantur aeternam. Sic Sara tria farinae sata miscuit ut tribus Angelis cibum pararet.[15]

utraque autem parabola mirabilem Christi tum virtutem tum sapientiam significat,

II. Duae autem hae parabolae singulariter duo mysteria designant in Christo: mirabilem utique virtutem et sapientiam. Unde P a u l u s: *Praedicamus Christum crucifixum . . . Dei virtutem,* idest potentiam, *et Dei sapientiam,*[16] potentiam ad convertendas animas animosque hominum a terrenis ad coelestia, a mundanis ad divina, a temporalibus ad aeterna bona; sapientiam ad illustrandas mentes captivandosque intellectus hominum in obsequium suum. *Praedicamus Christum crucifixum,* ecce granum sinapis et fermentum, nam procul dubio in his mysterium passionis Christi continetur: *Nisi enim granum . . . cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet; si autem mortuum fuerit, multum fructum affert.*[17] Et de fermento quis nescit quod ad cumulum massamque farinae conspergendam ac fermentandam comminuitur ac totum dissipatur? Ait autem: Cum *exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum.*[18] O mirabilem Christi potentiam! o divinam et incomprehensibilem ac inexcogitabilem sapientiam!

11) Ms.: *Nebiim reshonim,* et infra: *Nebiim aharonim.* 12) Cf. Cornely-Merk *Introductio in S. S. Libros,* cp. 1, pag. 15. 13) Cf. 1 Cor 1, 23. 14) Cf. Gn 9, 19. 15) Cf. ibid. 18, 6. 16) 1 Cor 1, 23. 17) Io 12, 24. 18) Ibid. vr. 32.

III. Sed adhuc duo hic sacra continentur mysteria : humilitatis et caritatis Christi in utraque parabola ; humilitatis, quoniam granum sinapis minimum est et fermentum modicum et nullius fere pretii ac valoris; caritatis autem, quoniam calidissimum est sinapis granum, totum fere igneum, et fermentum similiter suo calore massam conspergit et excrescere facit, saporem impertit ; fermentum nanque panem sapidum facit.

necnon eius humilitatem et caritatem;

Docemur etiam quod hae duae virtutes ad aeternam salutem consequendam in primis necessariae sunt. Humilitas quidem, nam : *Humilibus* Deus *dat gratiam ;* [19] *Nisi conversi fueritis et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum coelorum,* [20] ex quo per superbiam satanas cum angelis suis fuit eiectus. [21] Regius Vates parvulum statuit veluti hieroglyphicum humilitatis : *Humiliter sentiebam... sicut parvulus super matrem suam.* [22] Sicut, inquit, infans saluti suae providere minime potest, non corpus curare neque seipsum tueri, non pedibus suis insistere aut manibus aliquid operari, imo nec cogitare quidem novit ipse quid sibi opus sit, sed totus in materna caritate conquiescit, ita, inquit, ego apud te, Deus, sciens quod vere non sumus sufficientes *cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est ;* [23] quoniam etiam *si quis existimat... aliquid esse, cum nihil sit, ipse se seducit ;* [24] *Sine me nihil potestis facere.* [25] Haec autem est sancta illa animi submissio quam a nobis Deus requirit et quam nos Deo naturali iure debemus, cum verissime inutilia ipsius figmenta simus, multoque minoris momenti apud Deum quam infans apud matrem. Sic minimum sinapis granum oportet nos esse ad Christi imitationem : *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde ;* [26] modicum etiam fermentum, ut parvi simus in oculis nostris. Nam tunc Saul a Deo electus fuit, tunc ei placuit cum parvus erat in oculis suis, cum vere humilis corde erat ; [27] elatus autem animo postmodum ob regiam dignitatem, Deo displicuit regnoque pulsus fuit ac deturbatus : [28] *Qui se humiliat, exaltabitur.* [29] Sic crescit in arborem.

necessitatem insuper humilitatis ad aeternam salutem consequendam,

quae est sancta submissio animi quam Deo debemus,

19) Iac 4, 6; 1 Petr 5, 5. 20) Mt 18, 3. 21) Cf. Is 14, 10-18. 22) Ps 130 (hebr. 131), 2. Ex hebraico. 23) 2 Cor 3, 5. 24) Gal 6, 3. 25) Io 15, 5. 26) Mt 11, 29. 27) Cf. 1 Rg 9, 21. 28) Cf. ibid. 13, 1-14. 29) Lc 14, 11; 18, 14.

et necessitatem caritatis,

Caritas etiam necessaria est, nam Apostolus ait : *Si caritatem non habuero, nihil sum ... nihil mihi prodest.* [30] Non est sapidus nec levis sine fermento panis, insipidus est gustui ; sic non placent Deo opera sine caritate. Modicum autem fermenti suo calore fervens totam massam crescere facit, totam fervendo conspergit levioremque reddit ; sic caritas totum hominem Deo gratum facit, totum sanctificat : spiritum, animam, corpus, rationalem, concupiscibilem, irascibilem, cor, linguam, manus, cogitationes, verba, opera : *Donec fermentatum est totum.* [31] Granum sinapis caritas, quod veluti ignis scintilla est, ex qua magnus accenditur ignis ; sic caritas ex modica fit maxima in magnamque consurgit virtutum molem. Sicut enim semen virtute continet magnam arborem : radices, truncos, ramos fructusque inde orituros, sic caritas virtute continet universam legem omniaque praecepta, omnes virtutes : *Plenitudo ... legis est dilectio;* [32] *Diliges Dominum Deum tuum* ... et *proximum tuum ... in his duobus ... universa lex pendet ;* [33] *Si autem vis ad vitam ingredi, serva mandata;* [34] *Super omnia caritatem habentes, quod est vinculum perfectionis ;* [35] *Finis ... praecepti est caritas de corde puro et conscientia bona et fide non ficta.* [36]

quae virtute continet universam legem, omnia praecepta et omnes virtutes.

Caritas igitur una cum humilitate supra modum ad salutem necessaria est. Sed ubi nunc caritas, ubi humilitas ? *Quoniam abundabit iniquitas, refrigescet caritas,* [37] imo quoniam abundavit iniquitas, iam refriguit caritas. Ubi regnat carnalitas et cupiditas, non potest vigere caritas ; in regno voluptatum non est virtuti locus, [38] nec in paradiso quidem potuit regnare virtus, sed peccans homo virtutem amisit voluptatis cupiditate. [39]

Hae autem virtutes hodie maxime desunt.

IV. Duas cum proponat hodiernum Evangelium parabolas, altera quidem pro viris [est], nam Lucas ait : *Simile est* regnum coelorum *grano sinapis, quod acceptum homo seminavit in agro suo,* [40] altera pro mulieribus : *Simile est regnum coelorum fermento, quod ac-*

His parabolis docetur etiam alia debere esse studia virorum

30) 1 Cor 13, 2-3. Vulg.: *Caritatem autem,* etc. 31) Mt 13, 33. 32) Rom 13, 10. 33) Mt 22, 37-40. 34) Ibid. 19, 17. 35) Col 3, 14. Vulg.: *Caritatem habete,* etc. 36) 1 Tim 1, 5. 37) Mt 24, 12. Sic legitur in veteribus editionibus Vulg., cf. *Biblia Lovaniensis* S. Auctoris ; in posterioribus autem, iussu Clementis VIII recognitis, emendatum fuit : *Abundavit.* 38) Cicero *De Senectute,* t. 4, col. 548; S. Laurentius a Br. *Quadragesimale Primum,* not. 68, pag. 20. 39) Cf. Gn 3, 1 sqq. 40) 13, 19. Vulg.: *Homo misit in hortum suum.*

ceptum mulier abscondit in farinae satis tribus, ut tum viri tum mulieres hisce similitudinibus intelligerent mysteria fidei; nam salutem utriusque sexus desiderat sexus utriusque Conditor et formator. Quibus etiam verbis docet alia debere esse studia et exercitia virorum, alia mulierum in bene ordinata familia, quemadmodum Regius Vates ait: *Sicut oculi servorum in manibus dominorum suorum,* et *sicut oculi ancillae in manibus dominae suae, ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum.* [41] Servos retulit ad heros, ancillas autem ad heras, quoniam ita honestatis iura requirunt, ut in ordinata familia optimeque instituta viri in viros et feminae in feminas immediatum exerceant dominatum et curam gerant, alioquin multa necesse est ut scandala oriantur.

et alia mulierum.

Ostendit etiam his parabolis Dominus quod fides viva et efficax, sicut granum sinapis et fermentum, confert nobis coelestem habitationem: *Volucres coeli veniant et habitent in ramis eius;* [42] coelestem etiam in hac vita conversationem: *Nostra... conversatio in coelis est;* [43] et item beatam vitam, saporem virtutis: *Gustate et videte quoniam suavis est Dominus; beatus vir qui sperat in eo.* [44] Panis nanque fermentatus dat gustui saporem et universo corpori vitale nutrimentum vitamque; sic fides salutem vitamque confert aeternam.

Ostenditur etiam vivam fidem et efficacem conferre saporem virtutis et aeternam vitam.

Sciendum quod in Scripturis Sacris duplex est fermentum: alterum quidem Christi, quale est hodiernum, alterum vero diaboli, de quo Apostolus: *Modicum fermenti totam massam corrumpit.* [45] Hoc lege vetitum est ne omnino offerretur Deo, [46] aut ne comederetur diebus paschalibus. [47] Hinc *Amos* 4 arguuntur ironice Israelitae offerentes Deo panem fermentatum: *Sacrificate de fermento laudem,* [48] idest oblationem in laudem Dei, quae dicebatur מִנְחָה תּוֹדָה תְּרוּמָה. [49] Utrunque autem fermentum totum fermentat. De Christi fermento dicitur: *Donec fermentatum est totum;* similiter de fermento satanae legimus: *Quievit paululum civitas a commistione fermenti, donec fermentatum est totum.* [50] Agitur de cultu idololatriae, quam impius Ieroboam in regnum Israel invexit totumque regnum infecit

Praeter fermentum Christi est etiam fermentum diaboli,

et sicut gratia Spiritus Sancti totum hominem sanctificat et salvat,

41) Ps 122, 2. 42) Mt 13, 32. 43) Phil 3, 20. 44) Ps 33, 9. 45) Gal 5, 9. Vulg.: *Modicum fermentum,* etc. 46) Cf. Lv 2, 11. 47) Cf. Ex 12, 19-27. 48) Vr. 5. 49) Ms.: *Minchah thodah terumah.* Cf. Ex 29, 28; Lv 2, 1-11; Ps 49 (hebr. 50), 23; 115 (hebr. 116), 17. 50) Os 7, 4. Vulg.: *Donec fermentaretur totum.*

maxima impietate. [51] Sic gratia Spiritus Sancti, fides viva, caritas vera totum hominem sanctificat et salvat. Peccatum etiam et carnalis cupiditas totum hominem inquinat damnatque. Omnis homo panis est fermentatus, sed vel fermento Christi a sapientia Dei, vel fermento satanae a malitia diaboli. Malam persuasionem Apostolus *fermentum* appellat : *Modicum fermentum totam massam corrumpit*, sicut scelestum hominem iisdem verbis. [52] Qui Christi persuasionibus imbutus est ut in coelo thesaurizet, Christi fermento fermentatus est ; qui autem persuasionibus diaboli ut thesaurizet in terra, etc.

Ita fermentum satanae totum hominem inquinat et damnat.

II. ALIA HOMILIA

Simile est regnum coelorum grano sinapis, quod accipiens homo seminavit in agro suo, quod minimum, etc. [1]

I.ª Scopus hodierni Evangelii in utraque parabola, quantum concicere possum, is mihi videtur, ut hisce similitudinibus voluerit Christus declarare virtutem et efficaciam magnamque verbi Dei et fidei potentiam ; nam in alia parabola Dominus dixit quod *semen est verbum Dei.* [2] Alibi etiam Dominus, cum dixisset cavendum *a fermento Pharisaeorum*, declaravit quid per fermentum intellexerit, dicens *cavendum ... a doctrina Pharisaeorum.* [3] Inquirenda igitur nobis virtus divini verbi est a proprietatibus grani sinapis atque fermenti.

Sub utraque parabola ostendit Christus magnam verbi Dei et fidei potentiam.

Granum autem sinapis in primis maxime fecundum est et, ut Plinius scribit, [4] ubi semel ceciderit protinus germinat, ita ut vix possit inde penitus extirpari. Talis fuit virtus verbi Dei in Apostolis ; nam Petrus una concione tria millia virorum convertit, [5] alia vero quinque hominum millia. [6] Sed ubi nunc virtus verbi Dei, qualis etiam in Moyse enituit apud Hebraeos in Aegypto et in deserto? [7] Nunc vere dicere possumus : *Domine, quis credidit auditui nostro ?* [8] Ego quidem certus sum, fratres, quod si nunc quoque spiritu apostolico

Granum enim sinapis, quod fecundissimum est, figurat divini verbi virtutem ;

51) Cf. 3 Rg 14, 7 sqq. 52) Cf. 1 Cor 5, 6.

1) Mt 13, 32. 2) Lc 8, 11. 3) Mt 16, 11-12. 4) Plinius. *Hist. Nat.*, lib. 19, cp. 8, pag. 226. 5) Cf. Act 2, 41. 6) Cf. ibid. 4, 4. 7) Cf. Ex 7, 1 sqq. 8) Is 53, 1.

hodie autem exiguus fructus ex eo colligitur,

a ministris verbi Dei praedicaretur Evangelium, non minor colligeretur fructus. Apostolus ait *ad Thessalonicenses: Evangelium nostrum non fuit ad vos in sermone tantum, sed in virtute et in Spiritu Sancto et in plenitudine multa... et vos imitatores nostri facti estis et Domini.*[9] Hinc iisdem ait: *Gratias agimus Deo* quod, *cum accepissetis verbum auditus Dei a nobis, accepistis illud non ut verbum hominum, sed, sicut vere est, verbum Dei,*[10] idest ac si Deus ipse loqueretur et praedicaret vobis. Nunc autem quia Evangelium praedicatur, ut plurimum, in sermone tantum et eloquentia, non in virtute et Spiritu Sancto, hinc quam minimus colligitur evangelicae praedicationis fructus. Utinam, fratres, Spiritus Sanctus per os nostrum loqueretur, sicut legimus *Iob* 11: *Utinam Deus loqueretur tecum, et aperiret labia sua tibi, ut ostenderet tibi secreta sapientiae, et quod multiplex esset lex eius!*[11] Sed tamen, fratres, praecipua causa est quod semen non cadit in terram bonam, nam si in terram bonam caderet, fructum utique centuplum faceret.[12] Utinam reperiret in nobis verbum Dei animum salutis nostrae vere cupidum! Sed mala voluntas causa est omnium malorum. Nos Balaamo similes sumus, qui mortem cupiebat iustorum;[13] volumus male vivere et bene mori, per totam vitam diabolo, mundo et carni servire, in fine autem a Deo mercedem aeternae vitae accipere. Bone Deus, quaenam cogitatio haec nostra est? quae stultitia? Militasti sub satana, et expectas a Deo stipendia? Laborasti in vinea Sodomorum,[14] et vis mercedem cum cultoribus vineae Domini Sabaoth?[15]

tum quia Evangelium non praedicatur in Spiritu Sancto, tum praecipue quia verbum Dei non cadit in terram bonam.

Nullus enim fructus sperari potest a praedicatoribus, qui ore tantum et non opere praedicant,

II. Verbum nostrum, inquit Apostolus, *Evangelium nostrum non fuit ad vos in sermone tantum,* ita ut vox quidem esset Iacob, manus autem Esau,[16] *sed in virtute*[17] multa, nam ait ad eosdem: *Vos testes estis et Deus quam sancte, quam iuste, quam sine querela fuimus vobis, qui credidistis;*[18] ac si dicat: Si verbo tantum, et non opere praedicassemus Evangelium, fructus uberes nequaquam consecuti essemus. Sed qualis nunc fructus sperari potest a multis, qui vitae sanctitate destituti nec Evangelium sermone praedicant,

9) 1 Thess 1, 5-6. 10) Ibid. 2, 13. Vulg.: *Cum accepissetis a nobis verbum,* etc.
11) Vrr. 5-6. 12) Cf. Mt 13, 23. 13) Cf. Nm 23, 10. 14) Cf. Dt 32, 32.
15) Cf. Is 5, 7. 16) Cf. Gn 27, 22. 17) 1 Thess 1, 5. 18) Ibid. 2, 10. Vulg.: *Et iuste et sine querela vobis, qui credidistis, fuimus.*

sed doctrinas potius humanas, imo profanas, ad eloquentiam scientiamque inflantem ostendendam ac ventilandam?

et non Evangelium, sed doctrinas humanas ad scientiam inflantem ostendendam,

Non dico quod non liceat humanas doctrinas aliquando in medium afferre ac de thesauro proferre nova et vetera,[19] cum Hebraeis aurum et argentum Aegyptiis praeripere[20] et in Ecclesiam transferre. Nam cum per fermentum doctrina designetur, licet aliquando Dominus omne fermentum a sacrificio excluserit: *Omnis oblatio, quae offertur Domino, absque fermento erit, nec quicquam fermenti et mellis adolebitur in sacrificio Domini;*[21] tamen postea in oblatione gratiarum et laudis admittit etiam panes fermentatos post oblationem infermentatorum;[22] et in die pentecostes iubet offerri panes de simila fermentata.[23]

quae rarissime afferendae sunt.

Sed tamen raro adhibendum est fermentum doctrinae humanae in praedicatione Evangelii, cum necessitas compulerit; sic Dominus per Ieremiam mittit ad insulam Cethim et Cedar;[24] Dominus exemplum attulit samaritani ethnici hominis;[25] Paulus poetas adhibuit;[26] Salomon ad formicam pigrum hominem mittit.[27] Hoc autem perquam raro factum est; hinc Paulus se missum ait ad praedicandum *non in sapientia verbi,*[28] *non in sublimitate sermonis et sapientiae... non in persuasibilibus humanae sapientiae verbis, sed in ostensione spiritus et virtutis.*[29] Sic verbum Dei granum sinapis est crescens in magnam arborem, sic fermentum quod totam massam fermentat.

Virtus verbi Dei cum vitae sanctitate efficacissima est.

O utinam, fratres, nunc Petrus aut Paulus praedicaret! Utinam praedicatores haberemus apostolico spiritu plenos atque refertos! Videremus procul dubio uberes ac copiosos fructus divini verbi in mundo, videremus non solum peccatorum hominum conversionem ad Deum et iustitiam, sed etiam infidelium ad Christum, ad fidem, haereticorum et schismaticorum ad Sanctam, Catholicam et Apostolicam Ecclesiam, veram Christi sponsam,[30] columnam et firmamentum veritatis,[31] veram arcam salutis.[32]

19) Cf. Mt 13, 52. 20) Cf. Ex 12, 35-37. 21) Lv 2, 11. 22) Cf. ibid. 7, 13. 23) Cf. ibid. 23, 17. 24) Cf. 2, 10. 25) Cf. Lc 10, 33-37. 26) Cf. Act 17, 28; Tit 1, 12. 27) Cf. Prv 6, 6. 28) 1 Cor 1, 17. 29) Ibid. 2, 1-4. Vulg.: *Aut sapientiae.* 30) Cf. Eph 5, 23 sqq.; Apc 21, 9. 31) Cf. 1 Tim 3, 15. 32) Cf. 1 Petr 3, 24.

DOMINICA SEPTUAGESIMAE

I. Movetur semper coelum ac coelestia omnia : sol, luna, errantia sidera fixaque, coelestiumque motum sequitur etiam superior aeris huiusce nostri portio supra nubes consistens, ubi terra omniaque terrestria : montes, colles, lapides, arbores manent semper immota. [1] Sic, cum Deus semper operetur benefaciendo : *Pater meus usque modo operatur, et ego operor ;* [2] *Qui solem suum oriri facit super bonos et malos et pluit super iustos et iniustos,* [3] gubernans tum coelum tum elementa omnemque mundi machinam regens, cuius operationis motum sequuntur omnes creaturae, sicut motum primi mobilis omnes coelestes orbes et superiora elementa sectantur Angeli, qui per scalam Iacob semper ascendunt atque descendunt, [4] coeli astraque omnia, elementa et quaecunque in eis continentur, cum sit mundus iste ad instar horologii, cuius rotae sunt in perpetuo motu; soli homines terreni et animales, qui non sapiunt quae sunt Spiritus Dei, [5] sed *tanquam bruta animalia* [6] vivunt, otio turpissimo torpentes marcescunt, nihil boni pro Dei gloria, mundi utilitate et propria salute operantes : *Quid hic statis tota die otiosi ?* [7] Hinc paterfamilias vocat ad operandum in vinea sua iustam promittens mercedem : *Quod iustum fuerit dabo vobis.* [8]

Deus semper operatur benefaciendo, et creaturae omnes divinum motum sequuntur.

soli homines otio marcescunt nil boni operantes.

Cum plantasset Dominus terrestrem paradisum, tulit hominem quem formaverat, et posuit eum in paradiso voluptatis, *ut operaretur et*

1) Tempore S. Auctoris magna quaestio agitabatur de terrae mobilitate a Nic. Copernico et Galilaeo suscitata, qui motum terrae circa solem asserebant. Veterem sententiam de terrae immobilitate tuetur S. Laurentius, pro qua et maior pars doctorum illius temporis pugnabat, - cf. Hergenröther *Storia Eccles.*, vol. 6, part. 2, cp. 15, pag. 548, not. 2, - et post ipsum Cornelius a Lapide *Comment. in Eccle*, cp. 1, 4. 2) Io 5, 17. 3) Mt 5, 45. 4) Cf. Gn 28, 12. 5) Cf. Rom 8, 3. 6) Iud vr. 10. 7) Mt 20, 6. 8) Ibid. vrr. 1-4.

Etiam ante lapsum homo operari debebat,

custodiret illum. [9] *Plantaverat,* inquit, *Dominus Deus paradisum voluptatis a principio, in quo posuit hominem quem formaverat.* [10] Quid autem paradisus ille esset declarat : *Produxit,* inquit, *Dominus Deus de humo omne lignum pulcrum visu et ad vescendum suave, lignum etiam vitae in medio paradisi et lignum scientiae boni et mali. Et fluvius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradisum.* [11] Erat paradisus ille hortus et pomarium divina virtute ac supernaturali arte plantatum, sicut erat hortus nemusque Assueri, ubi paratum fuit regale illud, celeberrimum decantatissimumque convivium : *In vestibulo,* inquit, *horti et nemoris, quod regia manu et arte consitum erat,* [12] sicut etiam erant horti Salomonis, de quibus ipse ait : *Plantavi vineas, feci hortos et pomaria,* sive *paradisos,* ut est in hebraeo, *et consevi ea cuncti generis arboribus.* [13] Sic Dominus ab initio plantavit paradisum, quem Adamo dedit in custodiam eumque colonum constituit cultoremque et custodem paradisi illius : *Tulit Dominus Deus hominem ... et posuit eum in paradiso voluptatis, ut operaretur et custodiret illum.* [14] Ob id hominem arte et ratione praeditum esse voluit, ut arte paradisum excoleret, absque tamen laboris miseria, quam ob peccatum incurrit : *Maledicta terra in opere tuo ... spinas et tribulos germinabit tibi ... in sudore vultus tui vesceris pane tuo,* [14a] sed cum delectatione et voluptate, unde multis regibus agricultura in deliciis fuit ; ratione vero praeditum ad custodiendum et conservandum, utrunque enim significat vox hebraea, et custodire et conservare, שָׁמַר, [15] sicut עָבַד significat et operari et excolere. Sic Deus etiam in primo statu noluit ut homo otio marcesceret, sed operari iussit et bene agere. Operari et custodire duplex opus est : actionis et contemplationis. Sic hodie idem Deus in sacrosancto Evangelio proponitur sub persona patrisfamilias vocantis operarios ad excolendam vineam suam. Et quidem hic paterfamilias ille est Deus, haec vinea ille paradisus, hi homines ille Adam, hoc operari et ferre *pondus diei et aestus,* [16] illud *ut operaretur et custodiret illum,* operari bene agere,

absque tamen miseria laboris.

Hodie Deus hominem ad laborem duplicem vocat:

9) Gn 2, 15. 10) Ibid. vr. 8. 11) Ibid. vrr. 9-10. Vulg.: *Produxitque ... lignumque scientiae,* etc. 12) Est 1, 5. Vulg.: *Quod regio cultu et manu,* etc. 13) Eccle 2, 5. 14) Gn 3, 17. 14a) Ibid. vr. 19. Ex hebraico. 15) Ms.: *Scamar,* et postea: *Habad.* 16) Mt 20, 12.

custodire sive cavere, nam hoc etiam hebraicum verbum significat, evitare mala – haec est enim perfecta iustitia: *Declina a malo et fac bonum,* [17] – servare praecepta divinae legis tum iubentia bona tum inhibentia mala, hoc est comedere et non comedere, comedere de ligno vitae et non comedere de ligno scientiae boni et mali. [18]

ad malum vitandum et bonum faciendum.

Simile est regnum coelorum homini patrifamilias, qui exiit primo mane conducere operarios in vineam suam. [19]

II. Parabola haec multis est mysteriis plena, sed non paucis difficultatibus. Sunt magna mysteria, sed quo maiora sunt, eo sunt etiam difficiliora. Hic mysterium divinae caritatis, hinc Deus proponitur in persona patrisfamilias, quia Deus paterno nos amore prosequitur; hic mysterium divinae vocationis, qua ab initio mundi usque in finem vocat quos ab aeterno praedestinavit ad gratiam suam, nam: *Quos praescivit et praedestinavit conformes fieri imagini Filii sui... quos autem praedestinavit, hos et vocavit;* [20] hic mysterium Ecclesiae tum militantis tum triumphantis, nam quatenus militans in terra [21] dicitur *vinea,* et quatenus triumphans in patria dicitur *regnum coelorum;* hic mysterium necessitatis bonorum operum ac meritorum ad vitam aeternam consequendam: *Ite* operari *in vineam meam, et quod iustum fuerit dabo vobis;* [22] hic mysterium aeternae retributionis: *Voca operarios, et redde illis mercedem* suam; [23] hic mysterium divinae misericordiae in retributione data ex mera gratia et bonitate novissimis, qui *una* tantum *hora fecerunt,* [24] et divinae iustitiae ex iusta mercede data primis secundum conventionem; hic mysterium libertatis divinae voluntatis et communicationis divinae bonitatis: An *non licet mihi quod volo facere? An oculus tuus nequam est quia ego bonus sum?* [25] hic tandem mysterium divinae praedestinationis et electionis: *Multi... sunt vocati, pauci vero electi.* [26]

Multa et magna mysteria sub hac parabola proponuntur.

17) Ps 36, 27. 18) Cf. Gn 2, 16-17. 19) Pericope huius diei Mt 20, 1-16. Cf. Missale Rom. 20) Rom 8, 29-30. Vulg.: *Imaginis Filii sui,* etc. 21) Ms.: *Patria* loco: *Terra.* 22) Mt 20, 4. 23) Ibid. vr. 8. 24) Ibid. vr. 12. 25) Ibid. vr. 15. 26) Ibid. vr. 16.

quae, quamvis difficilia captu, facilia erunt si consideretur scopus huius parabolae.

Sunt autem mysteria ista omnia valde difficilia; sed praecipuae difficultates sunt quid sit patremfamilias exire primo mane, hora tertia, sexta, nona et undecima ad vocandum operarios pro vineae cultura; quidnam sit conventio ista ex denario diurno, et tandem quomodo recipientes mercedem qui primi venerunt, murmurant adversus patremfamilias.[27] Quomodo Sancti conqueruntur de Deo et universa gloria paradisi parva illis merces videtur? Sed, viso scopo huius parabolae, facilia omnia erunt. Scopus autem huius parabolae patet ex conclusione et fine. Sic enim parabolam Christus concludit: *Sic erunt novissimi primi, et primi novissimi; multi... sunt vocati, pauci vero electi.*[28] Sed et ante parabolam Christus immediate sententiam hanc protulerat: *Multi... erunt primi novissimi, et novissimi primi,*[29] et tunc parabolam statim subintulit: *Simile est enim regnum coelorum homini patrifamilias.* Quare ad declarandam et elucidandam hanc propositionem Dominus: *Multi... erunt primi novissimi, et novissimi primi,* illustrem hanc parabolam in medium attulit. Quare, ad assequendum sensum verum parabolae iuxta Salvatoris mentem, videndum est ad quid Dominus sententiam istam proposuit: *Multi... erunt primi novissimi, et novissimi primi.*

Hanc parabolam Christus in medium attulit, ut demonstraret magnam mercedem servatam iis esse, qui in voluntaria paupertate ipsum sequuntur.

III. Protulit autem hanc sententiam Dominus statim postquam interrogatus a Petro: *Ecce nos reliquimus omnia et secuti sumus te, quid ergo erit nobis?*[30] ipse Christus respondens explicavit praemium quod consecuturi sunt omnes fideles, qui, relictis omnibus, Christum sequuntur: *Amen dico vobis, quod vos qui secuti estis me, in regeneratione, cum sederit Filius hominis in sede maiestatis suae, sedebitis... super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel. Et omnis qui reliquerit domum,* etc., *centuplum accipiet et vitam aeternam possidebit. Multi autem erunt primi novissimi, et novissimi primi.*[31] Petrus vero motus fuit ad interrogandum Christum de mercede et praemio: *Ecce nos,* etc., quoniam audivit Christum dicentem diviti iuveni: *Si vis perfectus esse, vade, vende* omnia *quae habes et da pauperibus, et veni, sequere me et habebis thesaurum* magnum *in coelo;* quod cum ille audisset, cum esset valde dives, *habens multas possessiones, abiit tristis.*[32]

27) Cf. ibid. vrr. 1-12. 28) Ibid. vr. 16. 29) Ibid. 19, 30. 30) Ibid. vr. 27. 31) Ibid. vrr. 28-30. 32) Ibid. vrr. 21-22. Ordine inverso affert vr. hunc. *Omnia* lect. cod.

Petrus itaque audiens Christum promittentem diviti magnum thesaurum in coelo si magnas relinqueret possessiones in terra, petiit: *Ecce nos reliquimus omnia et secuti sumus te, quid ergo erit nobis?* Cum igitur Christus, explicans Petro mercedem praemiumque in coelo eorum, qui in paupertate spiritus, relictis omnibus, ipsum Christum sequuntur, dixisset nihilo minorem fore pauperum Apostolorum ac discipulorum mercedem in coelo, quam fuisset si dives ille iuxta Christi consilium, relictis omnibus, ipsum Christum secutus fuisset; tunc et hanc sententiam: *Multi primi erunt novissimi, et novissimi primi*, et parabolam, in qua novissimi primo accipiunt mercedem et primi ultimo loco, in medium attulit.

Primi in vineam vocati divites repraesentant, novissimi autem pauperes;

Quare necesse est ut per *primos* intelligamus divites et per *novissimos* pauperes. Sic enim in hoc mundo divites primas [sedes] tenent, pauperes autem ultimo semper sunt loco. Primus erat dives ille adolescens habens multas possessiones, novissimus Petrus cum ceteris Apostolis et discipulis Christi, qui nihil possidebant. Ex his ergo intelligimus patremfamilias esse Deum, primos et novissimos operarios esse divites et pauperes vocatos ad sequendum Christum, denarium diurnum esse thesaurum magnum in coelo: *Centuplum accipiet et vitam aeternam possidebit;* vineam vero proprie non Ecclesiam esse, sed Religionem statumque perfectionis a Christo propositum iuveni: *Si vis perfectus esse, vade, vende* omnia *quae habes et da pauperibus... et veni, sequere me,* [33] cum prius dixisset ei: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata,* qui status est universalis Ecclesiae.

per patremfamilias Deum intelligimus, per vineam vero statum perfectionis in Religione.

Tres parabolas de vinea legimus: una synagogam figurat, alia Ecclesiam, hodierna autem Religionem, seu statum perfectionis,

IV. Hinc tres de vinea parabolas legimus in sacro Evangelio: prima est hodierna; altera est de vinea patrisfamilias mittentis ad eam duos filios, quorum alter se iturum dixit et non ivit, alter vero dixit se nolle ire, et postea poenitentia ductus ivit; [34] tertia est de vinea patrisfamilias, quam plantatam locavit colonis; [35] et haec quidem tertia synagogam significat, extra quam filius patrisfamilias a colonis eiectus occisus fuit; secunda vero significat Ecclesiam, ad quam Gentiles potius et peccatores poenitentia ducti, secundum voluntatem Dei venerunt, quam Iudaei, scribae et Pharisaei, qui iusti habe-

33) Ibid. vr. 21. 34) Cf. ibid. 21, 28-32. 35) Cf. ibid. vrr. 33-43.

ad quem Christus iuvenem divitem invitavit.

bantur[36] Deoque promiserant in Christum Messiam se credituros. Prima vero significat Religionem statumque perfectionis virtutis et gratiae, ad quem vocavit divitem adolescentem Christus dicens: *Si vis perfectus esse,* etc., qui *abiit tristis;* unde Christus ait: *Amen dico vobis, quia dives difficile intrabit in regnum coelorum,*[37] intelligens per regnum coelorum Religionem, sicut saepe Ecclesiam *regnum coelorum* appellavit[38] et synagogam *regnum Dei.*[39]

Tum divites tum pauperes huius mundi ad Religionem a Deo invitantur.

Docet autem ipsa experientia quam paucissimos ex divitibus esse qui sacras Religiones ingrediuntur, ut, relictis omnibus, Christum in paupertate et humilitate sequantur. Ingrediuntur tamen nonnulli a Deo vocati, divinoque spiritu mundum relinquunt, qui in parabola hodierna per primos designantur. Sicut autem inter primos et novissimos medii intersunt, ita in mundo inter ditissimos ac nobilissimos principes hominesque pauperrimos ac vilissimos, qui cibos manu et arte quaerunt, multi sunt homines mediae fortunae, nobiles quidem ac mediocriter divites, et alii quidem aliis nobiliores, alii aliis ditiores,[39a] et ex omnibus hisce statibus Christus ad sacram Religionem vocat. Unde sicut per primos et novissimos designantur ditissimi et pauperrimi, ita per vocatos hora tertia, sexta et nona homines mediae fortunae, qui ad Religionem vocati relinquunt quae possident, alii quidem plus, alii vero minus, sicut alii sunt aliis ditiores, alii aliis nobiliores.

Omnes electi in mercede aequales erunt quoad relinquere omnia.

V. Quod autem omnes aequalem mercedem recipiunt: *Acceperunt singulos denarios .... Pares illos nobis fecisti,*[40] mysterium est; non quod in coelo omnium electorum aequalis sit gloria, nam: *In domo Patris mei,* etc.,[41] et sicut, iuxta Apostolum: *Stella ... differt a stella in claritate, alia* est enim *claritas solis, alia claritas lunae* et *alia claritas stellarum, ita* erit *in resurrectione mortuorum;*[42] sed docet Christus omnes in mercede factos aequales paresque, quod spectat ad relinquere omnia, quae in mundo hoc possidentur. Deus enim non considerat quantum sed ex quanto, non censum sed affe-

36) Cf. Mt 5, 21 sqq.; 23, 1 sqq. 37) Ibid. 19, 23. 38) Cf. ibid. 13, 24. 31. 33. 41. 47; 22, 2; Io 18, 36. 39) Cf. Mt 8, 12; 21, 43. 39a) Ms.: *Nobiliores* repetitur loco: *Ditiores.* 40) Mt 20, 9-12. 41) Io 14, 2. 42) 1 Cor 15, 41.

ctum,[43] non opus sed animum, non manum sed cor: *Respexit... ad Abel et ad munera eius;*[44] *Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas et si tradidero corpus meum ita ut ardeam, caritatem autem non habuero, nihil mihi prodest.*[45] Licet ergo dives multa relinquat, pauper autem pauca, si aequalis est animi voluntas et cordis affectus, aequalis est merces, quia Deus non censum respicit sed affectum. Si dives ille adolescens multas illas suas possessiones reliquisset, magnum utique thesaurum in coelo consecutus fuisset; sed non minorem Petrus, qui, licet pauca dimiserit, omnia tamen dimisit, nec minori animo; quod si maiori animi alacritate et caritate multo minora propter Christum relinquantur, tunc novissimi praeferuntur primis.

quia Deus non censum sed affectum considerat,

Et quidem non immerito in sacrosancto hodierno Evangelio novissimi praeferuntur primis in retributione mercedis: *Voca operarios et redde illis mercedem* suam *incipiens a novissimis usque ad primos.*[46] Quoniam, cum Deus magis animum spectet quam manum, primi quidem ad colendam vineam vocati ab homine patrefamilias, non abierunt nisi conventione facta ex denario diurno; similiter vocati circa tertiam horam, quibus dixit: *Ite et vos in vineam meam, et quod iustum fuerit dabo vobis;* vocatis item circa sextam et nonam horam fecit similiter; sed vocati circa undecimam horam, absque ulla conventione aut promissione, sed cum severa etiam correctione: *Quid hic statis tota die otiosi?* prompto tamen et alacri animo abeunt in vineam. Horum igitur, etsi non maius fuit opus, maior tamen fuit animus et aequalis voluntas; nam respondentes patrifamilias dicenti: *Quid hic statis tota die otiosi?* dixerunt: *Quia nemo nos conduxit.*[47] Si, inquiunt, a primo mane conducti fuissemus, tota utique die laborassemus. Quia igitur meliori prae ceteris omnibus animo et voluntate praediti fuerunt, propterea omnibus praeferuntur et novissimi in labore fiunt primi in mercede.

sed pauperes divitibus praeferentur, si meliori prae istis animo et voluntate praediti fuerint,

Sic utique adolescens ille dives, qui fuit primo mane vocatus ad hanc vineam excolendam: *Vade, vende* omnia *quae habes et da pauperibus, et veni, sequere me, et habebis thesaurum in coelo* magnum. Ecce homo vocatus primo mane, adolescens et dives, ad excolendam vineam,

sicut Petrus et reliqui Apostoli, qui in mundo pauperrimi erant,

43) Cf. S. Gregorius M. *Hom. 5 in Evang.*, (P. L. 76, 1093). 44) Gn 4, 4. 45) 1 Cor 13, 3. 46) Mt 20, 8. 47) Ibid. vrr. 6-7.

ultima hora vocati, in regno coelorum multis prima hora vocatis praeferentur.

ad statum perfectionis, ad Religionem, ad ducendam vitam perfectam, *conventione ... facta ... ex denario diurno : Habebis thesaurum* magnum *in coelo,* non prompto tamen animo ad vineam cultivandam abiit, sed, quia habebat *multas possessiones* eratque dives valde, *abiit tristis.* Sed non sic Petrus, qui undecima fuit hora vocatus cum Andrea fratre suo ad hanc eandem vineam operandam : *Venite post me ... faciam vos fieri piscatores hominum,* statim audientes, *relictis omnibus, secuti sunt eum.* [48] Sic item Iacobus et Ioannes, [49] sic Matthaeus, [50] sic omnes Apostoli, qui in mundo erant novissimi, pauperrimi abiectissimique viri, in regno tamen coelorum facti sunt primi honore, dignitate et mercedis consecutione propter maiorem gratiam et caritatem.

Dicitur autem omnes accepisse aequalem mercedem, quia pro omnibus gloriae coelestis possessio sempiterna erit.

Quoniam vero merces vera virtutis ipsemet Deus est, sicut Abrahae dicitur : *Noli timere, Abraham, ego protector tuus sum et merces tua magna nimis,* [51] Deus autem semper est idem : *Ego sum qui sum,* [52] nec potest esse maior aut minor : *Ego ... Deus et non mutor,* [53] propterea omnibus tam primis quam novissimis merces datur aequalis; quia autem merces est vita aeterna : *Et vitam aeternam possidebit,* ob id etiam merces omnium par est et aequalis, quoniam aeternitas non potest esse maior et minor. Sic enim quoad hoc omnia coeli astra aequalia sunt aevo perpetuo ; sic omnes electi post iudicium et mortuorum resurrectionem, quando omnes perfectam recipient mercedem, vocati a Christo : *Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi,* [54] aequales utique paresque erunt in vitae aeviternitate gloriaeque coelestis perpetua ac sempiterna possessione.

Nec divites conqueri possunt de hac divina dispositione,

VI. Verum enimvero, quia novit Dominus divites mundi, quorum ingenium est pauperibus semper praeesse ac dominari, indignam, imo iniustam et iniquam [55] arbitraturos hanc divini consilii dispositionem: *Voca operarios et redde illis mercedem incipiens a novissimis usque ad primos,* ut cum multo maiora reliquerint et ampliora bona pauperibus, non maiorem tamen et ampliorem mercedem a Deo tandem

48) Ibid. 4, 19-20; Lc 5, 11. 49) Cf. Mt 4, 20-22. 50) Cf. ibid. 9, 9; Lc 5, 27-28.
51) Gn 15, 1. 52) Ex 3, 14. 53) Mal 3, 6. Vulg.: *Ego ... Dominus,* etc.
54) Mt 25, 34. 55) Ms.: *Indignum imo iniustum et iniquum.*

esse consecuturos – nam, si adolescens ille dives aegre tulit omnia relinquere ad consequendum magnum thesaurum in coelo, multo aegrius tulisset, si audisset se Petro aut quovis alio paupere Christum sequente minorem [56] fore consecuturum thesaurum, – ob id Dominus introducit primos recipientes mercedem murmurantes quod non maiorem reciperent: *Venientes autem et primi... acceperunt... et ipsi singulos denarios. Et accipientes murmurabant adversus patremfamilias dicentes: Hi novissimi una hora fecerunt et pares illos nobis fecisti?* [57] Dominus autem ostendit hanc divini consilii dispositionem minime iniustam aut iniquam esse: *Amice, non facio tibi iniuriam*, quia nihil contra ius ago. *Nonne ex denario convenisti mecum? Tolle quod tuum est et vade;* non enim te de tua mercede iuxta conventionem defraudo; non tibi aut retineo aut diminuo mercedem tuam. *Volo autem et huic novissimo dare sicut et tibi,* [58] tibi quidem ex debito iustitiae iuxta conventionem, huic autem gratia et benignitate mea. *Aut non licet mihi quod volo facere* de bonis meis? Quod licet cuilibet principi et homini, qui suorum bonorum liber est dominus, non licebit mihi? *An oculus tuus nequam est quia ego bonus sum?* [59] Num oculos habes torvos et invidiae livore plenos, quibus displicent beneficia aliis exhibita, sicut vespertilionibus omnibusque lucifugis animalibus displicet invisaque est lux? Non dicit nequam esse malumque et invidum huius oculum, nam in Beatis, in quibus summa est caritas, invidia reperiri non potest, haec enim infernalis est furia et in tartareis spiritibus solum inhabitat; sed haec dicit Dominus ad excludendam omnem iustae querelae et murmuris causam atque rationem, et ad ostendendum posse Deum, omni aequitatis et iustitiae servata ratione, novissimos primis pares aequalesque facere et etiam praeferre in gloria et honore, quoniam vita aeterna et beatitudo coelestis non debetur operibus, sed gratiae et caritati, sine qua omnia bona opera et ipsa etiam martyria nihil sunt apud Deum: *Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas et si tradidero corpus meum ita ut ardeam, caritatem autem non habeam, nihil mihi prodest.* Et gratiae quidem debetur gloria ratione iustitiae. Hinc P a u l u s ait: *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi; in reliquo reposita est mihi corona*

quia Deus pro benignitate sua de beatitudine aeterna disponit;

beatitudo enim non operibus debetur, sed gratiae,

56) Ms.: *Maiorem*, loco: *Minorem*. 57) Mt 20, 10-12. 58) Ibid. vrr. 13-14.
59) Ibid. vr. 15.

gratia autem, cui merces ex iustitia debetur, nonnisi ex divina bonitate conceditur.

iustitiae, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex. [60] Sic ex debito iustitiae operariis competit merces, sed gratia non datur ex operibus, ut ait Apostolus *Romanis: Credidit Abraham Deo et reputatum est illi ad iustitiam. Ei autem qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum; ei vero qui non operatur, credenti autem in eum, qui iustificat impium, imputatur fides eius ad iustitiam secundum propositum gratiae Dei;* [61] *In hoc tempore reliquiae secundum electionem gratiae salvae factae sunt; si autem secundum gratiam, iam non ex operibus, alioquin gratia iam non est gratia.* [62] Sed datur gratia secundum voluntatem Dei ex divina caritate et bonitate; hinc cui datur maior gratia, ei datur maior et gloria, quoniam: *Gratia . . . Dei vita aeterna.* [63]

Docet etiam Christus Deum non tantum remunerare bona opera, sed etiam solam bonam voluntatem.

VII. Docet igitur Christus hodie Deum non tantum remunerare bona opera, sed etiam bonam voluntatem sine bonis operibus, quae homo facere quidem voluisset, sed non potuit, et bona quidem opera remunerare ex iustitia, bonam autem voluntatem ex gratia, et praeferri gratiam Dei iustitiae humanae. Sicut bona voluntas praestat suapte natura bonis operibus, et caritas ceteris quibuscunque virtutibus, ob id praeferuntur novissimi primis absque ulla iniuria et iusta querela. Hinc ait uni ex murmurantibus: *Amice, non facio tibi iniuriam; nonne ex denario convenisti mecum? Tolle quod tuum est et vade:* ecce remuneratio ex debito iustitiae; *Volo autem huic novissimo dare sicut tibi:* ecce remuneratio minoris operis, ex aequali tamen bona voluntate secundum rationem gratiae ex divina voluntate; *An non licet mihi quod volo facere?* ecce ratio gratuitae remunerationis; *An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum?* ecce causa omnem murmurationem excludens.

Gloria aeterna naturam non destruit sed perficit.

Et quidem si murmuratio ista non tantum ad similitudinem spectat ex natura parabolae, sed etiam ad significationem et mysterium, naturalis potius erit discursus inferioris rationis, qui in Beatis non destruitur; gloria enim sicut et gratia naturam non destruit, sed perficit. Multa tamen appetit inferior voluntas et ratio, quae superior renuit. Sic Christus secundum inferiorem rationis portionem dicebat:

60) 2 Tim 4, 7-8. 61) 4, 3-5. Vulg.: *Reputatur fides*, etc. 62) Ibid. 11, 5-6.
63) Ibid. 6, 23.

Pater, si vis, transfer calicem hunc a me; [64] sic et Abraham ad epulonem ait: *Chaos magnum inter vos et nos constitutum est, ut hi qui volunt hinc transire ad vos, non possint.* [65] Quid est: *Volunt hinc transire ad vos?* Naturali utique voluntate, secundum inferiorem rationem volunt parentes beati damnatis filiis subvenire, quos vident in tormentis positos. Sic, inquam, secundum naturalem discursum inferioris rationis videbatur primis quod, si non ex iustitia, ex condecentia tamen et ex congruo, si non ex condigno, sibi, qui tota die laboraverant, maior debebatur merces quam illis, qui una tantum hora labori operam dederant. Murmur ergo inferioris est rationis, cui optime Christus respondet facti dispositionisque divini consilii causam rationemque assignans divinam tum voluntatem tum bonitatem.

Ideo in Beatis naturalis voluntas et discursus inferioris rationis existit.

Unde tandem parabolam concludens: *Sic,* inquit, *erunt novissimi primi, et primi novissimi.* Non dicit omnes primos fore novissimos, sed multos fore, sicut prius dixerat: *Multi erunt primi novissimi, et novissimi primi.* Neque enim omnes divites sunt sicut epulo, neque omnes pauperes sicut Lazarus. [66] Patriarchae enim ditissimi fuerunt, et tamen sanctissimi; Iudas vero pauperrimus et tamen scelestissimus proditor ob nimiam avaritiam. [67] Sic in Religione multi, qui in saeculo divites nobilesque fuerunt, multo sunt meliores, humiliores et spiritu ferventiores multis, qui fuerant in saeculo pauperes et abiecti, nati ex vilissima plebe.

Non omnes divites mali sicut nec omnes pauperes boni, ideo non omnes erunt novissimi primi nec primi novissimi.

VIII. Quod vero tandem intulit Christus: *Multi enim sunt vocati, pauci vero electi,* ad superiora referendum est. Siquidem, cum vidisset Dominus adolescentem tristem factum ex facta sibi impositione ut, venditis ac relictis omnibus, ipsum Christum sequeretur, dixit Apostolis: *Amen dico vobis quia dives difficile intrabit in regnum coelorum. Et iterum dico vobis, facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum coelorum,* [68] idest salvari. Sic enim intellexerunt Apostoli, unde dixerunt mirati valde: *Quis ergo poterit salvus esse?* Quibus Dominus: *Apud homines hoc impossibile est, apud Deum autem omnia possibilia sunt.* [69] Ait igitur: *Multi*

Hodierna parabola Christus etiam docet mysterium vocationis multorum et electionis paucorum, secundum dispositionem divini consilii.

64) Lc 22, 42. 65) Ibid. 16, 26. Vulg.: *Inter nos et vos chaos magnum firmatum est,* etc.
66) Cf. ibid. vrr. 19-22. 67) Cf. Mt 26, 15-16; Io 12, 4; 13, 2; Act 1, 16-18.
68) Mt 19, 23-24. 69) Ibid. vrr. 25-26.

sunt vocati et divites et pauperes, sed *pauci electi*, qui cum fide caritatem coniungentes et gratiam usque in finem et tandem gloriam consequantur vitamque aeternam. Sic itaque clarum est quod Dominus nos parabola praesenti haec doceat, nempe mysterium vocationis et electionis secundum dispositionem divini consilii, vocationis multorum, electionis vero paucorum. *Multi sunt vocati* primo mane, hora tertia, sexta, nona et undecima, *pauci vero electi*, ut ex novissimis fiant primi. Sic enim Christus ex multis discipulis duodecim tantum elegit Apostolos, [70] ut principes essent Ecclesiae. Unde qui novissimi erant in mundo, facti sunt in Ecclesia et paradiso primi, et ex his unum tantum, Petrum, constituit Vicarium suum unicumque principem et caput Ecclesiae, [71] non [72] plures, ut fieri volebant filii Zebedaei. [73] Deinde praetulit novissimos primis quoad dignitatem et honorem, non quoad ampliorem mercedem qua omnes fuerunt pares. Sicut Hebraeis in deserto dedit quidem ex populo principes, [74] sed quoad mensuram mannae omnes voluit esse aequales, omnes per singulos dies aequalem accipiebant mensuram. [75]

sicut demonstravit in electione Apostolorum.

IX. Legimus in Divinis Scripturis quod aliquando Deus plus requirit a divitibus quam a pauperibus, aliquando nil minus a pauperibus quam a divitibus. In sacrificiis nonnullis, uti purificationis et emundationis, divites tenebantur offerre agnum, sed pauperes turturem vel columbum, [76] rem multo minoris pretii ; sed in enumeratione populi omnes tenebantur aequale pretium offerre, dimidium sicli, idest decem obolos, nec dives poterat plus offerre nec pauper minus. [77] Hoc autem non immerito, quoniam ad bene agendum duo necessaria sunt : velle et posse : *Deus est... qui operatur in nobis et velle et perficere pro bona voluntate ;* [78] *Velle adiacet mihi, perficere autem non possum.* [79] Et quoad primum quidem, non omnes aequales sunt, sed alii aliis potentiores ; non omnes aeque possunt eleemosynas facere, ieiunare, orare et alia huiuscemodi bona opera facere. Quoad secundum vero, omnes per omnem modum aequales

Deus magis respicit bonam voluntatem quam opus bonum;

quia autem non in omnibus haec bona voluntas aequalis est,

70) Cf. Mc 3, 13-19; Lc 6, 13. 71) Cf. Mt 16, 15-19. 72) Ms. : *Ut* loco: *Non.* 73) Cf. Mt 20, 20-28. 74) Cf. Nm 11, 16-27. 75) Cf. Ex 16, 16-19. 76) Cf. Lv 14, 12-22 ; Lc 2, 24. 77) Cf. Ex 30, 13-15. 78) Phil 2, 13. Vulg.: *Qui operatur in vobis*, etc. 79) Rom 7, 18. Vulg.: *Non invenio.*

sunt; sicut enim essentia humanae naturae ab omnibus hominibus aequaliter participatur, nec homo iste magis est homo quam homo ille, sic voluntas in omnibus hominibus aequalis est. Nemo est qui possit dicere: Non possum velle bonum. Omnis ignis aeque est calidus, et omnis animus aeque est voluntate libera praeditus. Et Deus quidem bonam voluntatem magis respicit quam bonum opus. Hinc, si pauper non potest eleemosynam dare, infirmus ieiunare et orare, habens bonam voluntatem in animo et corde suo quod, si facultas adesset bona, haec opera quam libentissime faceret, habet haec bona voluntas apud Deum mercedem suam, quoniam non requirit a nobis Deus quae non possumus, sed quae possumus et valemus. Hinc Christus videns eos qui dona offerebant in templo, praetulit viduam offerentem duo tantum minuta multis divitibus, qui multam offerebant pecuniam, [80] ratione utique bonae voluntatis. Et saepe accidit ut qui minus ieiunant, orant et externa bona opera faciunt ex impotentia, habentes tamen bonam voluntatem, apud Deum magis mereantur quam illi qui multo maiora operantur, quoniam humilius de seipsis sentiunt et: *Qui se humiliat, exaltabitur.* [81] Sic Christus praetulit publicanum pharisaeo ob humilitatem, [82] sic praetulit hodie Christus novissimos primis, eos qui se multo minus mereri arbitrabantur illis, qui putabant se multo magis mereri, quoniam: *Qui se humiliaverit, exaltabitur;* [83] *Excelsus Dominus et humilia respicit et alta de longe cognoscit.* [84] Sic Dominus praetulit peccatricem poenitentem Simoni pharisaeo, [85] et Pharisaeis dixit: *Publicani et meretrices praecedent vos in regno Dei* [86] agentes poenitentiam de peccatis suis: *Gaudium* enim est *in coelo coram Angelis Dei super uno peccatore poenitentiam agente,* magis *quam supra nonaginta ... iustis, qui non indigent poenitentia.* [87] Sic si peccator in senectute convertatur ex toto corde ad Deum et magno cum spiritus fervore Deo parvo temporis spatio serviat, praeferetur multis, qui toto tempore vitae suae Deo servierint, tepide tamen et multa cum segnitie ac negligentia, sine ardenti studio semper magis magisque proficiendi in caritate usque ad summam perfectionem: *Estote ... perfecti sicut Pater vester coelestis*

Ideo saepe maiorem recipit mercedem qui minora bona operatur ex impotentia, habens tamen bonam voluntatem,

quam ille qui multo maiora operatur, tepide tamen et multa cum negligentia.

80) Cf. Lc 21, 2-4. 81) Ibid. 14, 11; 18, 14. 82) Cf. ibid. 18, 10-14. 83) Mt 23, 12. 84) Ps 137, 6. Vulg.: *A longe cognoscit.* 85) Cf. Lc 7, 36-50. 86) Mt 21, 31. Vulg.: *In regnum Dei.* 87) Lc 15, 7. 10. Vulg.: *Quam super,* etc. Ordine inverso affert hos vrr.

perfectus est; [88] sic: *Erunt novissimi primi, et primi novissimi,* quoniam *multi... sunt vocati* ad summum perfectionis gradum, *pauci vero electi,* qui eum consequantur.

Remuneratio autem huius bonae voluntatis opus est misericordiae et bonitatis divinae.

Et vult Deus ut gratia divina humanae praeferatur iustitiae, sicut coelum terrae, sol lunae, Angelus animali, Deus praefertur homini. Remunerare enim bonam voluntatem sine operibus, cum non adest facultas operandi, sed tantum efficax voluntas aeque ac ipsa bona opera, opus utique misericordiae et gratiae est non iustitiae, ubi infinita elucet Dei bonitas, benignitas et clementia.

Requirit a nobis Deus opera bona,

X. *Voca operarios et redde illis mercedem* suam. Requirit a nobis Deus opera bona, quoniam *ad imaginem et similitudinem suam* [89] nos condidit. Quaecunque autem suapte natura similia sunt, similia operantur, [90] sicut sol et luna, stellae et cometae. Hinc, cum hominem condidisset, *posuit eum in paradiso voluptatis, ut operaretur et custodiret illum,* idest ut opera bona faceret et conservaret. Cum autem *ad imaginem et similitudinem Dei* conditi simus, necesse est ut Deus sit exemplar nostrum quod semper prae oculis habeamus ut imitari possimus, nam ait: *Sancti eritis quia ego sanctus sum Dominus Deus vester;* [91] *Estote... perfecti sicut et Pater vester coelestis perfectus est.* Et Paulus ait: *Imitatores... Dei estote sicut filii carissimi.* [92]

quia in praesenti vita necesse est ut semper laboremus, semper ad perfectiora tendentes,

Legimus Dei operationem et quietem; sed sex diebus operatus est Deus, uno autem quievit ab omni opere. [93] In praesenti vita necesse est ut multo tempore laboremus et parum quiescamus. Multa Deus operatus est, et magna et parva et sublimia et humilia. Creavit coelum et terram, in coelo stellas et in terra plantas. [94] Sic nos quoque necesse est ut magna faciamus et humilia exercitia non abhorreamus. Operatus est Deus multa, sed non confuse, imo ordinatissime, idest omnia tempore suo. Sic ait Apostolus: *Omnia... ordinate fiant in vobis.* [95] Necesse est ut habeamus tempora distincta et horas de-

88) Mt 5, 48. 89) Gn 1, 26-27; 5, 1; 9, 6. 90) Axioma philosophicum, de quo cf. Arist. *Analyt. Post.*, t. 1, cp. 17, pag. 108-109. 91) Lv 11, 44-45, Ordine inverso affert hos vrr. 92) Eph 5, 1. 93) Cf. Gn 2, 1-3. 94) Cf. ibid. 1, 1-18.
95) 1 Cor 14, 40. Vulg.: *Secundum ordinem fiant. In vobis* legitur in veteribus editionibus Vulg., cf. *Biblia Lovaniensis.* In posterioribus autem, iussu Clementis VIII recognitis, haec verba expuncta fuerunt.

terminatas ad operandum, nam : *Omnia tempus habent, et suis spatiis transeunt universa sub sole ;* [96] sicut natura ipsa ordinatissime operatur omnia, haec quidem vere, illa autem aestate, alia autumno et alia hieme, haec prius, illa posterius. Deus in sua operatione processit semper ad meliora et perfectiora, a tenebris ad lucem : *Et divisit lucem a tenebris ;* [97] a confusione ad ordinem, dividens aquas superiores ab inferioribus, distinguens inferiora elementa, dividens mare a terra et ordinans disponensque omnia suis locis; fecit prius plantas, postea animalia et tandem hominem, quod opus est omnium perfectissimum. [98] Sic monet Apostolus ut ad perfectionem feramur. Sicut natura efficit in nostra formatione ab embryone ad corporis totius organizationem, hinc ad perfectam formationem, ad nativitatem, ad infantiam, ad pueritiam, ad adolescentiam, ad iuventutem et ad virilem aetatem; sic nos procedere oportet a virtutibus moralibus ad purgatorias, ab his ad virtutes animi purgati, ab his ad heroicas et exemplares, sicut de Christo Domino nostro legimus quod *proficiebat sapientia et aetate et gratia apud Deum et homines.* [99] Sic Angeli per coelestem scalam ascendebant de gradu in gradum ad Deum. [100]

sicut Deus ipse in creatione semper ad meliora et perfectiora processit,

Tandem in divina operatione reperitur perseverantia ; non enim a coepto opere destitit quousque omnia ultima perfectione complevit. Ait enim quod *perfecti sunt coeli et terra et omnis ornatus eorum, complevitque Deus die septimo opus suum quod fecerat ;* [101] hinc alibi ait quod *Dei perfecta sunt opera.* [102] Sic Deus a nobis in bonis operibus perseverantiam usque in finem requirit : *Qui ... perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* [103] Hinc hodie : *Cum sero ... factum esset, dicit dominus vineae procuratori suo : Voca operarios et redde illis mercedem* suam. Ad recipiendam ergo mercedem bonorum operum requiritur perfectio operis et finalis perseverantia : *Quis enim* homo *volens turrim aedificare, non prius sedens computat sumptus, qui necessarii sunt, si habeat ad perficiendum, ne posteaquam posuerit fundamentum et non potuerit perficere, omnes qui viderint, incipiant illudere ei dicentes : Quia hic homo coepit aedificare et non potuit consummare?* [104] Mundani homines, qui secundum carnem vivunt, [105] spiritu satanico

et cum perseverantia bonis operibus incumbamus,

quia merces non datur nisi perseverantibus usque in finem.

96) Eccle 3, 1. 97) Gn 1, 4. 98) Cf. ibid. vrr. 6-27. 99) Lc 2, 52. 100) Cf. Gn 28, 12. 101) Ibid. 2, 1-2. 102) Dt 32, 4. 103) Mt 10, 22; 24, 13. 104) Lc 14, 28-30. Vulg.: *Omnes qui vident*, etc. 105) Cf. Rom 8, 12-13.

ducti perseverant in malis, sicut qui turrim Babel aedificabant a coeptis desistere minime volebant, sed divinitus praepediti fuerunt. [106] Sic iusti divino spiritu afflati bona opera perficere satagunt: Noe perfecit arcam, [107] Moyses divinum sanctuarium, [108] Salomon templum. [109] *Voca operarios et redde illis mercedem* suam *incipiens a novissimis.*

Uno tantum opere bono iustus a Deo mercedem accipit;

XI. *Hi novissimi una tantum hora* laboraverunt, et tamen totius diei mercedem denarium acceperunt. Uno enim opere bono vir iustus multa apud Deum meretur, sicut de Noe legimus quod, cum obtulisset Domino sacrificium de animalibus mundis, *odoratus ... est Dominus odorem suavitatis et ait: Nequaquam ultra maledicam terrae propter hominem ...; non ultra igitur percutiam omnem animam viventem sicut feci. Cunctis diebus terrae, sementis et messis, frigus et aestus, aestas et hiems, nox et dies non requiescent.* [110] *Benedixitque Deus Noe et filiis suis,* etc. [111] Uno opere bono meruit sibi et filiis suis divinam benedictionem et toti mundo salutem temporumque ordinatissimam seriem, iuxta rerum exigentiam ad generationem et conservationem naturalium rerum.

sed et ipsum opus bonum in affectu, in voto tantum, non effectu, apud Deum multa meretur,

Imo tanta est Dei bonitas et benignitas, ut vir iustus uno opere bono, non quidem in effectu, sed in affectu, in voto, in animi voluntate, apud Deum multa mereatur, sicut de Abraham legimus; non enim opere complevit Abraham sacrificium Isaac, sed tantum animo et voluntate, et tamen Deus dixit ei: *Per memetipsum iuravi, dicit Dominus: quia fecisti hanc rem et non pepercisti filio tuo unigenito propter me, benedicam tibi et multiplicabo semen tuum sicut stellas coeli et velut arenam quae est in litore maris; possidebit semen tuum portas inimicorum suorum, et benedicentur in semine tuo omnes gentes terrae, quia obedisti voci meae.* [112] Salomon una oratione multam meruit sapientiam, multam felicitatem et gloriam; [113] et pater eius David, quia voluit aedificare templum Domino, magnam accepit remunerationem. [114]

Imo respicit Dominus magis animum quam opus: *Respexit ... ad Abel et ad munera eius.* [115] Sic Christus praetulit pauperculam viduam

106) Cf. Gn 11, 1-9. 107) Cf. ibid. 6, 9-7, 1-5. 108) Cf. Ex 40, 1 sqq. 109) Cf. 3 Rg 6, 1 sqq.; 2 Par 3, 1 sqq. 110) Gn 8, 20-21. Vulg.: *Propter homines ... non igitur ultra,* etc. 111) Ibid. 9, 1. Vulg.: *Filiis eius.* 112) Ibid. 22, 16-18. 113) Cf. 3 Rg 3, 5-12; 6, 29-32. 114) Cf. 2 Rg 7, 4 sqq. 115) Gn 4, 4.

mittentem in gazophylacium templi duo minuta aeris multis divitibus magnas eleemosynas magnaque donaria offerentibus. Sic in hodierno Evangelio novissimi praeferuntur primis, quoniam solum ut patrifamilias morem gererent, abierunt in vineam. Beatum virum qui, parum licet operari possit vel ex infirmitate vel alia quavis iusta causa, tamen parum illud quod operatur, propter Deum operatur solum ut placeat Deo, absque ullo mercedis intuitu, ita ut Deum diligat propter Deum, quia omni dignus est amore et honore! Haec enim sunt opera quibus Deus maxime delectatur, summopere ei placent, haec desiderat quam ardenter.

sicut Christus ipse ostendit in hodierno Evangelio.

XII. Ostendit quidem hodiernum Evangelium quod Deus bona opera requirit; nam propterea exiit primo mane valde diluculo, deinde hora tertia et sic consequenter usque ad undecimam, quod perseverantiam desiderat in bonis operibus: *Cum sero factum esset ait...: Voca operarios;* nam: *Qui... perseveraverit usque in finem, hic salvus erit; Beati mortui qui in Domino moriuntur... ut requiescant a laboribus suis; opera enim illorum sequuntur illos.* [116] Sed maxime delectatur bona voluntate, magna animi devotione, promptitudine spiritus. Hinc novissimos primo loco remunerat: *Redde illis mercedem incipiens a novissimis usque ad primos.*

Ex hodierno Evangelio patet Deum magis animum respicere quam opus et maxime delectari bona voluntate et promptitudine spiritus;

Utinam nos vere agnosceremus quantopere desideret Deus cultum vineae suae, cultum, inquam, virtutum, caritatis, religionis et pietatis! Hoc Dominus describit hodie, quoniam ait non quod misit servos ad conducendos operarios, sed quod *exiit* ipse in propria persona; nam proverbio dici solet: « Qui vult vadat et qui non vult mittat ». [117] Nec tantum quod *exiit*, sed quod *primo mane*, surgens valde diluculo, cum nobiles somno maxime delectantur. Sed magnum desiderium agendi aliquid hominem dormire non sinit cupitque ut cito dies fiat; hora una videtur centum anni. Sic *exiit primo mane*, nec semel tantum, sed quater et quinquies tota die. Magna profecto sollicitudo magnum indicat animi desiderium, quod etiam correptio facta otiosis insinuat:

patet etiam quam maxime Deum velle ut nos virtutibus operam demus;

116) Apc 14, 13. 117) Proverbium italicum nostris quoque diebus vulgatissimum, significans negotia, quae nos premunt, nos ipsos tractare debere, non aliis committere. Sic item dicitur: « Non è più bel messo, che se stesso ». Cf. Gio. Gherardini *Vocabolario della Lingua Italiana*, sub vocibus: *Leccare, Volere.*

ideo multos vocat a foro saeculi ad ad vineam Religionis.

Quid hic statis tota die otiosi? Displicet Deo otium, quoniam virtutum opera desiderat, maxime vero opera perfectionis christianae. Hinc Deus multos vocat a foro saeculi ad vineam sacrae Religionis : *Si vis perfectus esse, vade, vende* omnia *quae habes, et veni, sequere me et habebis thesaurum* magnum *in coelo.* Saeculum forum est, locus negotiorum ; Christus tamen saecularia negotia *otia* appellat, quoniam nihil sunt haec apud Deum. Qui thesaurizat in terra, nihil agit, otiatur; qui autem thesaurizat in coelo, hic operatur, nam alioquin: *Dormierunt somnum suum et nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis.* [118] Vita saeculi somnium quoddam est. Somniat aliquando dormiens se multa agere et operari, at vere otiatur. Sic Christus vocat mundanos negotiatores otiosos : *Quid hic statis tota die otiosi?... Ite et vos in vineam meam.*

II. ALIA HOMILIA

Simile est regnum coelorum homini, etc. [1]

Homo ad imaginem Dei formatus factorem suum in operando imitari debet.

I. Creavit Deus hominem sibi similem, [2] sicut luna similis soli est ; quae autem suapte natura similia sunt, similia utique operari possunt ; [3] qualis nanque uniuscuiusque rei essentia est, talis est et facultas virtusque operandi. Luna soli similis simile lumen emittit ; sic omnia gravia terrea natura essentiaque constantia: lapides, metalla, ligna, tendunt deorsum ; levia vero, aerea igneaque, sursum. Sic omnes plantae vegetantur, crescunt, frondescunt et seminificant ; omnia animalia vivunt, sentiunt, generant ; aves volant, pisces natant, gressilia ambulant. Quaecunque igitur suapte natura similia sunt, similia operari possunt. Homo autem Deo similis similiter operari potest. Hinc, cum plantasset Dominus paradisum voluptatis, tulit et posuit in eo hominem, *ut operaretur et custodiret,* sive conservaret *illum.* [4] Hoc autem est quod, cum in Evangelio Christus introducat Deum vocantem homines ad colendum vineam suam, idest ad bene operandum iusteque et sancte vivendum, Ecclesia in matutino officio introducit

118) Ps 75, 6.

1) Mt 20, 1. 2) Cf. Gn 1, 26-27; 5, 1; 9, 6. 3) Cf. supra, not. 90 praec. hom., pag. 38. 4) Cf. Gn 2, 8-15.

Deum operantem et creantem mundum : *In principio creavit Deus coelum et terram.* [5]

Et Deus quidem dupliciter operatur : intra se et extra se. Intra se opere intellectus ex fecunda memoria generando Filium, et opere voluntatis spirando Spiritum Sanctum ; et extra se creando coelum et terram cum omnibus quae in eis sunt. Sic homini duplex dedit genus vitae : contemplativae et activae, interioris et exterioris, spiritualis et corporalis : *Ut operaretur et custodiret illum.* Vita contemplativa similis est operationi Dei ad intra. Haec enim praecipue in lucida Dei cognitione et ardenti amore consistit, in duplici opere intellectus et voluntatis, ut intellectus Deum perfecte cognoscat et voluntas perfectissime diligat. Extra se vero homo exercet opera vitae activae, quae praecipue quattuor instruitur virtutibus cardinalibus, sicut contemplativa tribus theologicis. Et haec quidem similis est operationi Dei ad extra, qua *creavit coelum et terram.*

et sicut Deus operatur intra se opere intellectus et voluntatis, et extra se opere creationis,

ita homo contemplative et active operari debet.

II. Opera autem vitae activae duplicia sunt ; quaedam enim spectant ad cultum et honorem Dei, quaedam vero ad proximi utilitatem. Ob id enim divina lex in duabus tabulis lata fuit, [6] et in duobus praeceptis *universa lex pendet et Prophetae.* [7] Haec sunt duo magna mundi corpora : coelum et terra ; coelum pietas erga Deum cultusque divinus, terra pietas erga homines operaque misericordiae. Et in hoc quidem opere creationis tria fecit Deus : produxit entia, distinxit et ornavit. Produxit, cum *creavit coelum et terram ;* distinxit, cum *divisit lucem a tenebris,* [8] fecit *firmamentum in medio aquarum* et congregavit aquas in locum unum, ut appareret arida ; [9] ornavit terram plantis et animalibus, aquam piscibus, aerem avibus, coelum astris. [10] Sic nobis tria facienda sunt : operari bona ; secernere bona a malis virtutesque a vitiis, ut iuste quod iustum est exequamur, secernamus etiam a bonis meliora, a melioribus optima ; ac tandem multis operibus supererogationis : orationibus, ieiuniis, eleemosynis et aliis pietatis operibus ornemus observantiam divinae legis.

Opera vitae activae duplicia sunt: alia quae spectant ad cultum Dei, alia vero ad proximi utilitatem.

III. Aliud item observandum est in operatione Dei, quod est processus semper ad meliora. Primo enim creavit nuda et simplicia

Sicut Deus in creatione processit semper ad perfectiora,

5) Ibid. 1, 1. Cf. Breviarium Rom. prima lectio ad Mat. 6) Cf. Ex 31, 18. 7) Mt 22, 40. 8) Gn 1, 4. 9) Cf. ibid. vrr. 6-9. 10) Cf. ibid. vrr. 11-27.

sic homini procedendum est a virtutibus imperfectis ad perfectiores.

elementa valde confusa et inornata. Deinde distinxit atque ornavit et in ornatu ad meliora semper processit; prius enim ornavit terram plantis, deinde coelum astris; et in ornatu quidem elementorum prius produxit plantas quam animalia, et prius animalia imperfectiora: pisces et aves, deinde perfectiora: iumenta, inquam, oves, boves, camelos, equos, leones, et tandem hominem omnium animalium perfectissimum. Sic nobis procedendum est a virtutibus moralibus ad purgatorias, a purgatoriis ad virtutes animi purgati, ab his ad heroicas et exemplares, quae hominem vere Deo similem constituunt.[11] Sic enim in templo Dei procedebatur ab atrio in sancta, et a sancta in sancta sanctorum.[11a] Sic via salutis designata est in scala Iacob;[12] sic in mundo hoc ascenditur a terra in coelum per aquam et aerem ignemque, et homo ad virilem perfectamque aetatem pervenit per infantiam, pueritiam, adolescentiam et iuventutem. Ad legem etiam evangelicam deventum est per legem naturae et per legem mosaicam.

Ut fideliter huic labori incumbamus spes magnae mercedis fideles excitare debet.

IV. Ne autem putemus impossibile esse dominicam hanc sic in perfectione vitae excolere vineam, introducit Ecclesia Paulum eximium huius vineae cultorem, qui tamen homo fuit sicut nos sumus, in peccato conceptus, natus et educatus, usque ad tempus quo ad colendam hanc vineam vocatus fuit.[13] Hic autem in hodierna Epistola primo monet homines fideles ut magnae mercedis intuitu in hac vinea colenda fideliter laborent: *Nescitis*, inquit, *quod ii qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium? Sic currite ut comprehendatis. Omnis enim qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet; et illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam.*[14]

In hoc autem labore agitur de operibus iustitiae ac divinae legis observantia.

Cultura huius vineae consistit in operibus iustitiae ac divinae legis observantia; iustitia autem duas habet partes: *Declina a malo et fac bonum.*[15] Et divinae legis praecepta sunt haec quidem affirmativa praecipientia bonum, illa autem negativa prohibentia malum. Hinc P a u l u s vult nos currere in via mandatorum Dei operando bonum et pugnare contra diabolum, mundum et carnem cum vitiis et

11) De distinctione harum virtutum cf. Lud. Caelius *Lect. Antiq.*, lib. 7, cp. 1, col. 314.
11a) Cf. 3 Rg 6, 8. 12) Cf. Gn 28, 12. 13) Cf. Act 9, 1-20. 14) 1 Cor 9, 24-25. Vulg.: *Omnis autem*, etc. Cf. Missale Rom. 15) Ps 36, 27.

concupiscentiis suis, ut vitemus malum. Hinc Dominus vitam evangelicam comparavit homini volenti aedificare turrim et regi volenti committere bellum adversus alium regem,[16] quoniam ad perfectam iustitiam haec duo necessario requiruntur: vincere tentamenta diaboli ne peccemus, et bonis operibus thesaurizare nobis in coelo[17] ex vivisque lapidibus[18] aedificare nobis magnum palatium in superna civitate Ierusalem et currere ad bravium felicitatis aeternae.

quae homini impossibilia non sunt,

Haec autem homini impossibilia non esse ostendit in seipso Paulus dicens: *Ego igitur sic curro, non quasi in incertum; sic pugno, non quasi aerem verberans; sed castigo corpus meum et in servitutem redigo, ne ... cum aliis praedicaverim, ipse reprobus efficiar.*[19] Hoc est hanc vineam colere: mortificare carnem et non carnis opera, sed spiritus fructus afferre: *Fructus autem spiritus est caritas*, etc.[20] Declarat etiam Paulus quid sit denarius diurnus metaphora bravii quod datur optime currenti, et coronae quae ab imperatore datur optime pugnanti ac vincenti. Sed *coronam*, inquit, *incorruptam* ac, ut Divus Petrus ait, *immarcescibilem gloriae coronam*,[21] quod Christus dixit *vitam aeternam* et magnum *thesaurum in coelo*.[22]

sicut Divus Paulus ostendit et docet.

Ad hunc igitur denarium accipiendum Paulus currit: *Sic curro, non quasi in incertum; curro* et *pugno ... ne reprobus efficiar;* laboro in vinea ut mercedem consequar, nam: *Non coronabitur, nisi qui legitime certaverit;*[23] non accipiet mercedem, nisi qui fideliter laboraverit. Hinc: *Multi ... sunt vocati, pauci vero electi.*[24] Quod Paulus miro modo declarat dicens: *Nolo ... vos ignorare, fratres, quoniam patres nostri omnes sub nube fuerunt, et omnes mare transierunt, et omnes sub Moyse baptizati sunt in nube et in mari, et omnes eandem escam spiritalem manducaverunt, et omnes eundem potum spiritalem biberunt. Bibebant autem de spiritali, consequente eos, petra, petra autem erat Christus. Sed non in pluribus eorum beneplacitum est Deo; nam prostrati sunt in deserto. Haec autem in figura facta sunt nostri, ut non simus concupiscentes malorum.*[25] Omnes, inquit, Hebraei vocati sunt a Deo ad colendam hanc vineam, omnes educti ex Aegypto ad serviendum Deo, omnes divinam legem de coelo a Deo

16) Cf. Lc 14, 28-32. 17) Cf. Mt 6, 20. 18) Cf. 1 Petr 2, 5. 19) 1 Cor 9, 26-27. 20) Gal 5, 22. 21) 1 Petr 5, 4. 22) Cf. Mt 19, 21. 29. 23) 2 Tim 2, 5. 24) Mt 20, 16. 25) 1 Cor 10, 1-6. Vulg.: *In Moyse*, etc.

latam servandam susceperunt; sed latam legem transgredientes, omnes perierunt in deserto, non ingredientes in terram promissionis, sed ex sexcentis sexaginta sex millibus, qui educti sunt de Aegypto,[26] duo tantum viri, Iosue et Caleb, ingressi sunt in terram promissionis.[27] Sic: *Multi ... sunt vocati, pauci vero electi,* quoniam *haec ... in figura facta sunt nostri, ut non simus concupiscentes malorum.*

Eadem est in Beatis felicitas quoad animi voluptatem, differens autem quoad gradum gloriae.

V. *Acceperunt singulos denarios,*[28] sed *novissimi* facti sunt *primi, et primi novissimi.*[29] Duo sunt genera bonorum: quaedam sunt intra hominem, quaedam extra. Intra hominem, voluptas animi sensuumque; extra hominem, divitiae et honores. Sic in coelo beatitudo consistit in summa perpetuaque animi voluptate una cum perpetuo honore et gloria. Et quoad animi quidem voluptatem omnes aequales sunt, nec est alter altero beatior; quoad gradum vero honoris et gloriae, alter est altero maior, uti si paterfamilias multos habeat filios, quamvis alter sit altero maior, omnes tamen aeque sunt filii, et quamvis maiores maiores accipiant stolas sericas aureasque, minores vero minores, ex eodem tamen serico auroque, aeque tamen omnes contenti sunt, nec minor maiori invidet quod maiorem habeat stolam. Sic videmus in sacrosancto hodierno Evangelio aequalitatem, quia *acceperunt* omnes *singulos denarios,* aequalem mercedem, merces enim propria beatitudo est summique boni sempiterna fruitio, in quo omnes electi atque Beati aequales sunt; inaequalitatem vero gradus et honoris, quia quidam sunt primi, quidam novissimi. Sic in Divinis Scripturis legimus aequalitatem in distributione mannae,[30] inaequalitatem vero in divisione terrae promissionis.[31]

Pro omnibus autem infinita erit

Christus nobis hodie aeternam coeli gloriam denarii hieroglyphico repraesentat, quam prius dixerat *thesaurum* magnum *in coelo vitamque aeternam,* et alibi octo beatitudinibus explicuerat: *Quoniam ipso-*

26) Non concordat hic numerus a S. Auctore signatus cum eo qui refertur in S. Scriptura. Ex 12, 37 legitur: *Sexcenta fere millia peditum virorum absque parvulis.* Forte S. Auctor ponit determinatum numerum illum pro indeterminato; subiungitur enim vr. 38: *Sed et vulgus promiscuum innumerabile ascendit cum eis.* Notandum tamen quod pluries S. Auctor hunc numerum repetit. Cf. infra, Feria Secunda Dom. Primae Quadr., hom. prima, not. 18; hom. secunda, not. 25; Feria Secunda Dom. Tertiae Quadr., hom. tertia, not. 46. 27) Cf. Nm 14, 21 sqq.; Dt 1, 29-38. 28) Mt 20, 9. 29) Ibid. vr. 16. 30) Cf. Ex 16, 16-22. 31) Cf. Ios 13, 1 sqq.

rum est regnum coelorum... ipsi possidebunt terram... ipsi consolabuntur... ipsi saturabuntur... ipsi misericordiam consequentur... ipsi Deum videbunt... ipsi filii Dei vocabuntur... merces vestra magna est in coelis. [32] Nec immerito Christus coelestem beatitudinem denarii hieroglyphico hodie figuravit. In denario enim est materia argenti, quod, post aurum, in metallis principem locum tenet; est forma, impressio imaginis principis cum suo nomine atque stemmatibus; est figura rotunda et circularis, quae in planis est omnium perfectissima, et est valor decem obolorum. Numerus autem denarius sphaera est omnium numerorum, omnes continet numeros, nec potest ultra procedi. Sic gloria paradisi bonum est, post Deum, omnium maximum; est perfecta similitudo Dei: *Similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est;* [33] ibi omnis perfectio et nulla penitus imperfectio cum aeternitate vivendi, et ibi omne bonum: *Ego ostendam tibi omne bonum.* [34]

et absolute perfecta, quod Christus ostendit hieroglyphico denarii.

VI. Sacrosancti hodierni Evangelii parabola, quam Matthaei Angelus hodie voce et sono angelicae tubae per universam Ecclesiam praedicans resonare facit, vere plena est angelica sapientia, plena coelesti philosophia, totius sacrae theologiae compendium et summa totius Evangelii, in qua triplex nobis mundus describitur: saecularis, ecclesiasticus et divinus; mundus naturae, mundus gratiae et mundus gloriae. Mundus saecularis, in quo naturalem ducimus vitam, per forum describitur, ubi multi reperiuntur otiosi; mundus Ecclesiae, ubi Deo per fidem et gratiam vivimus, per vineam; mundus autem paradisi per domum patrisfamilias, ubi datur merces operariis. A primo nos Deus vocat ad secundum, ut a secundo perducat ad tertium.

Parabola hodierna vere dici potest totius theologiae compendium et summa Evangelii.

32) Mt 5, 3-12. Vulg.: *Copiosa est in coelis.* 33) 1 Io 3, 2. Vulg.: *Quoniam videbimus,* etc.
34) Ex 33, 19.

DOMINICA SEXAGESIMAE

Sicut panis necessarius est ad corpoream vitam ducendam,

I. Ad ducendam corpoream hanc vitam, quae nobis in terra communis est cum omnibus brutis et terrestribus animalibus, necessarius est utique cibus et maxime panis, qui vitae huius basis ac fundamentum est. At non potest haberi panis sine frumento, non potest haberi frumentum nisi illud terra, communis nostra mater, parturiat pariatque. Sed nisi iactis seminibus fecunda haec mulier gravidetur, salutarem vitalemque hunc partum mundo edere minime potest. Sic ad ducendam spiritualem vitam, quae nobis cum Angelis coelestibus divinisque spiritibus communis est, cum quibus *ad imaginem et similitudinem Dei*[1] conditi sumus, necessarius utique est panis gratiae Spiritus Sancti et caritatis Dei. Gratia autem et caritas sine fide nulla, quoniam: *Sine fide... impossibile est placere Deo,*[2] fides enim est *substantia sperandarum rerum, argumentum non apparentium;*[3] nec fides concipitur sine verbi Dei praedicatione: *Quomodo* enim *invocabunt in quem non crediderunt?... Quomodo* vero *credent... sine praedicante?... Fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi.*[4] Praedicatio igitur verbi Dei necessaria est ad spiritualem vitam, sicut seminare ad vitam corporalem ducendam. Hinc hodie Christus ait: *Exiit qui seminat seminare semen suum.*[5]

sic praedicatio verbi Dei necessaria est ad spiritualem vitam instituendam.

Exiit qui seminat seminare semen suum; et, dum seminat, aliud cecidit secus viam, et conculcatum est, etc.[6]

II. Sanctus patriarcha Isaac, dum peregrinaretur in terra Geraris, seminavit agros camposque multos, terraque illa optima et fecun-

1) Gn 1, 26-27; 5, 1; 9, 6. 2) Hebr 11, 6. 3) Ibid. vr. 1. Vulg.: *Sperandarum substantia rerum,* etc. 4) Rom 10, 14-17. 5) Lc 8, 5. 6) Pericope huius diei Lc 8, 5-16. Cf. Missale Rom.

dissima benedicta a Deo reddidit ei centuplum, unde ditissimus factus fuit : *Sevit autem Isaac in terra illa et invenit anno illo centuplum, benedixitque illi Dominus, et locupletatus est homo.* [7] Sic Christus verus Isaac, Filius Patris excelsi, unigenitus Filius Dei, dum in mundo hoc factus peregrinus seminasset semen verbi Dei in hominum cordibus bonis optimisque, fructum centuplum collegit : *Et aliud,* inquit, *cecidit in terram bonam et ortum fecit fructum centuplum ;*[8] *Hi sunt qui in corde bono et optimo audientes verbum retinent, et fructum afferunt in patientia.* [9]

Sub imagine seminatoris Christus figuratur, qui semen verbi Dei in cordibus hominum seminavit;

Sed una tantum pars huius seminis mirabili hoc modo fructificat. Sicut enim *fluvius* egrediens *de loco voluptatis ad irrigandum paradisum* dividebatur in quattuor partes, quarum quarta tantum pertingebat ad terram promissionis – primus enim fluvius ibat in terram Hevilath, secundus in Aethiopiam, tertius in terram Assyriorum et quartus tantum, qui dicebatur, פְּרָת [10] f r u g i f e r, in terram Chanaan eratque terminus orientalis terrae promissionis, [11] – sic divinum istud semen, quod in mysterio idem est cum flumine illo, verbum Dei cum sapientia salutari, in quattuor dividitur partes. *Aliud* enim *cecidit secus viam, et conculcatum est et volucres coeli comederunt illud . . . ; aliud . . . supra petras, et natum aruit . . . ; aliud . . . inter spinas, et simul exortae spinae suffocaverunt illud ; et aliud* tandem *cecidit in terram bonam, et ortum fecit fructum centuplum.* [12]

hoc autem semen in quattuor partes dividitur.

III. *Exiit qui seminat seminare semen suum. Qui seminat, verbum seminat ;* [13] *Semen est verbum Dei.* [14]

Semen est verbum Dei, quod ita appellatur quoniam fecundissimum est, ita ut centuplum reddiderit. P l i n i u s refert in Sicilia campos salentinos, totam etiam Boeticam et Aegyptum, centuplum reddere ; imo in Africa campum Bizacium pro singulis modiis centenos quinquagenos ; et quod ex eo loco procurator Augusti misit ei ex uno grano, vix credibile dictu, quadraginta paucis minus germina. [15] Sic fecundissimum ac fertilissimum triticum est, si bonam sortiatur terram. Ita plane verbum Dei.

Verbum Dei semini tritici comparatur, quia fecundissimum est.

7) Gn 26, 12-13. Vulg.: *In ipso anno . . . benedixitque ei*, etc. 8) Lc 8, 8. 9) Ibid. vr. 15. 10) Ms.: *Perath.* 11) Cf. Gn 2, 10-14. 12) Lc 8, 5-8. 13) Mc 4, 14. 14) Ibid. vr. 11. 15) Cf. *Hist. Nat.*, lib. 18, cp. 10, pag. 202.

Seminator praedicatorem designat.

Seminator est praedicator. Hinc Ecclesia hodie in matutino officio introducit Noe,[16] qui a Divo Petro dicitur *iustitiae praeco: Octavum Noe iustitiae praeconem custodivit.*[17] In Epistola vero introducit Divum Paulum, qui fuit terra bona faciens fructum centuplum, qui *in corde bono et optimo* audiens verbum retinuit et fructum attulit in patientia. Narrat enim in hodierna Epistola Divus Paulus quanta propter Christum pertulerit,[18] sicut Christus dixit Ananiae in die conversionis Pauli: *Ego ... ostendam illi quanta oporteat eum pro nomine meo pati.*[19]

sive Deum vel Angelum aut Christum, sive hominem a Deo missum;

Exiit qui seminat praeco iustitiae, cuius quidem praeconem aliquando legimus fuisse Deum, uti cum universo populo in deserto dedit viva voce de coelo legem iustitiae;[20] aliquando Angelum Domini, qui in loco flentium arguit populum de transgressione divinae legis, unde omnes filii Israel, audita Angeli concione, compuncti corde elevantes vocem fleverunt vehementer;[21] legem etiam Domini Moyses universo populo praedicavit in campestribus Moab, uti in *Deuteronomio* patet.[22] Tandem venit Christus Deus et homo ad praedicandum verbum Domini, et ad hoc idem misit Apostolos, sicut prius miserat Prophetas.

praedicatio enim munus divinum est, ideo sancte gerendum.

Praedicatio igitur munus est apostolicum, angelicum, christianum, divinum, non peccatorum, siquidem: *Peccatori ... dixit Deus: Quare tu enarras iustitias meas et assumis testamentum meum per os tuum? Tu vero odisti disciplinam et proiecisti sermones meos retrorsum.*[23] Sic Noe iustitiae praeco, vir fuit *iustus atque perfectus,* qui *cum Deo ambulavit* et *invenit gratiam coram Domino,*[24] qui arcam salutis construxit;[25] praedicatio enim verbi Dei arca salutis est, qua salvatur homo ab aquis diluvii peccati et irae Dei.

Verbum Dei dicitur *semen bonum,* quia Deus summum bonum est,

IV. *Semen suum, semen bonum: Qui seminavit bonum semen in agro suo.*[26] *Semen est verbum Dei,* qui est summum bonum summaque bonitas; quare semen quod ipse seminat, non potest esse nisi bonum. *Semen bonum,* idest purum, absque zizaniis, absque ulla permixtione

16) Cf. Breviarium Rom. 1 lect. ad Mat. in hac Dominica. 17) 2 Petr 2, 5. 18) Cf. Missale Rom. 19) Act 9, 16. 20) Cf. Ex 20, 1 sqq. 21) Cf. Idc 2, 1-4. 22) Cf. 5, 1 sqq. 23) Ps 49, 16-17. 24) Gn 6, 8-9. 25) Cf. ibid. vrr. 14 sqq. 26) Mt 13, 24.

erroris et falsitatis, quoniam Deus est summa veritas summaque sapientia, qui nec decipi potest nec decipere. *Semen bonum*, non tantum, purum, sed etiam incorruptum, in quo sicut nulla est falsitas contra fidei veritatem, ita nulla pravitas contra morum probitatem, siquidem: *Corrumpunt mores bonos colloquia mala.*[27] *Semen bonum* multiplici bonitate plenum tanquam thesaurus: *Simile est regnum coelorum thesauro abscondito in agro.*[28] Hinc multis sacris symbolis ac hieroglyphicis depingit nobis verbum Dei symbolica theologia in Divinis Scripturis. Verbum enim Dei nunc dicitur *lux*, nunc *ignis*, nunc *lapis pretiosus*, nunc *aurum*, nunc *mel* et *favum mellis*, nunc *panis vitae* et *aqua*, nunc mille aliis nominibus appellatur. David rex nunc vocat verbum Dei *lucem* atque *lucernam*: *Praeceptum Domini lucidum illuminans oculos*;[29] *Lucerna pedibus meis verbum tuum et lumen semitis meis*;[30] nunc *ignem*: *Ignitum eloquium tuum vehementer, et servus tuus dilexit illud,*[31] sicut Moyses ait: *In dextera eius ignea lex,*[32] et Salomon: *Omnis sermo Domini ignitus,*[33] et Ieremias: *Nonne verba mea sicut ignis... et sicut malleus conterens petram?*[34] nunc *mel*: *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo!*[35] nunc *aurum* ac *lapidem pretiosum*: *Iudicia Domini vera, iustificata in semetipsa; desiderabilia super aurum et lapidem pretiosum multum, et dulciora super mel et favum;*[36] *Dilexi mandata tua super aurum et topazion;*[37] et Christus in Evangelio *pretiosam margaritam* a mercatore inventam omnibusque venditis emptam appellavit.[38] Vocat etiam Regius Vates verbum Dei *argentum examinatum*: *Eloquia casta, argentum igne examinatum, probatum terrae, purgatum septuplum.*[39] Isaias vocat verbum Dei *coelestem imbrem ac nivem*: *Quomodo*, inquit, *descendit imber et nix de coelo et illuc ultra non revertitur, sed inebriat terram et infundit eam et germinare eam facit... sic erit verbum meum quod egreditur de ore meo.*[40] Ieremias vocat *malleum conterentem petram* et Divus Paulus *gladium spiritus gladiumque ancipitem*: *Assumite... gladium spiritus, quod est verbum Dei;*[41] *Vivus est enim sermo Dei et efficax et penetrabilior omni gladio*

summa veritas et sanctitas.

Hinc multis symbolis verbum Dei in S. Scriptura depingitur.

27) 1 Cor 15, 33. 28) Mt 13, 44. 29) Ps 18, 9. 30) Ps 118, 105. 31) Ibid. vr. 140. 32) Dt 33, 2. 33) Prv 30, 5. 34) 23, 29. Vulg.: *Nunquid non verba mea sunt quasi ignis... et quasi malleus*, etc. 35) Ps 118, 103. 36) Ps 18, 10-11. 37) Ps 118, 127. 38) Cf. Mt 13, 45-46. 39) Ps 11, 7. 40) 55, 10-11. 41) Eph 6, 17.

ancipiti.[42] Hic est *gladius ex utraque parte acutus*, qui egreditur ex ore Christi.[43] Iesus Sirach in suo *Ecclesiastico* vocat verbum Dei *panem vitae et aquam sapientiae salutaris: Cibabit illum pane vitae et intellectus et aqua sapientiae salutaris potabit illum;*[44] et Christus: *Si quis sermonem meum servaverit, mortem non gustabit in aeternum,*[45] cui dixit Petrus: *Verba vitae aeternae habes;*[46] et: *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum;*[47] et: *Qui... biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in aeternum, sed... fiet in eo fons aquae salientis in vitam aeternam.*[48]

cum vere sit thesaurus omnium virtutum et meritorum;

Sic multiplici bonitate refertum est verbum Dei, cum sit veluti thesaurus omnium bonorum. Hinc enim fides, hinc spes, hinc caritas, hinc omnes virtutes, omnia dona Spiritus Sancti, omnes beatitudines evangelicae, omnia bona opera, omnia merita vitae, omnis gloria paradisi: *Suscipite insitum verbum, quod potest salvare animas vestras.*[49] Est enim verbum Domini intellectui lux, voluntati ignis, ut homo possit Deum cognoscere et diligere; est interiori homini, qui spiritu Deo vivit per gratiam, panis et aqua, sed panis dulcior melle ac favo, aqua melior vino et lacte: *Omnes sitientes venite ad aquas et qui non habetis argentum... venite, emite absque argento et absque ulla commutatione vinum et lac;*[50] est animae spiritualis thesaurus meritorum, hinc dicitur *aurum et lapis pretiosus multum;* est contra duram cordis obstinationem in vitiis malleus, et contra carnem, mundum atque diabolum gladius occidens omne peccatum.

ideo a Christo *semen* dicitur, quia est principium bonorum gratiae et gloriae.

Christus tamen hodie *semen* vocat verbum Domini quatenus principium est radicale omnium bonorum spiritualium gratiae et gloriae, nam, si *fides*, ut ait Apostolus, *est substantia sperandarum rerum, argumentum non apparentium, fides*, ut ipsemet ait, *per auditum, auditus autem per verbum Christi.*

Per seminatorem Christus principaliter intelligendus est,

V. *Exiit qui seminat seminare semen suum.* Quamvis per seminatorem omnis praedicator verbi Dei intelligatur, per excellentiam tamen Christus intelligendus est, qui summus est praedicator ac sol praedicatorum. Hic *exiit: Exivi a Patre et veni in mundum,*[51] et *exiit se-*

42) Hebr 4, 12. 43) Apc 1, 16. 44) 15, 3. 45) Io 8, 52. 46) Ibid. 6, 69. 47) Ibid. vr. 51. 48) Ibid. 4, 13-14. 49) Iac 1, 21. 50) Is 55, 1. 51) Io 16, 28.

minare : Ego in hoc natus sum et ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati ; [52] *Spiritus Domini super me, eo quod unxit me evangelizare pauperibus, misit me sanare contritos corde.* [53] Quoniam vero Christus est sapientia Dei : *In quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae* [54] Dei, cum verus sit Deus, hinc ait : *Seminare semen suum.* Prophetae seminabant semen non suum, sed Dei : *Alii seminaverunt, et vos in labores eorum introistis ;* [55] sed Christus seminat *semen suum,* doctrinam propriam, quoniam verus est Deus. Hinc ait quod : *Lex per Moysen data est,* sed *gratia et veritas per Iesum Christum facta est.* [56] Veritas universae theologiae divinaeque scientiae a Christo est ; ipse est theologiae auctor, quoniam: *Deum nemo vidit unquam; unigenitus Filius Dei, qui est in sinu eius, ipse enarravit.* [57] Non potest qui semper caecus fuit et nunquam lucem aliosque colores vidit, de his per se docere et scribere ; sic qui nunquam Deum vidit aut novit, non potest de Deo loqui et praedicare. At solus Christus vidit novitque Deum : *Neque Patrem quis novit, nisi Filius et cui voluerit Filius revelare.* [58] Quare si quid locuti sunt Prophetae de Deo, id locuti sunt quod eis Christus revelavit. Locuti sunt tanquam caeci de coloribus, alio dicente atque dictante; sicut si quis describat alicuius rei historiam, dictante alio qui rem gestam praesens vidit, principalis autem auctor dictator est; sic Christus principalis est auctor totius sacrae theologiae. Hinc ait : *Semen suum.*

qui summus est praedicator,

quia semen vere suum seminat, idest doctrinam propriam, cum sit verus Deus,

qui Prophetas inspiravit.

VI. *Et, dum seminat, aliud cecidit secus viam, et conculcatum est et volucres coeli comederunt illud.* Magna pars seminis non attulit fructum, non defectu seminatoris aut seminis, sed defectu ipsius terrae. Non, inquam, defectu ipsius seminatoris, quia Deus in necessariis ad salutem nulli deest. Et seminatoris quidem defectus potest esse triplex : quia vel non seminat ubi seminare debet, vel non quando debet seminare, vel non irrigat quod seminatum est. Deus autem seminat semen verbi sui ubi fructificare potest, in cordibus hominum ; seminat tempore opportuno : *Cum venit plenitudo temporis ;* [59] et tandem : *Solem suum*

Sed magna pars seminis huius fructum non affert, non ob defectum seminatoris,

52) Ibid. 18, 37. 53) Lc 4, 18. Vulg.: *Propter quod unxit,* etc. Codex hic interpunctionem sequitur *Bibliae Lovaniensis* S. Auctoris. 54) Col 2, 3. 55) Io 4, 38. Vulg.: *Alii laboraverunt,* etc. 56) Ibid. 1, 17. 57) Ibid. vr. 18. Vulg.: *Qui est in sinu Patris,* etc. 58) Mt 11, 27. 59) Gal 4, 4. Vulg.: *Ubi venit,* etc.

quia Deus verbum suum seminat ubi fructificare potest,

oriri facit super bonos et malos et pluit super iustos et iniustos. [60] Nec potest esse defectus ex parte seminis, quia *bonum semen seminavit in agro suo*, semen bonum atque perfectum, vivacissimum et fecundissimum. Hinc seminatum a Deo in campo inanitatis et vacui fructificavit produxitque coelum et terram: [61] *Verbo Domini coeli facti sunt;* [62] seminatum super tenebras abyssi produxit lucem: *Et tenebrae erant super faciem abyssi; et dixit Deus: Fiat lux. Et facta est lux;* [63] seminatum in terra inani et vacua produxit omnia genera plantarum et animalium; [64] seminatum in aquis produxit [65] omnia genera piscium; [66] seminatum in aere produxit omnia genera avium; [67] seminatum in coelo produxit solem, lunam et omnes stellas, [68] et seminatum supra coelum produxit omnes Angelos. Sic non potest esse defectus ex parte seminis, quoniam bonum, perfectum et optimum suapte natura est. Defectus igitur est ex parte terrae seminatae, nam seminatum in terra bona fecit fructum centuplum. Quod autem fructum non attulit, propterea non attulit quia terra, in qua seminatum est, bona minime fuit. Hinc ait quod id quod cecidit secus viam non attulit fructum, quia *conculcatum fuit et volucres coeli comederunt illud;* id autem quod cecidit supra petram non attulit fructum, *quia non habebat humorem*, hinc *natum aruit* [69] ad aestum solis; quod autem cecidit inter spinas non attulit fructum, quia a spinis conculcatum suffocatumque fuit.

nec ex parte seminis, quia verbum Dei omnipotens est,

sed ex parte terrae, idest cordis humani, quod si bonum non est, fructum suum semen afferre nequit.

Haec autem infructuositas ex triplici causa esse potest: ex ignorantia crassa;

VII. Ubi Christus triplex adducit impedimentum quare semen verbi Dei, ut plurimum, non fructificat secundum voluntatem Dei. Primum est ignorantia crassa, quae non est absque contemptu verbi Dei cordisque duritia et arte [70] atque opera diaboli. Hinc Christus ait, parabolam declarans discipulis suis, quod *secus viam, hi sunt qui audiunt, deinde venit diabolus et tollit verbum de corde eorum, ne credentes salvi fiant.* [71] M a t t h a e u s autem sic: *Qui audit verbum et non intelligit, deinde venit malus,* [72] idest *diabolus*, sive *satanas*, ut M a r c u s habet. [73] Primum igitur impedimentum est crassa ignorantia, quia non intelligit cor obcaecatum, qua fit etiam ut con-

60) Mt 5, 45. 61) Cf. Gn 1, 1. 62) Ps 32, 6. Vulg.: *Firmati sunt.* 63) Gn 1, 2-3. 64) Cf. ibid. vrr. 11-12. 65) Ms.: *Produxi.* 66) Cf. Gn 1, 20-21. 67) Cf. ibid. 68) Cf. ibid. vrr. 14-17. 69) Lc 8, 6. 70) Ms.: *Ars.* 71) Lc 8, 12. 72) 13, 19. 73) Cf. 4, 15.

temnatur verbum Dei, hoc enim est quod conculcatum est semen, et tandem diabolus tollit verbum a corde, faciens ut homo obliviscatur verbi Dei ne, si homo illud memoria retineret et mente ruminaret cognoscens veritatem salutis, vere ex corde crederet et fide viva donatus salvaretur. Primum itaque impedimentum est triplex : ex parte intellectus ignorantia, ex parte voluntatis contemptus et ex parte memoriae oblivio arte diaboli veniens.

ex instabilitate cordis, qua animus in via virtutis non perseverat;

Alterum impedimentum est instabilitas cordis et animi mutabilitas : Quod autem super petram, hi sunt qui audientes, *cum gaudio suscipiunt verbum,* [74] *orta* autem *tribulatione... propter verbum...*, *scandalizantur;* [75] hinc ait quod *radices non habent,* [76] sed *temporales sunt,* [77] *ad tempus credunt et in tempore tentationis recedunt* [78] a via iustitiae et retro abeunt *ab eo quod traditum illis erat sancto mandato, et fiunt eis posteriora deteriora prioribus,* [79] quoniam diabolus, qui ab illis exierat, *vadit et assumit septem alios spiritus... nequiores se, et ingressi habitant ibi,* [80] et ideo prolapsos hos vel impossibile vel difficillimum omnino est iterum ad poenitentiam renovari. [81] Ideo : *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit;* [82] *In patientia vestra possidebitis animas vestras.* [83]

ex cura superflua terrenarum rerum,

Tertium impedimentum est cura superflua terrenarum rerum : *Quod autem inter spinas... hi sunt qui audiunt, et a sollicitudinibus et divitiis et voluptatibus... euntes, suffocantur et non referunt fructum.* [84] Matthaeus habet : *Sollicitudo saeculi istius et fallacia divitiarum suffocat verbum;* [85] Marcus autem : *Aerumnae saeculi* istius *et deceptio divitiarum et circa reliqua concupiscentiae introeuntes suffocant verbum.* [86] Quam quidem sollicitudinem suis prohibet Christus dicens : *Nolite... solliciti esse animae vestrae dicentes : Quid manducabimus aut quid bibemus aut quo operiemur? Haec enim omnia gentes inquirunt; scit enim Pater vester quia his omnibus indigetis;* sed *primum quaerite regnum Dei et iustitiam eius, et haec omnia adicientur vobis.* [87] Et Lucas quidem tria ponit : *sollicitudines, divitias* et *voluptates,* iuxta illa tria Ioannis : *Concupiscentia carnis... concupiscentia oculorum et su-*

74) Lc 8, 13. 75) Mc 4, 17. 76) Lc 8, 13. 77) Mc 4, 17. 78) Lc 8, 13. 79) 2 Petr 2, 20-21. Vulg.: *Quod illis traditum est... et facta sunt eis,* etc. 80) Lc 11, 26. 81) Cf. Hebr 6, 6. 82) Mt 10, 22. 83) Lc 21, 19. 84) Ibid. 8, 14. Vulg.: *Quod autem in spinas..., hi sunt qui audierunt,* etc. 85) 13, 22. 86) 4, 19. 87) Mt 6, 31-33. Vulg.: *Quaerite ergo primum,* etc.

qua cor semper angitur.

perbia vitae, [88] ex qua maxime oriuntur sollicitudines in divitibus huius saeculi. Multi enim ex cordis superbia et ambitione honoris ac vanae laudis satagunt divites esse, cum tamen Dominus terrenas divitias vocet *fallaces* ac *deceptrices*, quas etiam *spinas* appellat, quoniam promittunt homini felicitatem et summam afferunt infelicitatem ob nimias curas et sollicitudines, quae angunt cor divitis semper diu noctuque ob divitias non perdendas aut diminuendas, sed conservandas et adaugendas. Acquiruntur enim divitiae magno cum labore, possidentur maiori cum timore, cum mundus plenus sit furibus et latronibus cumque divitiae sint corruptioni obnoxiae et suapte natura marcescant, et tandem maximo cum dolore amittuntur, [89] uti videmus in lapsibus et ruinis mercatorum, cum et bona et fidem amittunt, quae sunt frequentia mercatorum naufragia. Sicut enim terminus hominis mors est, terminus navis naufragium, terminus militis male mori, sic terminus mercatoris est infelix nudaque paupertas ac bonorum omnium magno cum dedecore expoliatio et amissio.

Divitiae enim fallaces sunt et vere spinae, quia summam afferunt non delectationem, sed infelicitatem.

Sic divitiae fallaces ac deceptrices sunt, quia non servant promissa; spinae sunt, quia multis aerumnis possessores afficiunt. Hinc Christus ait: *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra..., sed thesaurizate vobis thesauros in coelo,* [90] quia nemo potest Deo servire et mammonae. [91] Sed: *Divitiae si affluant, nolite cor apponere,* [92] quoniam qui spinas manu stringit, pungitur et cruentatur, et difficile admodum est spinas manu tenere et non pungi. Sic Christus ait: *Quam difficile qui divitias habent, in regnum Dei introibunt!* [93] Qui tamen spinas manu nihili stringit, qui nihili avarus est, sed liberalis, peccata sua eleemosynis et miserationibus pauperum redimens, [94] qui eleemosynas facit ut omnia sibi sint munda, [95] hic spinis hisce mortaliter minime cruentabitur.

Semen autem cadens in cor bonum,

VIII. Tandem quod *cecidit in terram bonam* et *fecit fructum aliud centesimum, aliud sexagesimum et aliud trigesimum,* [96] *hi sunt qui in corde bono et optimo audientes verbum retinent, et fructum afferunt in patientia.* [97] Cor bonum affert fructum trigesimum, quod autem melius est fructum sexagesimum, quod vero optimum fructum centesimum.

88) 1 Io 2, 16. 89) Cf. Iulianus Pomerius, inter spuria S. Prosperi Aquitani, *De Vita Contemplativa*, lib. 2, cp. 13, (P. L. 59, 457). 90) Mt 6, 19-20. Vulg.: *Thesaurizate autem vobis*, etc. 91) Cf. ibid. vr. 24. 92) Ps 61, 11. 93) Lc 18, 24. Vulg.: *Intrabunt*. 94) Cf. Dn 4, 24. 95) Cf. Lc 11, 41. 96) Mt 13, 23. 97) Lc 8, 15.

Qui in corde; sicut enim semen nonnisi in terra iactum fructificat, sic nec verbum Dei nisi in corde mortuum: *Nisi* enim *granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet; si autem mortuum fuerit, multum fructum affert.* [97a] Et sicut semen non fructificat nisi in terra bona, sic nec verbum Dei nisi in corde bono, in quo nullum sit trium praedictorum obicum. Hinc ait: *Qui in corde bono et optimo audientes verbum retinent:* ecce ablatio primi impedimenti; *fructum afferunt,* ergo non sunt ibi spinae: ecce ablatio tertii; sed *afferunt in patientia:* ecce ablatio secundi; qui *non habent radices, sed temporales sunt; ad tempus credunt, et in tempore tentationis recedunt; qui, orta tribulatione propter verbum, scandalizantur; omnes* enim *qui volunt pie vivere in Christo Iesu, persecutionem patiuntur,* [98] unde: *Patientia vobis necessaria est,* [99] *ut possitis sustinere.* [100] Sic: *Fructum afferunt in patientia.* Patientiam dicit expectationem et perseverantiam usque in finem.

cum impedimentum nullum inveniat,

Fructum afferunt: Omnis arbor bona fructus bonos facit; [101] *Fructus autem spiritus est caritas, gaudium, pax, patientia..., longanimitas,* etc., [102] et: *Fructus... lucis est in omni... iustitia et sanctitate veritatis;* [103] *Habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem vero vitam aeternam.* [104] Marcus dicit quod terra bona facit *fructum ascendentem et crescentem; et afferebat unum trigesimum et unum sexagesimum et unum centesimum,* [105] quoniam ascendit fructus iste in vitam aeternam.

semper optimos fructus affert.

97a) Io 12, 24-25. 98) 2 Tim 3, 12. Vulg.: *Qui pie volunt vivere... patientur.*
99) Hebr 10, 36. 100) 1 Cor 10, 13. 101) Mt 7, 17. 102) Gal 5, 27.
103) Eph 5, 9. Vulg.: *Iustitia et veritate.* 104) Rom 6, 22. 105) 4, 20. Sic legitur in antiquis edit. Vulg. In posterioribus autem, iussu Clementis VIII recognitis, emendatum fuit: *Unum triginta, unum sexaginta et unum centum.* Cf. *Biblia Lovaniensis* et Eb. Nestle *Novum Test.*, h. l.

II. ALIA HOMILIA

Exiit qui seminat seminare semen suum; et, dum seminat, aliud cecidit secus viam, et conculcatum est, etc. [1]

Mirabilis est parabola hodierni Evangelii ob multa mysteria in ea contenta.

I. Mirabilis est hodierni Evangelii parabola, quam Christus *mysterium* appellat *regni Dei: Vobis datum est nosse mysterium regni Dei;* [2] *Loquimur... sapientiam in mysterio;* [3] est ad instar coelestis illius libri, quem Ioannes in spiritu vidit in dextera Dei signatum sigillis septem, quem nulla creatura, nec coelestis quidem vel angelica, potuit aperire, nisi solus Christus unigenitus Filius Dei. [4] Praedicavit Christus hodierni Evangelii parabolam magnae hominum multitudini, nam ait: *Cum... turba plurima convenirent et de civitatibus properarent ad eum, dixit per similitudinem.* [5] Nemo tamen parabolam hanc intellexit, nec Apostoli quidem; unde *interrogabant eum... quae esset haec parabola.* [6] Christus autem, qui solus potuit [aperire] librum illum secreta imperscrutabilia divinae sapientiae significantem, declarat hanc parabolam, aperit mysterium divinae sapientiae.

Septem autem sunt mysteria quae Christus ipse declarat.

Sunt autem septem mysteria quae declarat. Primum est quid sit semen: *Semen est verbum Dei;* [7] secundum, quis seminator: quod sit praedicator: *Qui seminat, verbum seminat,* ut habet Marcus; [8] tertium, quid sit ager: alibi dixit: *Ager... est mundus,* [9] hodie vero declarat quod sit cor humanum; [10] quartum, quid sit via ex qua aves comedunt semen: quod sit cor insipiens, imprudens et incogitans, volucres vero daemones; [11] quintum, quid sit locus petricosus non habens altitudinem terrae copiamque humoris: cor inconstans, instabile: *Ad tempus credunt et in tempore tentationis recedunt;* [12] sextum, quid sit terra spinosa: cor occupatum terrenis cogitationibus et mundanis negotiis curisque saecularibus; [13] et tandem septimum, quid sit terra bona: *Qui in corde bono et optimo audientes verbum retinent et fructum afferunt in patientia.* [14]

1) Lc 8, 5. 2) Ibid. vr. 10. 3) 1 Cor 2, 7. 4) Cf. Apc 5, 1-5. 5) Lc 8, 4. 6) Ibid. vr. 9. 7) Ibid. vr. 11. 8) 4, 14. 9) Mt 13, 38. 10) Cf. Lc 8, 15. 11) Cf. ibid. vr. 12. 12) Ibid. vr. 13. 13) Cf. ibid. vr. 41. 14) Ibid. vr. 15.

II. De sapientia Dei Ioannes in *Apocalypsi* sub symbolo libri tria declarat: dignitatem ac nobilitatem et excellentiam: *Vidi in dextera sedentis supra thronum librum scriptum intus et foris;* [15] difficultatem incomprehensibilem: *Signatum sigillis septem; et vidi Angelum fortem voce magna clamantem: Quis est dignus aperire librum et solvere septem signacula eius? Et nemo inventus est neque in coelo;* [16] tertio utilitatem cum dulcedine et delectatione, nam iubetur per Angelum comedere librum, cumque comedisset illum, fuit tanquam mel dulce in ore eius, sed amaricatus est venter ipsius, [17] quod manna solet efficere, quam dant medici iis qui levi purgatione indigent.

Libro *Apocalypsis*, cui parabola hodierna comparatur, bene sapientia Dei figuratur ob dignitatem, incomprehensibilitatem et utilitatem,

Designatur etiam in libro hoc magnitudo, copia et multitudo divinae sapientiae, nam dicitur liber scriptus *intus et foris*, idest ex utraque parte, ante et retro. Nam non erant Hebraeorum libri antiquitus sicut nunc sunt nostri, sed unam tantum membranam habebant involutam circum cylindrum; [18] hinc dicebantur volumina. Libri autem ob copiam rerum ante et retro ex utraque parte scripti, dicebantur opisthographi, idest retro scripti, sive a tergo. [19] Hoc est ergo liber scriptus *intus et foris*, idest in quo multa erant scripta. Magna est enim sapientia Dei, qui omnia novit. Ita in hodierna parabola continentur mysteria regni coelorum. Sic enim apud Matthaeum ait: *Vobis datum est nosse mysteria regni coelorum.* [20] Abundantia etiam seminis designatur, quoniam non tantum super terram bonam, sed etiam secus viam, super petram et inter spinas seminatum est. [21]

et etiam ob magnitudinem divinae sapientiae.

Similiter in hodierno Evangelio tria haec proponuntur: dignitas et nobilitas verbi Dei: *Semen est verbum Dei* ab ipso unigenito Filio Dei praedicatum, ita ut ad hoc venerit in mundum; [22] secundo difficultas: *Qui habet aures audiendi, audiat;* [23] *Qui potest capere, capiat;* [24] tertio tandem utilitas cum delectatione, nam facit *fructum centuplum.* [25] Apud Matthaeum autem declaraturus Christus hanc

Itidem in hodierna parabola proponitur dignitas verbi Dei, difficultas et utilitas.

15) 5, 1. 16) Ibid. vrr. 1-3. Vulg: *Et nemo poterat, neque in coelo.* 17) Cf. ibid. 10, 8-10. 18) Cf. Corn. a Lapide *Comment. in Apocalypsim*, cp. 5; Aug. Calmet *Dissertatio De Materia et Forma Veterum Librorum*, in *Comment.*, t. 1, part. 1; *Dictionarium Historicum*, sub voce: *Liber*. 19) Cf. Plinius Iun. *Epist.*, lib. 3, epist. *ad Macrum*, pag. 232; Alexander ab Alexandro *Geniales Dies*, lib. 2, cp. 30, f. LXXIII. 20) 13, 11. 21) Cf. Lc 8, 5-7. 22) Cf. Mc 1, 38. 23) Lc 8, 8. 24) Mt 19, 12. 25) Lc 8, 8.

parabolam, cum dixisset Apostolis: *Vobis datum est nosse mysteria regni coelorum*, subiunxit: *Vestri ... beati oculi quia vident et aures ... quia audiunt; amen quippe dico vobis, quia multi Prophetae et iusti cupierunt videre quae videtis, et non viderunt, et audire quae auditis, et non audierunt.*[26] Hic fructus est verbi Dei: vera beatitudo, perpetua felicitas, vita aeterna. Quid est verbum Dei? Doctrina et sapientia Dei, scientia et philosophia, quam ipsemet Deus tradidit hominibus, ipsemet voluit docere.

Semen figurat verbum Dei, quo nil excellentius, quia Deus solus est sapiens;

III. *Exiit qui seminat seminare semen suum. Semen est verbum* non humanum, non angelicum, sed divinum; doctrina non sapientum Graeciae, non philosophorum aut theologorum hominum, vel Angelorum, sed Dei, qui solus est sapiens, sol sapientiae: *Soli sapienti Deo;*[27] doctrina Christi: *In quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae*[28] Dei. Ad hoc autem Christus venit in mundum, ad praedicandum verbum Dei: *Spiritus Domini super me, eo quod unxit me evangelizare pauperibus, misit me ... praedicare annum Domini acceptum et diem retributionis.*[29]

ideo etiam incomprehensibile, quia sapientia Dei infinita est;

Sed non est animus loqui de verbi Dei excellentia et dignitate; liber est a dextris Dei, sicut et Moyses ait: *In dextera eius ignea lex.*[30] Nec item de incomprehensibili altitudine et profunditate, cum neque in coelo repertus fuerit qui librum aperire potuerit, nisi solus Christus; unde Paulus ait: *O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei, quam incomprehensibilia sunt iudicia eius et investigabiles viae eius! Quis enim cognovit sensum Domini?*[31] Ut enim alibi ipse ait: *Quis ... hominum scit quae sunt hominis, nisi spiritus eius, qui in ipso est? Ita et quae Dei sunt nemo cognovit, nisi spiritus Dei.*[32] Sed solum de utilitate, quam Dominus aperuit dicens quod: *Venit diabolus et tollit verbum de corde eorum, ne credentes salvi fiant.*[33] Ad quod alludens Petrus ait: *Reportantes finem fidei vestrae, salutem animarum* vestrarum[34]. Et idem Dominus in hodierno Evangelio: *Vobis datum est nosse mysterium regni coelorum, ceteris autem in parabolis, ut videntes non videant et audientes non intelligant.*[35] Quibus verbis

et vere utilissimum, quia agit de salute aeterna.

26) 13, 16-17. 27) Rom 16, 27. 28) Col 2, 3. 29) Lc 4, 18-19. Vulg.: *Propter quod unxit me*, etc. Cf. supra, not. 53 praec. hom., pag. 53. 30) Dt 33, 2. 31) Rom 11, 33-34. 32) 1 Cor 2, 11. Vulg.: *Nisi spiritus hominis*, etc. 33) Lc 8, 12. 34) 1 Petr 1, 9. *Vestrarum* lect. cod. 35) Lc 8, 10. Vulg.: *Regni Dei*, etc.

Dominus alludit ad vaticinium Isaiae: *Vade et dic populo huic: Audite audientes et nolite intelligere, et videte visionem et nolite cognoscere. Excaeca cor populi huius et aures eius aggrava et oculos eius claude, ne forte videat oculis suis et auribus suis audiat et corde intelligat et convertatur et sanem eum.* [36] Sic enim apud Matthaeum Dominus vaticinium hoc adducit et etiam declarat, quoniam difficile est: *Incrassatum est,* inquit, *cor populi huius et auribus graviter audierunt et oculos suos clauserunt, nequando videant oculis et auribus audiant et corde intelligant et convertantur et sanem eos.* [37] Sic etiam Divus Paulus *Actuum* ultimo vaticinium hoc interpretatur. [38]

IV. Videntur quidem verba vaticinii huius apud prophetam irati animi, nam Deus iusta movetur ira ad puniendos peccatores; nec tamen dicit: Ego indurabo cor, excaecabo oculos, obturabo aures populi huius, sed: Incrassa *cor populi huius.* Nunquid propheta praestare haec poterat? Sed comminatio haec est praedictio futurorum, quia Deus permissurus erat ob iustam iram Iudaeis caecitatem mentis et cordis duritiam, ut mente excaecati et obdurati corde in Christum non crederent, sed in perfida incredulitate obstinati perseverarent. Propheta etiam obscure loquendo daturus erat occasionem huius incredulitatis, nam, ut alibi idem Vates ait: *Erit visio omnibus vobis sicut verba libri signati, quem si dederint viro scienti litteras* et *dicent: Lege, quaeso, dicet: Non possum, signatus est enim; et dabitur liber nescienti litteras diceturque ei: Lege* hunc, *et dicet: Nescio legere.* [39] Quare ob difficultatem et obscuritatem prophetiae dicuntur Iudaei obcaecati; quoniam vero malitia sua suisque peccatis ipsi sibi fuerunt causa omnium malorum, propterea inquit Dominus apud Mattheum et Paulus in *Actis: Incrassatum est cor populi huius et auribus graviter audierunt et oculos suos clauserunt, ne... convertantur et sanem eos.* [40] Obdurati sunt corde, caritate et gratia privati; excaecati sunt mente, verae fidei lumine destituti, cum prius fideles Dei essent, veram fidem haberent in Christum venturum. Permisit igitur Deus iure iratus eos a diabolo excaecari mente et obdurari corde. Occasio autem

Deus non excaecat mentes, sed excaecari permittit ob nequitiam animi,

sicut Iudaei obcaecati dicuntur, quia malitia sua ipsi sibi causa caecitatis fuerunt

ne Divinae Scripturae mysteria intelligerent,

36) 6, 9-10. Vulg.: *Vade et dices,* etc. 37) 13, 15. 38) Cf. vrr. 25-27. 39) 29, 11-12. Vulg.: *Erit vobis visio omnium sicut verba . . . lege istum, et respondebit . . . lege et respondebit,* etc. 40) 28, 26-27. Vulg.: *Oculos suos compresserunt,* etc.

fuit obscuritas et profunditas Divinarum Scripturarum, ubi fere semper in parabolis loquitur Deus, quae nonnisi mente divinitus illustrata Sanctoque Spiritu afflata intelligi, ut par est, et comprehendi possunt.

et ita culpabiliores facti sunt iis qui divinam hanc legem nec acceperant nec noverant.

Voluit Deus esse Sacram Scripturam thesaurum absconditum in agro, [41] abscondit eam sub parabolis; nam pretiosa quaeque nos in thesauris reposita tenemus: aurum, argentum et pretiosos lapides; Deus sub terra abscondit, ita ut non sine magno labore et diligentia inveniri possunt ut possideantur. Obscure loquitur Dominus ut iusti exerceantur in Divinis Litteris: *In lege Domini voluntas eius et in lege eius meditabitur die ac nocte,* [42] sicut Iosue dedit Deus librum legis ut in eo meditaretur diebus ac noctibus. [43] Reprobi autem divinae legis mandata transgredientes minus peccarent ignorantia et difficultate intelligendi obscura mysteria, ex parte aliqua excusante; nam qui novit voluntatem domini sui faciens digna plagis, vapulabit multis; qui autem non novit faciens digna plagis, vapulabit paucis, [44] quamvis ignorans ignorabitur; [45] magis tamen peccat qui scienter peccat, nam: *Scienti... bonum facere et non facienti, peccatum est illi.* [46] Unde Petrus ait de multis quod melius erat eis si viam Dei non cognovissent, quam post agnitionem retro converti a sancto mandato. [47]

Utilitas divini verbi est infinita, quia eius fructus est salus animarum,

V. Fructus autem divini verbi salus est animarum: *Tollit verbum de corde eorum, ne credentes salvi fiant; Vestri autem beati oculi; Facit fructum... centesimum... sexagesimum... trigesimum;* [48] *Beati qui audiunt verbum Dei et custodiunt illud.* [49] Infinita plane est verbi Dei utilitas. Verbum Dei animam a vitiis et peccatis purgat: *Vos mundi estis propter sermonem quem locutus sum vobis;* [50] aqua est munda qua lavantur immunda: *Effundam super vos aquam mundam et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.* [51] Sic Dei [52] verbo multi peccatores convertuntur ad Deum dignosque fructus poenitentiae faciunt, [53] ut in Ninivitis patet. [54] Speculum est conscientiae: *Si quis auditor est verbi...,* *comparabitur viro consideranti vultum nativitatis suae in speculo.* [55]

41) Cf. Mt 13, 44. 42) Ps 1, 1-2. 43) Cf. Ios 1, 8. 44) Cf. Lc 12, 47-48. 45) Cf. 1 Cor 14, 38. 46) Iac 4, 17. 47) Cf. 2 Petr 2, 21. 48) Mc 4, 20. Cf. supra, not. 105 praec. hom., pag. 57. 49) Lc 11, 28. 50) Io 15, 3. 51) Ez 36, 25. 52) Ms.: *Deo.* 53) Cf. Lc 3, 8. 54) Cf. Ion 3, 4-10. 55) Iac 1, 23.

Medicina est sanans omnes infirmitates: *Non egent qui sani sunt medico.* [56] Medicina est verbum Dei, nam amaricari fecit ventrem Ioannis, [57] et Ezechiel, cum comedisset volumen, abiit amaricatus. [58] Gladius est ad pugnandum contra diabolum: *Assumite... gladium spiritus, quod est verbum Dei;* [59] *Vivus est enim sermo Dei et efficax et penetrabilior omni gladio ancipiti;* [60] hoc gladio usus est Christus contra diabolum tentatus in deserto. [61] Illuminat mentem: *Praeceptum Domini lucidum illuminans oculos..., testimonium Domini fidele sapientiam praestans parvulis;* [62] *Lucerna pedibus meis verbum tuum et lumen semitis meis;* [63] praebet enim homini cognitionem Dei et cognitionem suiipsius, cognitionem divinae legis et scientiam boni et mali; docet moralem philosophiam ad cognoscenda vitia et virtutes, sacram theologiam divinamque philosophiam, quae est scientia scientiarum; [64] hinc Salomon ait quod: *Lex lux et mandatum lucerna.* [65] Accendit etiam mentem ardore coelestium desideriorum, nam: *Ignitum eloquium tuum vehementer, et servus tuus dilexit illud;* [66] *In dextera eius ignea lex; Nonne cor nostrum ardens erat in via, dum loqueretur nobis et aperiret... Scripturas?* [67] Ornat animum virtutibus omnibus ditatque coelestibus bonis: *Bonum mihi lex oris tui super millia auri et argenti;* [68] *Dilexi mandata tua super aurum et topazion;* [69] *Desiderabilia super aurum et lapidem pretiosum multum.* [70] Cibus est animae et panis vitae, manna de coelo: *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo;* [71] *Cibavit illum pane vitae et intellectus et aqua sapientiae salutaris potavit illum.* [72] Cibus suavissimus: *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua! super mel ori meo;* [73] *Dulciora super mel et favum;* [74] factus est liber *tanquam mel dulce in ore meo.* [75] Fecundat animam bonis operibus: *Sicut descendit imber et nix de coelo... et inebriat terram... et germinare eam facit..., sic erit verbum meum quod egre-*

ideo multis nominibus verbum Dei appellatur in S. Scriptura;

56) Lc 5, 31. 57) Cf. Apc 10, 10. 58) Cf. Ez 3, 1-14. 59) Eph 6, 17. 60) Hebr 4, 12. 61) Cf. Mt 4, 3-10. 62) Ps 18, 8-9. 63) Ps 118, 105. In margine haec adiecta fuerunt; « Dat cognitionem Dei, quoniam sermo est veluti imago animi eius qui loquitur; sic verbum Dei est veluti quaedam imago Dei, nam verba sunt signa conceptuum ac imagines passionum animi ». 64) Cf. S. Io. Damascenus *Dialectica*, cp. 2-3, (P. G. 94, 434). 65) Prv 6, 23. 66) Ps 118, 140. 67) Lc 24, 32. Vulg.: *Ardens erat in nobis, dum loqueretur in via*, etc. 68) Ps 118, 72. 69) Ibid. vr. 127. 70) Ps 18, 11. 71) Mt 4, 4; Lc 4, 4. 72) Eccli 15, 3. Vulg.: *Potabit illum.* 73) Ps 118, 103. 74) Ps 18, 11. 75) Ez 3, 3. Vulg.: *In ore meo sicut mel dulce.*

ditur de ore meo; [76] *Concrescat ut pluvia doctrina mea, fluat ut ros eloquium meum, quasi imber super herbam et quasi stillae super gramina.* [77] Aqua coelestis sitim omnem extinguens: *Qui ... biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in aeternum, sed aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquae salientis in vitam aeternam;* [78] *Omnes sitientes venite ad aquas, et qui non habetis argentum ... venite, emite absque argento et absque ulla commutatione vinum et lac. Venite, emite et comedite et delectabitur in crassitudine anima vestra.* [79] Hoc est quod Ecclesiam implet fidelibus, nam: *Fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi,* [80] quod Ecclesiam perpetuo spirituali generatione conservat; nam, sicut natura rerum speciesque plantarum et animalium generatione perpetuo conservantur, ita Ecclesia spirituali generatione, et propterea verbum Dei dicitur *semen;* hoc est quod paradisum implet sanctis animabus, imo quod iustificat et sanctificat animas; populus enim hebraeus, postquam Dei legem accepit, dictus est *gens sancta* et *populus peculiaris.* [81]

sed specialiter hodie dicitur *semen*, quia Ecclesiam fidelibus implet et paradisum Sanctis.

Sic infinitae virtutis et efficacitatis est semen verbi Dei, sicut granum sinapis. [82] Sic Dominus per Ieremiam volens ostendere divini verbi virtutem ait: *Quid paleis ad triticum? dicit Dominus. Nunquid verba mea sunt quasi ignis, dicit Dominus, et quasi malleus conterens petram?* [83] Triticum appellat verbum Domini, ceteras autem scientias et disciplinas paleas esse designans. Proverbio dici solet quod non reperitur melior panis triticeo. [84] Semen hoc triticum est, bonum, optimum frumentum est: *Seminavit bonum semen in agro suo.* [85] Bonum semen est, sed non fructificat nisi in terra bona seminatum: Quod autem *cecidit in terram bonam ... fecit fructum centuplum;* [86] in terra enim inculta secus viam non nascitur; super petrosa nascitur, sed non crescit; inter spinas nascitur et crescit, sed non fructificat; in bona terra et bene culta nascitur, crescit et fructificat.

Ut autem fructificet, in terra bona seminandum est.

VI. Mirabilis est Christi philosophia in hodierno Evangelio. Designat enim quod *vult* quidem Deus *omnes homines salvos fieri et ad*

76) Is 55, 10-11. Vulg.: *Quomodo descendit ... quod egredietur de ore meo.* 77) Dt 32, 2. 78) Io 4, 13-14. 79) Is 55, 1-3. 80) Rom 10, 17. 81) Cf. Ex 19, 5-6; Dt 7, 6; 14, 2; 26, 18. 82) Cf. Mt 13, 31-32. 83) 23, 28-29. 84) Proverbium italicum, de quo cf. Gio. Gherardini *Vocabolario della Lingua Italiana*, sub voce: *Pane.* 85) Mt 13, 24. 86) Lc 8, 8.

agnitionem veritatis pervenire, [87] sed tamen quod pauci sunt qui salvantur, vix quarta fidelium pars. *Vult* Deus *omnes... salvos fieri,* hinc in omnium hominum cordibus ac mentibus posuit semina virtutum et scientiarum principia utriusque philosophiae. Vult omnes salvari, hinc seminat semen verbi Dei per praedicationem etiam super petram, super incultam terram, secus viam, inter spinas, non tantum super terram bonam, quia etiam petricosa terra potest fieri terra bona et reddere fructum salutis. Praedicatio Evangelii publico loco fit, nemo excluditur: *Praedicate Evangelium omni creaturae; qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit.* [88] Sed nonnisi una tantum pars terrae fructificat, tres partes sine fructu remanent, non ex defectu seminatoris aut seminis, sed proprio terrae defectu, quae apta minime est ad fructificandum.

In hac parabola Christus docet paucos esse qui salventur, quamvis Deus velit omnes salvos fieri.

Tria proponit Dominus impedimenta salutis: primum est negligentia, incuria et socordia: haec terra est inculta, *secus viam,* ubi semen perit, quia volucres coeli comedunt illud: *Venit diabolus,* etc. Secundum est inconstantia et instabilitas mentis, volubilitas animi: haec est terra petricosa, sine humore et altitudine terrae, ubi perit semen, quoniam natum exiccatur a solis ardoribus: *Ad tempus credunt et in tempore tentationis recedunt,* [89] *orta* tentatione *et persecutione propter verbum.* [90] Tertium est cura et sollicitudo superflua mundanarum rerum: haec terra est senticosa, spinis plena: *A sollicitudinibus et divitiis et voluptatibus... euntes, suffocantur et non referunt fructum,* [91] sive, ut Matthaeus habet: *Sollicitudo saeculi istius et fallacia divitiarum suffocat verbum;* [92] et Marcus: *Aerumnae saeculi et deceptio divitiarum et circa reliqua concupiscentiae... suffocant verbum.* [93] Quare tertio loco Dominus voluptates, divitias, curas saeculares, terrenas concupiscentias et aerumnas mundi huius impedimentum ponit.

Tres partes terrae sine fructu remanentes figurant tria impedimenta salutis.

VII. Primum impedimentum est incuria et negligentia circa animae salutem, ita ut, diabolo etiam operante, homo facile obliviscatur verbi Dei; sic volucres coeli comedunt semen. Hoc signum perditionis est, sicut pistor Pharaonis, cum somniasset quod volucres

Primum impedimentum est incuria circa animae salutem,

87) 1 Tim 2, 4. Vulg.: *Omnes homines vult... venire.* 88) Mc 16, 15. 89) Lc 8, 13.
90) Mc 4, 17. 91) Lc 8, 14. 92) 13, 22. 93) 4, 19.

coeli comedebant panes quos supra caput in canistro portabat, accepit a Ioseph interpretationem quod moriturus erat, fuit illud mortis prognosticum.[94] Ex terra bona non comedunt volucres semen, quoniam terra sepultum est: *In corde meo abscondi eloquia tua ut non peccem tibi;*[95] *In lege Domini meditabitur die ac nocte.*[96] At, contra, Ieremias ait: *Desolatione desolata est omnis terra, quia nullus est qui recogitet corde.*[97] Malum signum est cum verbum Dei auditur absque attentione mentis et devotione. De Christo Domino legimus quod, dum praedicaret, concurrebant undique populi, *ut audirent eum et sanarentur a languoribus suis.*[98] Qui autem absque ulla animi attentione verbum Dei audiunt, similes sunt iis qui stomachum habent valde debile et languidum, ita ut sumptum cibum retinere et coquere non possint, sed sumptum cibum magno cum fastidio mox reiciunt, quorum desperata salus est. De his inquit Dominus quod non credunt: *Venit diabolus et tollit verbum de corde eorum, ne credentes salvi fiant.*[99] Multi sunt qui, quamvis omnia fidei nostrae mysteria ad intellectum spectantia et quae veluti theorica tantum sunt procul dubio credunt, uti articulum Trinitatis, creationis mundi, Incarnationis et huiusmodi; sed quae ad praxim spectant, quod necesse est fugere peccata, mortificare carnem, resistere tentationibus diaboli, bona opera facere, Deum diligere super omnia, divinam legem servare, minime credunt, non possunt hoc sibi persuadere; divinam misericordiam facillime credunt, divinam autem iustitiam et severitatem divini iudicii non item, diabolo sic agente, *ne credentes salvi fiant.* Multi, audita concione, cum non integram fidem praestent verbo Dei, dicunt: Non est tam deformis diabolus ut pingitur,[100] non sunt vera omnia quae dicuntur; si vera omnia essent, quis salvaretur? Sic eis persuadet diabolus, *ne credentes salvi fiant;* nam per fidem salvamur, *quae per caritatem operatur,*[101] per fidem vivam.

qua fit ut verbum sine attentione audiatur

et absque vera et integra fide.

VIII. Alii sunt qui magna quidem cum animi attentione audiunt verbum Dei, imo *cum gaudio,* inquit, *suscipiunt verbum,* sed *radices non habent,*[102] *temporales sunt,*[103] non habent *altitudinem terrae,*[104]

Secundum est inconstantia

94) Cf. Gn 40, 16-22. 95) Ps 118, 11. 96) Ps 1, 2. 97) 12, 11. 98) Lc 6, 18. 99) Ibid. 8, 12. 100) Proverbium italicum, de quo cf. P. Fanfani *Vocabolario della Lingua Italiana,* sub voce: *Diavolo.* 101) Gal 5, 6. 102) Lc 8, 13. 103) Mc 4, 17. 104) Mt 13, 5.

ad tempus credunt et in tempore tentationis recedunt, orta tribulatione et persecutione propter verbum, scandalizantur. Omnes autem *qui volunt pie vivere in Christo . . . persecutionem patiuntur;* [105] *in patientia* autem *vestra possidebitis animas vestras;* [106] *Qui . . . perseveraverit usque in finem, hic salvus erit;* [107] *Nemo* autem *mittens manum . . . ad aratrum et respiciens retro, aptus est regno Dei;* [108] uxor Loth respiciens retro conversa fuit in statuam salis. [109] *Optimum est . . . gratia stabilire cor;* [110] hinc Paulus optabat Ephesiis et fidelibus omnibus ut essent *in caritate radicati ac fundati,* ac spiritu et *virtute* corroborati *in interiori homine.* [111] *Temporales,* inquit, *sunt; ad tempus credunt et in tempore tentationis recedunt;* utique a diabolo tentati, impugnati et expugnati deponunt arma iustitiae et servi satanae iterum fiunt, nam: *A quo . . . quis victus est, illius et servus est.* [112] Sic deficientes in via virtutis non referunt fructum salutis, sed cum Hebraeis in deserto recordati carnium Aegypti ad Pharaonis servitutem, [113] ad ducendum iugum cum infidelibus [114] iterum revertuntur.

et instabilitas mentis et voluntatis.

IX. Sunt tertio loco alii qui verbum Dei audiunt, nec sunt incuriosi et imprudentes homines ut primi, nec instabiles et volubiles ut secundi, sed tamen non referunt fructum impediti nimia cura et sollicitudine rerum saecularium et temporalium. Prudentia carnis inimica salutis est. Sic semen verbi Dei seminatum, natum et crescens, suffocatur a spinis nimiae sollicitudinis et curae bonorum temporalium ac mundanae vanitatis, quasi divinam providentiam minime crederent; sic more gentilium vivunt. Ait autem Dominus quod *nemo potest duobus dominis servire . . . Non potestis Deo servire et mammonae;* [115] avaritia *est idolorum servitus.* [116] Angustatum est stratum et pallium breve est, utrunque operire non potest. Sic enim apud Isaiam legimus: *Coangustatum est . . . stratum, ita ut alter decidat,* idest duos capere non potest lectus angustus, *et pallium breve* est, *utrunque operire non potest.* [117] Animus noster Deum simul et mundum capere non potest, sicut nec uxor duos viros, nec regnum duos reges potest habere.

Tertium est cura superflua mundanarum rerum.

105) 2 Tim 3, 12. Vulg.: *Qui pie volunt . . . patientur.* 106) Lc 21, 19. 107) Mt 10, 22. 108) Lc 9, 62. 109) Cf. Gn 19, 26. 110) Hebr 13, 9. 111) Eph 3, 16-17. 112) 2 Petr 2, 19. Vulg.: *A quo . . . quis superatus est, huius,* etc. 113) Cf. Ex 16, 2-3. 114) Cf. 2 Cor 6, 14. 115) Mt 6, 24; Lc 16, 13. 116) Eph 5, 5; Col 3, 5. 117) 28, 20.

quia abundantia divitiarum facile Dei oblivionem inducit,

Abundantia divitiarum facile Dei oblivionem inducit; nam Manasses frater fuit Ephraim,[118] ille interpretatur o b l i v i o, hic autem o p u l e n t i a. Appellat Christus hodie divitias *fallaces*, quoniam vanae sunt, ipsissima vanitas. Abel fuit frater Cain;[119] vanitas soror possessionis divitiarum: *Vanitas vanitatum et omnia vanitas.*[120] Nec tantum fallaces appellat, sed etiam molestas, *spinas* pungentes. Sic ait S a l o m o n: *Omnia vanitas et afflictio spiritus.*[121] Appellat impedimenta virtutum, quoniam, ut poeta latinus ait:

« Effodiuntur opes irritamenta malorum »;[122]

de vitiis fiunt divitiae, sunt laquei diaboli. Sic P a u l u s ait: *Qui volunt divites fieri, in tentationem incidunt et in laqueum diaboli;*[123] sunt virtutum venena et vitiorum fomenta.

animum anxietatibus replet,

Coniungit Dominus cum divitiis et voluptatibus aerumnas. Hae semper concomitantur saeculares divitias, quoniam cum labore acquiruntur, cum timore possidentur et cum dolore amittuntur.[124] Ubi amor ibi dolor, nam ex amore nascitur dolor. Sic divitias sequuntur anxiae curae multaeque aerumnae, quoniam fugaces divitiae sunt et facillime evanescunt sicut fumus. Adeo autem difficilem viam salutis reddunt, ut Christus dixerit quod impossibile est divites intrare in regnum coelorum,[125] quoniam divitias suapte natura fere semper avaritia, luxus, superbia et vanitas consequuntur et concomitantur; haec autem venena sunt mortifera, nam carnalia desideria *militant adversus animam.*[126] Superfluae igitur curae humanarum rerum salutem impediunt et consecutionem vitae aeternae. Dives homo est sicut pavo ornatus, pulcher, gloriosus, sed turpes habet pedes caudamque in hieme amittit; sicut serpens pulcra colorum varietate natura picturatus, sed intus venenum habet; Tantalus est infelix.[127]

et multorum vitiorum causa et origo est.

X. *Quod autem* cecidit *in terram bonam, hi sunt qui in corde bono et optimo audientes verbum retinent, et fructum afferunt in patientia.*[128] M a t t h a e u s ait: *Qui verbum audit et intelligit;*[129] M a r c u s:

118) Cf. Gn 41, 51-52; 48, 1. 119) Cf. ibid. 4, 1-10. 120) Eccle 1, 2. 121) Ibid. vr. 14. 122) Ovid. *Metamorph.*. lib. 1, vr. 140. 123) 1 Tim 6, 9. Vulg.: *Incidunt in tentationem*, etc. 124) Cf. supra, not. 89 praec. hom., pag. 56. 125) Cf. Mt 19, 23. 126) 1 Petr 2, 11. 127) Alludit ad mythologiam de supplicio Tantali, de quo cf. Petronius *Satyron*, sat. 82; C. Iul. Hyginus *Fabulae*, fab. 82, pag. 20. 128) Lc 8, 15. Vulg.: *In bonam terram*, etc. 129) 13, 23.

Qui verbum audiunt et suscipiunt.[130] Sic differunt hi ab omnibus aliis; nam primi audiunt, sed non suscipiunt, idest non intelligunt; secundi suscipiunt, sed non retinent; tertii retinent, sed non *afferunt fructum in patientia.* Sed: *Patientia... vobis necessaria est, ut... reportetis promissionem,*[131] nam *patientia... opus perfectum habet, ut sitis perfecti et integri in nullo deficientes,* inquit Iacobus apostolus,[132] qui item ait: *Patientes... estote, fratres* mei, *usque ad adventum Domini. Ecce agricola expectat pretiosum fructum terrae, patienter ferens, donec veniat temporaneum et serotinum. Patientes... estote et vos et confirmate corda vestra, quoniam adventus Domini appropinquavit.*[133] Patientiam ponit hic Dominus contra amorem sensualem et concupiscentias divitiarum et voluptatum, contra amorem praesentium ac temporalium bonorum. Haec causa et origo est omnium malorum, causa perditionis multorum, quoniam nimio affectu diligunt temporalia. **Qui autem ab amore temporalium bonorum liberi sunt,**

Per Oseam Dominus ait: *Corripientur propter duas iniquitates... Ephraim vitula docta diligere trituram..., arabit Iudas* et *confringet sibi sulcos Iacob.*[134] *Duas iniquitates* dicit, quoniam: *Duo... mala fecit populus meus: me dereliquerunt fontem aquae vivae et foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quae continere non valent aquas.*[135] Hoc est *vitulam doctam diligere trituram.* Opponit Vates triturare contra arare. Hoc discrimen est inter arare et triturare, quoniam arare messem expectat futuram, triturare autem habet praesentem. Bos libentius triturat quam aret, maxime si iuxta legis mandatum trituret: *Non alligabis os bovi trituranti;*[136] nam etiam solutus a iugo ad aream sua sponte revertitur ut comedat, laborem autem refugit arandi. Obiectum praesens efficaciter movet potentiam. Sic ait: *Ephraim,* mundani homines sunt sicut vitula quae libenter triturat, non arat; gaudent praesentibus bonis, non futuris; Iudas autem arabit, Iacob proscindet sibi sulcos, idest spirituales homines, vere fideles servi Dei laborabunt pro futuris bonis ut faciant quae sequuntur in Vate: *Seminate vobis in iustitia et metite in ore misericordiae, innovate vobis novale, tempus... requirendi Dominum, cum* **facilius bona spiritualia quaerunt et consequuntur.**

130) 4, 20. 131) Hebr 10, 36. 132) 1, 4. 133) Ibid. 5, 7-8. Vulg.: *Donec accipiat,* etc. 134) 10, 10-11. 135) Ier 2, 13. 136) Dt 5, 24. Refert ex 1 Tim 5, 18.

venerit, qui docebit vos iustitiam.[137] Seminate, inquit, ad iustitiam, nam: *Qui parce seminat, parce et metet, et qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet;*[138] *Qui seminat in carne... de carne... metet corruptionem; qui autem seminat in spiritu, de spiritu metet vitam aeternam.*[139] Sic ait: *Et metite in ore misericordiae,* idest et metetis, phrasis enim Scripturae est uti imperativo loco futuri in promissionibus. Sic per Isaiam ait: *Audite audientes me et comedite bonum,*[140] idest comedetis bonum. *Accedite ad eum et illuminamini,*[141] idest illuminabimini, quia bonum quod promittitur a Deo adeo certum est, ac si praesens esset: Metetis ergo *in ore misericordiae,* idest secundum voluntatem et desiderium vestrum; *os* enim saepe in Divinis Litteris pro voluntate ponitur: *Aperi os tuum et implebo illud;*[142] *Os Domini non interrogastis;*[143] *Metite in ore misericordiae,* metetis, colligetis amplissima bona, quae omne desiderium animi vestri expleant. *Novate* ergo *vobis novale,* idest proscindite, arate, seminate agrum, in quo nondum seminatum est: *Quaerite... regnum Dei et iustitiam eius;*[144] *Thesaurizate... vobis thesauros in coelo;*[145] operamini bona propter spem coelestium bonorum, nam: *Qui arat, in spe debet arare... percipiendi fructus,* inquit Apostolus.[146]

Hoc docent etiam prophetae Oseas et Isaias.

XI. *Semen bonum,* quod *cecidit in terram bonam, fecit fructum* bonum, *aliud centesimum, aliud sexagesimum, aliud* vero *trigesimum: Qui in corde bono et optimo.* Describit Dominus triplicem statum fidelium in Ecclesia sua. Quidam boni sunt, bene vivunt, fugiunt peccata letalia, servant divinae legis mandata, nec tamen student ut meliores fiant; alii vero satagunt semper ut proficiant in virtutibus, ut acquirant virtutes animi purgati; tandem alii iam sunt perfectionem virtutum assecuti, in magna sanctitate Deo serviunt. Primi habent cor bonum, secundi melius, tertii optimum. Primi faciunt fructum trigesimum, secundi sexagesimum, tertii centesimum. Hae sunt tres partes tabernaculi et templi Domini,[147] veluti tres partes mundi huius.[148] Respiciunt hi tres status tres actus hierarchicos: purgationem, illuminationem et perfectionem animi, mentis et spiritus.

Hac parabola Christus etiam describit triplicem statum fidelium in Ecclesia:

Imperfectorum, proficientium et perfectorum.

137) Os 10, 12. 138) 2 Cor 9, 6. 139) Gal 6, 8. 140) 55, 2. 141) Ps 33, 6. 142) Ps 80, 11. Vulg.: *Dilata os tuum,* etc. 143) Is 30, 2. 144) Mt 6, 33. 145) Ibid. vr. 20. 146) 1 Cor 9, 10. Vulg.: *Debet in spe, qui arat, arare... fructus percipiendi.* 147) Cf. Ex 36, 3-37, 1 sqq.; 3 Rg 6, 8. 148) Idest: Minerale, vegetale, animale.

Exiit qui seminat seminare semen suum. Divus Iacobus in sua epistola veluti quandam paraphrasim facit super hodiernum Evangelium dicens : *Omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum.*[149] Sic : *Exiit qui seminat: Exivi a Patre et veni in mundum ;*[150] *A summo coelo egressio eius ;*[151] *Voluntarie enim genuit nos verbo veritatis, ut simus initium aliquod creaturae eius.*[152] Hinc dicitur *semen,* quia eo nos spiritu regeneramur: *Nisi* enim *Dominus . . . reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus et quasi Gomorrha similes essemus,*[153] defecisset omnino Ecclesia.

Verbum Dei dicitur *semen*, quia eo nos spiritu regeneramur.

XII. Sed quomodo audiendum verbum Dei et quid operatur ? *Propter quod abicientes omnem immunditiam et abundantiam malitiae, in mansuetudine suscipite insitum verbum, quod potest salvare animas vestras.*[154] Sed sufficit ne tantum audire ? *Estote . . . factores verbi et non auditores tantum, fallentes vosmetipsos. Qui . . . perspexerit in legem perfectam libertatis . . . non auditor obliviosus factus, sed factor operis, hic beatus in facto suo erit.*[155] Quid sit autem *obliviosus auditor* declarat : *Nam, si quis auditor est verbi et non factor, hic comparabitur viro consideranti vultum nativitatis suae in speculo ; consideravit enim se et abiit, et statim oblitus est qualis fuerit.*[156] Debet quisque nostrum esse sicut sponsa, quae domo in publicum egressura, seipsam prius optime contemplatur in speculo, ut nulla sit in vultu macula, nihil quod oculos possit aspicientium offendere. *Auditor obliviosus* est terra *secus viam.* Monet etiam idem Apostolus ut *sit . . . omnis homo promptus ad audiendum, tardus autem ad loquendum,*[157] nam et natura dedit nobis duas aures et os unum, ut simus multo promptiores ad audiendum quam ad loquendum.

Verbum Dei libenter audiendum est et executioni mandandum.

Exiit qui seminat seminare semen suum. Seminat Christus et seminat diabolus, Christus *bonum semen,* diabolus, *inimicus homo, zizania ;*[158] Christus virtutes, diabolus vitia, concupiscentiam carnis, concupiscentiam oculorum et superbiam vitae.[159] Semen Christi parum fructificat, semen vero diaboli multum, quoniam : *Mundus totus in maligno positus est.*[160] Christus seminat triticum, diabolus spinas.

Christus et diabolus seminatores sunt, sed semen diaboli magis fructificat quam Christi.

149) 1, 17. 150) Io 16, 28. 151) Ps 18, 7. 152) Iac 1, 18. 153) Is 1, 9. 154) Iac 1, 21. 155) Ibid. vrr. 22-25. 156) Ibid. vrr. 23-24. Vulg.: *Quia, si quis,* etc. 157) Ibid. vr. 19. Vulg. : *Velox ad audiendum,* etc. 158) Mt 13, 27-28. 159) Cf. 1 Io 2, 16. 160) Ibid. 5, 19.

Dic mihi, homo, quod semen fructificat in te ? Semen Christi an semen diaboli ? Christianam an mundanam vitam ducis? Deo servis an mammonae ? Scito quod : *Omnis arbor quae non facit fructum bonum, excidetur et in ignem mittetur.* [161]

Semen, quod cecidit secus viam, vecordes figurat,

XIII. *Aliud cecidit secus viam ... Hi sunt qui audiunt* verbum, sed non intelligunt, vecordes sunt, de quibus per O s e a m Dominus ait : *Factus est Ephraim ... columba seducta, non habens cor ;* [162] et per I e r e m i a m : *Audi, populc stulte, qui non habes cor, qui habentes oculos non videtis ..., aures et non auditis.* [163] Sic multi stulti sunt et imprudentes in negotio salutis suae, de quibus per eundem O s e a m Dominus ait : *Ephraim factus est subcinericius panis, qui non reversatur. Comederunt alieni robur eius, et ipse nescivit ; sed et cani effusi sunt in eo, et ipse ignoravit.* [164] Comedunt *volucres coeli,* daemones, semen verbi Dei, in quo salus et vita consistit, et nihil curant, sicut columbae excordes laqueos non cavent, nec ablatos pullos curant ; et sic ad senectutem usque perseverant, nec accedentibus sapientiae annis prudentiores fiunt : *Utinam saperent et intelligerent ac novissima providerent !* [165]

quod super petram, instabiles,

Aliud cecidit super petram ... Temporales sunt, flamma stipulae, similes Balaamo qui, cum vidisset populum Israel Dei speciali providentia rectum et gratia florentem, ait : *Moriatur anima mea morte iustorum et fiant novissima mea horum similia !* [166] Sed postea apertis oculis cadebat, [167] desiderabat enim non vitam, sed mortem iustorum. Multi sunt qui cupiunt male vivere cum mundanis, et bene mori cum servis Christi. Sed qualis vita talis mors, citra miraculum : *Mors peccatorum pessima ;* [168] *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius.* [169] *Temporales sunt,* facile mutantur. Per I e r e m i a m Dominus ait : *Transite ad insulas Cethim et videte, et in Cedar mittite et considerate vehementer, et videte si factum est huiuscemodi : si mutavit gens deos suos, et certe ipsi non sunt dii ; populus autem meus mutavit gloriam suam in idolum.* [170] Arbor quae saepe de loco in locum transplantatur, nunquam fructificat.

161) Mt 7, 19. 162) 7, 11. 163) 5, 21. 164) 7, 8-9. 165) Dt 32, 29. 166) Nm 23, 10. 167) Cf. ibid. 24, 16. 168) Ps 33, 22. 169) Ps 115, 15. 170) 2, 10-11. Vulg.: *Populus vero meus,* etc.

Aliud cecidit inter spinas. Cor nostrum ob naturae corruptionem et peccati infectionem sicut terra est, quae libentius spinas et malas herbas producit quam bonas, quoniam natura nostra veluti mater vitiorum est et noverca virtutum ; propensiores semper sumus ad malum quam ad bonum. Hoc est quod apud Aggaeum legimus quod tactu rei sanctae secundum legem non sanctificabantur quae non erant sancta, sed tactu rei immundae fiebant immunda quae erant munda,[171] quoniam facilius contrahitur vitium quam virtus, malitia quam bonitas. quod inter spinas, infectos vitiis,

XIV. *Quod autem cecidit in terram bonam ... qui in corde bono ... audientes verbum retinent,* sicut Virgo Sanctissima *conservabat ... verba* divina *conferens in corde suo,*[172] verbum retinent intra cordis arcam, sicut intra arcam testamenti iussit Dominus asservari perpetuo divinae legis tabulas,[173] tanquam pretiosissimas reliquias sacratissimasque, summa veneratione dignas. Si sacras veneramur, ut par est, Sanctorum reliquias, maxime vero vestes et passionis Christi instrumenta, quoniam Christi corpus tetigere, quanto magis venerari debemus verba Christi egressa ex ore eius, ex eius pectore, ex corde ipsius ? Reliquiae sunt sanctissimae et sacratissimae, nobilissimo reliquiario dignae. Ea igitur intra cor nostrum reponamus. quod in terram bonam, illos qui verbum Dei in corde devote custodiunt.

171) Cf. 2, 13-16. 172) Lc 2, 19. 173) Cf. Dt 10, 5.

DOMINICA QUINQUAGESIMAE

Ecce ascendimus Ierosolymam, et consummabuntur omnia quae scripta sunt per Prophetas de Filio hominis, etc. [1]

Tria mysteria proponuntur in hodierno Evangelio:

I. Tria mysteria habemus in hodierno Evangelio: primum est itineris et peregrinationis Christi: *Ecce ascendimus Ierosolymam; Et ascendens ... Ierosolymam assumpsit* secum *duodecim discipulos suos*, inquit Matthaeus.[2] Secundum est vaticinium ac praedictio passionis, mortis et resurrectionis ipsius: *Tradetur enim gentibus et illudetur et flagellabitur et conspuetur et, postquam flagellaverint, occident eum, et tertia die resurget.*[3] Tertium est divinum miraculum illuminationis caeci Bartimaei filii Timaei:[4] *Respice, fides tua te salvum fecit. Et confestim vidit et sequebatur illum magnificans Deum.*[5]

in primo Christus ostenditur verus homo, in secundo sanctus propheta, in tertio verus Deus.

Primum mysterium declarat veritatem humanae naturae in Christo; secundum, plenitudinem gratiae, spiritum prophetiae et magnitudinem caritatis; tertium demonstrat veritatem divinitatis.[6] Primum mysterium mirabile est, secundum mirabilius, tertium mirabilissimum, grande miraculum.

Quoad primum describuntur multa ab Evangelistis de hoc Christi itinere. Primo, unde discedebat: ab Iericho, sic enim habet Lucas: *Cum appropinquaret Iericho;*[7] Marcus vero ait: *Proficiscente illo*

1) Pericope huius diei Lc 18, 31-43. Cf. Missale Rom. 2) 20, 17. 3) Lc 18, 32-33. 4) Cf. Mc 10, 46 sqq. 5) Lc 18, 42-43. 6) In margine haec adiecta fuerunt: « In primo mysterio ostenditur Christus peregrinus sanctus; in secundo propheta verus; in tertio medicus mirabilis, Salvator divinus, homo et verus Deus. Quoad primum duo consideranda sunt: historia et mysterium; historia, quia pergit ad mortem; mysterium, quia pergit ad gloriam. Via autem qua pergitur ad patriam, caritas est. Sic Paulus ait: *Adhuc excellentiorem viam vobis demonstro. Si linguis hominum loquar, etc.* Sic Epistola facit organum et consonantiam cum Evangelio ». 7) 18, 35.

de Iericho; [8] Matthaeus etiam: *Egredientibus illis ab Iericho.* [9] Secundo, quo ibat: quoniam Ierosolymam ibat, in civitatem sanctam, ubi templum erat. Tertio, cum quibus comitibus fecit Christus iter hoc: quoniam cum duodecim Apostolis: *Assumpsit secum duodecim discipulos suos,* inquit Matthaeus. Quarto, quomodo Christus iter hoc egerit: *Erant... in via ascendentes Ierosolymam, et praecedebat illos Iesus, et stupebant et sequentes timebant;* [10] cumque a Galilaea Christus discessisset ut Ierosolymam veniret ad paschalem solemnitatem, in qua pro salute humani generis mortem crucis subiturus erat, totum iter cum discipulis suis pedes confecit; nisi quod, cum tandem appropinquasset Ierosolymam, super asinum equitavit, siquidem in die Palmarum Christus hoc iter peregit. [11] Fuit igitur hodierna peregrinatio haec illustrissima, nam summo cum honore Christus receptus fuit in Ierusalem tanquam verus rex Israel verusque Messias.

Circa primum tria consideranda sunt: locus a quo Christus discedit, locus quo vadit, comites eius itineris.

Plenum mysteriis et sacramentis est iter hoc, peregrinatio haec Christi. Peregrinatur Christus ab Iericho, imo a Galilaea in Ierusalem, una cum discipulis suis. Voluit Christus peregrinus esse in mundo, non civis, sicut Cain qui aedificavit civitatem: [12] *Exivi a Patre et veni in mundum; iterum relinquo mundum et vado ad Patrem.* [13] Populus Israel peregrinatus fuit ab Aegypto usque ad terram promissionis per desertum quadraginta annis. [14] Idem est mysterium hodiernae peregrinationis. Ierusalem terra est promissionis, Galilaea revolutio, Iericho luna, Aegyptus mundus iste. Finis peregrinationis nostrae a Deo destinatus et praefixus Ierusalem est, יְרוּשָׁלַיִם, [15] duplex pax, duplex felicitas: corporis et animae, carnis et spiritus, sensus et rationis: *Ingredietur et egredietur et pascua inveniet;* [16] *Cor meum et caro mea exultaverunt in Deum vivum.* [17]

Peregrinatio Christi de Iericho in Ierusalem figura est peregrinationis nostrae de mundo ad coelum.

II. *Ecce ascendimus Ierosolymam.* In hoc Christi itinere duo nobis meditanda occurrunt: mysterium et historia; sicut Ierusalem mysterio quidem significat coelestem patriam: *Illa autem, quae sursum*

In itinere Christi duo meditanda: mysterium et historia.

8) 10, 46. Vulg.: *Proficiscente eo de Iericho.* 9) 20, 29. 10) Mc 10, 32.
11) Cf. Mt 21, 1-10; Mc 11, 1-10; Lc 19, 29-40. 12) Cf. Gn 4, 16-17. 13) Io 16, 28.
14) Cf. Dt 2, 7; 8, 2-4; 2 Esr 9, 21. 15) Ms.: *Ierusalaim.* 16) Io 10, 9.
17) Ps 83, 3.

est Ierusalem, libera est, quae est mater nostra, [18] historia autem civitas erat metropolis regni Israelis, in qua regnavit David [19] et Salomon, [20] in qua fuit templum sanctum Dei, et verus Dei cultus diu viguit usque ad Christi adventum. [21]

Quoad mysterium Galilaea mundum significat, in quo est perpetua rerum revolutio

Quoad mysterium igitur Ierusalem significat patriam coelestem, peregrinatio cursum vitae Christi, Galilaea autem et Iericho mundum istum. Quid enim mundus iste est nisi perpetua revolutio rerum? Generatione, motu et tempore regitur mundus iste atque servatur. Sed quid motus elementorum et coeli? Revolutio: *Oritur sol et occidit... in circuitu pergit spiritus et in circulos suos reflectitur.* [22] Quid tempus? Perpetua revolutio et commutatio diei in noctem, aestatis in hiemem. Quid generatio? Ortus rerum tendentium ad interitum, sicut flumina ad mare tendunt, ubi desinunt esse flumina. Bona mundi huius appellantur bona fortunae; haec autem super instabilem rotam sedet, omnium rerum vicissitudo est. Supra rotam depinxit eam Apelles ad designandam instabilitatem ipsius, [23] nam rota volubilitatis hieroglyphicum est. Et quidem antiqui pingere solebant fortunam caecam, alatam, novaculam manu tenentem, cum cornucopiae in ipsius dextera et clavo navis in sinistra, sed ipsa pilae insistebat. Plutarchus *de Fortuna Romanorum,* ut eis adularetur promittens imperii aeternitatem – sicut Virgilius cum dixit:

et fortunae instabilitas.

«His ego nec metas rerum nec tempora ponam;
Imperium sine fine dedi», [24]

– scribit quod fortuna Romam ingressa deposuit alas vestesque et pilam summe volubilem, quasi perpetuo ibi permansura nec amplius inde obvolatura. [25] Sed exitus acta probat. Ubi nunc Romanorum imperium?

Nec tantum a Galilaea sumitur mundi huius symbolum, sed

18) Gal 4, 26. 19) Cf. 2 Rg 5, 5. 20) Cf. 3 Rg 3, 1. 21) In margine haec adiecta fuerunt: «Circa mysterium tria nobis consideranda sunt: principium unde discedit, nam a Galilaea; medium per quod transit, nam transit per civitatem Iericho; et finis quo tendit: *Ascendimus Ierosolymam.* Tum Galilaea tum Iericho mundanam significant mutabilitatem. Nam duplex est in mundo mutabilitas: quaedam a natura dependet, quae veluti mare est in perpetuo fluxu atque refluxu; quaedam vero ab humana voluntate, maxime vero principum, qui mundum mille commotionibus agitant». 22) Eccle 1, 5-6. Vulg.: *Revertitur.* 23) Cf. Pierius Valerianus *Hieroglyphica* seu *De Sacris Aegyptiorum,* lib. 39, cp. 45, pag. 413. 24) *Aeneid.*, lib. 1, vrr. 282-283. «... Nec tempora pono». 25) Pag. 265.

etiam ab Ierícho, quod luna interpretatur, sive lunatio ac lunaris mensis. Quid instabilius ac mutabilius luna? Haec autem humanam vitam designat: *Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis... fugit velut umbra et nunquam in eodem statu permanet.*[26] Sic reperit Christus in Iericho hominem caecum, pauperem et mendicum, secus viam sedentem ad petendam stipem vitae a transeuntibus.[27] Brevis est vita hominis, sicut lunaris cursus instabilis, varia, nunquam in eodem statu permanens multisque repleta miseriis et calamitatibus. Hinc Christus nihil boni reperiens in hoc mundo, peregrinus esse voluit, cogitatione et desiderio semper tendens in coelestem Ierusalem. In Iericho Christus illuminavit caecum et convertit Zachaeum publicanum, imo principem publicanorum: *Hodie salus domui huic facta est, eo quod et ipse filius sit Abrahae.*[28] Ad hoc venit Christus Iericho, ut illuminaret caecum, ut salvaret Zachaeum; nam caecus est omnis qui saecularibus negotiis operam navat.

Iericho autem vitam humanam brevem et instabilem et miseriis repletam designat.

Peregrinatur Christus et cum eo discipuli eius. Omnes sumus peregrini in hoc mundo, sed non omnes ascendimus Ierosolymam cum Christo, sed multi descendimus cum Adamo *ab Ierusalem in Iericho,* qui *incidit in latrones*[29] spoliatusque fuit et, plagis ab eis acceptis, semivivus relictus. Hoc agimus dum cogitatione et desiderio non ad coelestia tendimus, sed ad terrena magno cum salutis nostrae detrimento, dum volumus esse cives huius mundi, non viatores et peregrini.

Omnes peregrini sumus in hoc mundo et cum Christo ascendendum nobis est in Ierusalem.

Quod vero spectat ad historiam, suscepit Christus peregrinationem hanc in Ierusalem, prope paschalem solemnitatem, pro salute nostra, ut pro humani generis redemptione et salute crucis subiret supplicium. Hinc ait: *Ecce ascendimus Ierosolymam* et Filius hominis *tradetur... gentibus et illudetur,* etc. Sciens autem hoc Christus quod ad certissimam mortem pergebat, non ibat tristis et lento gradu, sed alacris; hinc ait quod *praecedebat eos... et stupebant et sequentes timebant.* Unde elucet infinita Christi caritas ergo nos, qua voluit sibiipsi crudelis esse, ut nobis esset supra modum pius. Ostenditur autem fructus passionis Christi in illuminatione caeci, quoniam futurus erat sanguis

Quoad historiam Christus iter hoc suscepit ut pro salute nostra passionem et mortem subiret.

26) Iob 14, 1-2. 27) Cf. Lc 18, 35. 28) Ibid. 19, 9. 29) Ibid. 10, 30.

Christi optimum collyrium ad illuminandam mentium nostrarum caecitatem, sicut felle piscis illuminatus fuit caecus Tobias.[30]

Divus Lucas agens de hoc Christi itinere ait quod, dum consummarentur dies assumptionis eius, *ipse faciem suam* firmaverat *ut iret in Ierusalem;*[31] ubi ostendit animi fortitudinem et constantiam Christi intrepidam; corde enim impavido obviat morti ut fortis athleta, sicut Paulus sciens quod magnam persecutionem passurus erat a Iudaeis, si iret in Ierusalem, ire tamen firmissime voluit etiam si mortem fuisset passurus.[32] Ita Christus nihil timens pergit in Ierusalem ad mortem certissimam.

Aliud mysterium in hodierno Evangelio continetur; praedicit enim Christus passionem suam,

III. Mysterium autem secundum hodierni Evangelii est vaticinium et praedictio passionis et mortis ac futurae postea resurrectionis: Implebuntur *omnia quae scripta sunt per Prophetas de Filio hominis.* Saepe Dominus locutus fuit de passionis et mortis suae mysterio, ita ut etiam in gloriosa transfiguratione cum Moyse et Elia de hoc mysterio pertractarit: *Dicebant excessum... quem completurus erat in Ierusalem.*[33] Apostolis vero multoties revelavit futuram passionem. In Caesarea Philippi, postquam Petrus ex divina revelatione confessus fuit Christi divinitatem: *Exinde,* inquit Matthaeus, *coepit Iesus ostendere discipulis suis quia oporteret eum ire Ierosolymam, et multa pati a senioribus et scribis et principibus sacerdotum, et occidi, et tertia die resurgere.*[34] Postea vero in Galilaea; sic enim idem Matthaeus refert: *Conversantibus... illis in Galilaea, dixit illis Iesus: Filius hominis tradendus est in manus hominum, et occident eum, et tertia die resurget.*[35] Tertio hodie prope Iericho, pergens in Ierusalem, et quarto in sermone quem habuit cum discipulis post coenam agni paschalis, in nocte passionis.[36]

quam pluries revelaverat,

Nec simpliciter revelabat Christus discipulis suis futuram passionem, sed requirebat ut firma memoria haec retinerent ac meditarentur mysteria. Sic enim Lucae 9 legimus: *Ponite vos in cordibus vestris sermones istos: Filius enim hominis futurum est ut tradatur in manus hominum;*[37] veluti si quis alicui magnum credit

30) Cf. Tob 11, 13-15. 31) 9, 51. 32) Cf. Act 21, 13. 33) Lc 9, 31. 34) 16, 13-21. 35) 17, 21-22. Vulg.: *Conversantibus ... eis,* etc. 36) Cf. Mt 26, 2-24; Mc 14, 17-21; Lc 22, 7-23; Io 13, 1-30. 37) Vr. 44.

thesaurum in depositum, rogat ut magna cura illum custodiat. Sic Christus egit mysterium hoc revelans Apostolis. Nam Christi passio magnus thesaurus est, thesaurus inaestimabilis et infinitus omnium bonorum, thesaurus gratiae et meritorum Christi, thesaurus misericordiae, iustitiae et caritatis Dei, thesaurus potentiae, sapientiae et bonitatis unigeniti Filii Dei, thesaurus gloriae paradisi. Hinc secreto divinum hunc thesaurum Apostolis commisit Christus. Ait enim Matthaeus quod: *Assumpsit duodecim discipulos* suos *secreto et ait illis : Ecce ascendimus Ierosolymam*, etc.[38] Hunc librum vult Dominus nos legere ac perpetuo studere, semper prae manibus habere, in quo sunt paginae albae innocentiae, puritatis et sanctitatis Christi verae divinae; litterae rubeae caritatis, iustitiae et meritorum sanguinis Christi; litterae nigrae peccatorum nostrorum, nam : *Posuit in eo Dominus iniquitatem omnium nostrum.*[39]

ut firma memoria retineretur ac eius mysteria recolerentur,

IV. Saepe locutus est Dominus de passionis suae mysterio, quoniam : *Ex abundantia... cordis os loquitur.*[40] Dux exercitus bellum cum hoste commissurus, loquitur cum suis militibus de futuro conflictu et pugna, quoniam de futuro bello semper cogitat nihilque magis cordi est; sic futura passio semper cordi Christi insidebat. Hinc apud Lucam aiebat: *Baptismo... habeo baptizari, et quomodo coarctor usque dum perficiatur !*[41] Loquitur de baptismo sanguinis.

et ut demonstraret ardens suum desiderium pro nobis patiendi;

Saepe etiam Christus de passione sua cum discipulis suis loquebatur, ut eam imprimeret eorum mentibus et cordibus, firma ut memoria eam perpetuo retinerent. Nam ad hoc instituit Sacramentum Corporis et Sanguinis sui dicens : « Haec quotiescunque feceritis, in mei memoriam facietis »;[42] et Paulus ait : *Quotiescunque... manducabitis panem hunc et calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis donec veniat.*[43] Memoria nanque passionis Christi summe utilis et necessaria nobis est ad vincenda peccata, ad superanda omnia tentamenta diaboli, carnis et mundi. Est enim poenitentiae et contemptus mundi incitamentum; est passio Christi veluti domus armamenti magni principis, in qua sunt omnia armorum genera ad pugnandum;

memoria enim Christi passionis thesaurus infinitus est omnium bonorum;

38) 20, 17-18. 39) Is 53, 6. Vulg.: *Posuit Dominus in eo*, etc. 40) Mt 12, 34.
41) 12, 50. 42) Missale Rom. in Canone post consecrationem. 43) 1 Cor 11, 26.

hinc ait Petrus: *Christo... passo in carne..., vos eadem cogitatione armamini.* [44] Est veluti aromataria regis officina, ubi reperiuntur optimae medicinae contra omnes infirmitates, remedia contra omnes plagas, antidota contra omnia venena. Sic enim serpens aeneus curavit omnes Hebraeorum infirmitates omniaque extinxit ignitorum serpentum venena. [45] Consolatio est omnium afflictorum, lignum quod dulces reddidit amarissimas aquas Mara, [46] quoniam hic *Deus* est *totius consolationis.* [47] Est liber scientiae salutaris, ubi habentur aphorismata protomedici Christi, medicorum omnium principis et magistri, ad curandas omnes infirmitates; ubi docetur et traditur militaris disciplina ad optime pugnandum contra omnes salutis nostrae inimicos; charta nautica ostendens omnia maris pericula; cosmographia et topographia generalis totius mundi; schola totius philosophiae, virtutum et scientiarum academia. Hic enim elucent sole clarius omnes Christi virtutes contra omnia vitia mundi; divinum est exemplar omnium heroicarum virtutum: *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia eius.* [48] Convivium est omnibus epulis cibisque optimis instructum, ubi recreatur spiritus viresque refocillantur; hinc Paulus ait: *Recogitate... eum, qui talem sustinuit adversus semetipsum a peccatoribus contradictionem, ut non fatigemini deficientes animis vestris; nondum enim usque ad sanguinem restitistis adversus peccatum repugnantes.* [49] Ecclesia est, in qua est perpetua indulgentia plenaria, uti erat antiquitus in templo Domini in die expiationis, [50] nam: *Sanguis... Christi... emundat... ab omni delicto.* [51] Mare Rubrum est, in quo submerguntur omnes Aegyptii, [52] vincuntur omnes daemones; generale diluvium, in quo pereunt omnes peccatores, [53] imo delentur et pereunt omnia peccata et salvantur omnes peccatores a Christo iustificati. Inculcat Dominus memoriam passionis et resurrectionis, ut sciamus quod, si *oportuit pati Christum* et resurgere a mortuis *et ita intrare in gloriam suam,* [54] nos quoque *per multas tribulationes intrare oportet in regnum Dei,* [55] per desertum

44) 1 Petr 4, 1. 45) Cf. Nm 21, 6-9. 46) Cf. Ex 15, 22-26. 47) 2 Cor 1, 3. 48) 1 Petr 2, 21. 49) Hebr 12, 3-4. Vulg.: *Sustinuit a peccatoribus adversus... ut ne fatigemini animis vestris deficientes,* etc. 50) Cf. Ex 30, 10; Lv 16, 1 sqq. 51) 1 Io 1, 7. Vulg.: *Ab omni peccato.* 52) Cf. Ex 14, 24-31. 53) Cf. Gn 7, 17 sqq. 54) Lc 24, 26. 55) Act 14, 21. Vulg.: *Oportet nos intrare,* etc.

intrare in terram promissionis, per aquam et ignem transire, ut inducamur in refrigerium Domini. [56]

Praedixit saepe passionem suam, ut sciamus quod voluntarie passus est sciens et volens ipse. Hinc pergit ad mortem veluti ad celebrandam paschalem solemnitatem, quasi ad laetissimum convivium invitatus, ut nos libenter sufferamus adversa omnia, imo gloriemur in cruce Domini, in passionibus et infirmitatibus nostris. [57] Ostendit Dominus quod passio ipsius scala coeli est et porta paradisi : *Tradetur ... gentibus et illudetur et flagellabitur et conspuetur et, postquam flagellaverint, occident eum, et die tertia resurget.* Statim post ignominiam passionis recenset gloriam resurrectionis ; nam : *Humiliavit semetipsum* Dominus Iesus Christus *usque ad mortem, mortem autem crucis ; propter quod et Deus exaltavit illum et donavit illi nomen, quod est super omne nomen.* [58]

Insuper ut demonstraret volentem ac scientem se ad passionem ire;

V. Aliud autem adhuc nobis adnotandum est quod, cum venisset Dominus Iericho, civitatem sitam in regione iuxta Iordanem, quae quidem regio, Scriptura teste, erat sicut paradisus Domini, [59] regio magnarum deliciarum, hic Christus in loco deliciarum, ubi filii Zebedaei per matrem petierunt primas regni Christi sedes primosque honores, [60] loquitur Dominus et tractat de ignominia et poenis passionis et mortis suae. Non enim mundi delicias elegit Dominus, sed poenas et afflictiones. De Iericho legimus dictum Eliseo : *Habitatio terrae huius optima est ..., sed aquae pessimae sunt ;* [61] aquae autem magno miraculo ab Eliseo optimae factae fuere, [62] ita ut esset Iericho optima habitatio veluti paradisus deliciarum. Sed hic Dominus passionem futuram recenset, quoniam deliciae in causa fuerunt peccati. In paradiso deliciarum peccavit homo ; [62a] ad delendum autem peccatum illud oportuit pati Christum supplicium crucis.

et, quia deliciae causa peccati fuerant, ad delendum peccatum eum pati oportere.

Vide, homo, non elegit Christus bona huius mundi, quae carnem fovent et spiritui sunt obnoxia, sed mala, quae carnem affligunt et spiritum perficiunt. Tu vero quid agis ? Cur Christum Dei sapientiam non imitaris ? Cur in contraria studia totus adniteris ? An non dixit

Lacrimabilis caecitas nostra qui, dum Christus supplicium elegit,

56) Cf. Ps 65, 12. 57) Cf. 2 Cor 12, 5; Gal 6, 14. 58) Phil 2, 8-9. 59) Cf. Nm 13, 23-28; Ios 3, 1-17. 60) Cf. Mt 20, 20-29; Mc 10, 35-46. 61) 4 Rg 2, 19. Vulg.: *Habitatio civitatis huius*, etc. 62) Cf. ibid. vrr. 20-22. 62a) Cf. Gn 2, 15; 3, 1-7.

nos delicias quaerimus.

Christus filiis Zebedaei mundana haec desiderantibus et petentibus : *Nescitis quid petatis ?* [63] O caecitatem nostram !

Tertium mysterium continetur in illuminatione caeci;

VI. Sed iam tempus est ut tertium mysterium explicemus. Operatur Christus miraculum dans caeco lumen oculorum ad manifestandam virtutem deitatis suae. In quo quidem miraculo ex parte quidem Christi elucet divina potentia et misericordia, nam divinam misericordiam caecus implorabat : *Iesu fili David, miserere mei.* [64] Divus Matthaeus, qui referens hoc miraculum testatur duos caecos fuisse illuminatos a Christo, ait quod *misertus . . . eorum* Dominus *tetigit oculos eorum, et statim viderunt.* [65] Sic Dominus misericordia motus contulit tale tantumque lucis beneficium. Manifestavit etiam et exercuit virtutem divinitatis suae, dum solo verbo lucem oculorum creavit oculosque composuit et reformavit. Norunt medici et anatomistae quam mirabilis sit oculi compositio, quam magno naturae, imo Dei artificio compositus sit ex tribus humoribus : crystallino, vitreo et albugineo ; ex quinque tunicis : aranea, quae pupilla est oculi, retinea, quae nutrit vitreum humorem, uvea, quae est nigrum oculi, sive iris oculi minor, cornea, quae est iris oculi maior, in homine diversorum colorum, et alba sive candida, quae dicitur album oculi ; ex duobus nervis : motivo cum septem musculis, quibus movetur oculus, per quod etiam canale veniunt lacrimae a cerebro ad oculum, et optico, qui canalis est spirituum visivorum, vestitus duplici tunica, altera a meninge pia matre sumpta, altera a dura matre. Sic oculus corpusculum est etherogeneum, multis partibus mirabili artificio compositum. [66] Christus autem in ictu oculi, in instanti, tam mirabile opus fecit dicens : *Respice, fides tua te salvum fecit. Et statim vidit et sequebatur illum magnificans Deum.* [67] O mirabilem Christi virtutem et potentiam !

eo enim miraculo Christus virtutem suae divinitatis probavit,

Ex parte vero caeci illuminati elucet magnitudo fidei, quam Christus commendat : *Respice, fides tua te salvum fecit.* Corde enim credidit et ore confessus est [68] Christum dicens : *Iesu fili David, miserere mei.* Filius David idem est ac verus Messias, Rex Israel,

et in caeco illuminato exhibetur magnitudo fidei,

63) Mt 20, 22; Mc 10, 38. 64) Lc 18, 38. 65) 20, 30-34. Vulg.: *Et confestim viderunt.*
66) Cf. Lud. Caelius *Lect. Antiq.*, lib. 16, cp 1, col. 831-834. 67) Lc 18, 42-43.
68) Cf. Rom 10, 10.

Salvator a Deo promissus. Sed cum ait : *Miserere mei*, declarat omnipotentem Christi virtutem, quod solo voluntatis nutu poterat oculorum lumen ei tribuere. Ostenditur ingens salutis desiderium et fervor ac perseverantia orationis, nam : *Qui praeibant increpabant eum ut taceret ; ipse autem multo magis clamabat : Fili David, miserere mei.* [69] Vocatus autem a Christo, *exiliens*, ait Marcus, proiecit vestimentum suum ; [70] interrogatus a Christo : *Quid vis ut faciam tibi ?* respondit : *Domine, ut videam* lumen. [71] *Deus meus, illumina tenebras meas, quoniam tu illuminas lucernam meam, Domine.* [72] Ostenditur etiam gratitudo animi, nam illuminatus a Christo *sequebatur eum magnificans Deum*, quare ipse quoque cum Christo abiit.

fervor ardens ac perseverans eius orationis et gratitudo animi.

VII. Caecitas in Divinis Litteris significat vel infidelitatem, [73] quemadmodum infideles lumine fidei carentes caecos dicimus, vel ignorantiam, nam de Apostolis legimus quod *erat... cor eorum obcaecatum* [74] et non intelligebant quae dicebantur, antequam Spiritum Sanctum accepissent. [75] Caecus hic hodiernus non erat infidelis, nam in Christum credidit Christumque confessus fuit antequam illuminaretur. Est ergo caecitas ignorantia et privatio luminis divinae cognitionis, caritatis et gratiae, nam incognita diligere minime possumus. De hac caecitate ait per Isaiam Dominus : *Quis caecus, nisi servus meus ?... Quis caecus, nisi servus Domini ?* [76] Hoc autem significat summam esse caecitatem, summam fidelium imprudentiam qui, cum bene credant, male tamen vivunt quasi nihil penitus crederent. Divus Petrus ait quod cui praesto non sunt virtutes, quae hominem Deo gratum faciunt, *caecus est et manu tentans, oblivionem accipiens purgationis veterum suorum delictorum.* [77]

Caecitas in Sacris Litteris ignorantiam et privationem luminis divinae cognitionis figurat.

Sed sciendum nobis est quidnam damni tandem allatura sit nobis caecitas haec mentis et obtenebratio cordis. Paulus ait quod ignorans ignorabitur, [78] non cognoscetur a Christo : *Amen dico vobis, nescio vos.* [79] Hoc est quod legimus: *Caecus et claudus non*

haec autem ignorantia causa est perditionis.

69) Lc 8, 39. Vulg.: *Ipse vero*, etc. 70) 10, 50. 71) Lc 18, 41. Vulg.: *Quid tibi vis faciam? Lumen* adicitur in Breviario Rom. huius Dominicae, ad Mat., respons. IX lectionis. 72) Ps 17, 29. Ordine inverso affert hunc vr. 73) Cf. Is 42, 17-19; Mc 3, 5; Rom 11, 23-25; Eph 4, 17-19. 74) Mc 6, 52. 75) Cf. ibid. 9, 32; Lc 9, 45; 18, 34; Io 10, 6; 12, 16. 76) 42, 19. 77) 2 Petr 1, 9. 78) Cf. 1 Cor 14, 38. 79) Mt 25, 12.

intrabunt in templum, [80] excluduntur a domo Domini, non habent partem in regno Dei, ignorans ignorabitur. Sic Dominus perveniens ad finem hodierni itineris ac peregrinationis in die Palmarum, cum appropinquasset Ierosolymam, *videns civitatem flevit super eam dicens: Quia si cognovisses et tu . . . quae ad pacem tibi!* Quoniam *ad terram prosternent te . . . eo quod non cognoveris tempus visitationis tuae.* [81] Ubi ostendit Dominus quod ignorantia causa est perditionis nostrae, et per consequens multis lacrimis digna est.

Veram ergo Dei cognitionem quam maxime appetere debemus.

O utinam nos cum caeco hoc hodie lumen desideraremus : *Quid vis ut faciam tibi? Domine, ut videam* lumen! Omnis homo natura scire desiderat, sed non omnes salutarem scientiam appetunt, veram Dei cognitionem. Lumen oculorum caecus hic summopere desiderabat et expetebat a Christo : *Fili David, miserere mei . . . Multo magis clamabat : Fili David, miserere mei.* [82] Sic tandem obtinuit a Christo quod tantopere cupiebat. Illuminatus autem, relicta mendicitate, sequebatur Christum *magnificans Deum.* Haec vita est hominis a Christo illuminati : Christum sequi, imitari, peregrinari, ascendere in Ierusalem et Deum semper magnificare, semper ex corde gratias agere pro beneficiis acceptis.

80) 2 Rg 5, 8. 81) Lc 19, 41-44. Vulg.: *Super illam,* etc. 82) Ibid. 18, 39.

FERIA QUARTA CINERUM [1]

Cum ieiunatis, nolite fieri, sicut hypocritae, tristes, etc. [2]

I. Agitur in sacrosancto hodierno Evangelio de duplici ieiunio: altero quidem corporali, altero vero spirituali, quod est ieiunare a vitiis, maxime vero ab ambitione humanae laudis gloriaeque vanae et ab avaritia: *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra.* [3] Est autem animus de spirituali potius ieiunio verba facere, quoniam nil minus necessarium est ad salutem et multo difficilius est, imo nil magis negligitur hodie spirituali ieiunio a vitiis et maxime ab avaritia et cupiditate rerum humanarum, quae tamen *radix* est *omnium malorum.* [4]

Agit hodiernum Evangelium de duplici ieiunio: corporali et spirituali.

II. Duos thesauros proponit nobis hodie Christus, et ab altero quidem revocat, ad alterum vero provocat et invitat; revocat a thesauro terreno et provocat ad coelestem; sicut Deus Ieremiae ad portam templi ostendit duos calathos plenos ficis, alterum plenum ficis optimis, alterum vero pessimis; [5] et sicut idem Deus homini in paradiso duplicem proposuit arborem: vitae et scientiae, [6] sed alteram concessit, alteram vero prohibuit; concessit arborem vitae, prohibuit vero arborem scientiae boni et mali. [7] Sed, heu! sicut tunc homo diabolo magis quam Deo credidit, quod iure miramur, ita nunc quoque accidit, et nil miramur. Prohibet Christus verus Deus thesaurum terrenum, concedit autem coelestem; nos vero diaboli suasu nonnisi terrenum quaerimus et affectamus, et omnino simile accidit. Iussit

Duplicem thesaurum Christus hodie proponit: terrenum et coelestem, ab uno revocans, ad alterum invitans.

1) Haec homilia et sequens ab ipso S. Auctore inscriptae fuerunt, tertia vero a collectore codicis. 2) Pericope huius diei Mt 6, 16-21. Cf. Missale Rom. 3) Ibid. vr. 19. 4) 1 Tim 6, 10. 5) Cf. Ier 24, 1-2. 6) Ms.: *Mortis* loco: *Scientiae.* 7) Cf. Gn 2, 15-17.

tunc Deus homini ne comederet de ligno scientiae boni et mali, quia, inquit, in die quo *comederis ex eo, morte morieris.* [8] Venit diabolus et suasit contrarium dicens: *Nequaquam... moriemini, scit enim Deus quod... quacunque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri et eritis tanquam dii scientes bonum et malum.* [9]

Revocat a primo, quia terrenus thesaurus corruptibilis est, hominem servum facit terrestrium bonorum,

Christus similiter praecipit hodie ne thesaurizemus in terra et multas adfert rationes cur hoc praecipiat. Prima est quia terrenus thesaurus corruptibilis est et perpetuus esse non potest. [10] Ubi sunt thesauri omnium regum et imperatorum, qui ab initio saeculi fuerunt? Consumpti sunt, abierunt in fumum, dissipati sunt a naturali corruptione, a comestione et usu, a furibus et latronibus. Secunda est quia *ubi... est thesaurus... ibi est et cor,* [11] idest animus. Privatur homo animi libertate, quiete et tranquillitate. Est thesaurus veluti carcer animi. At quis nesciat quod

«Non bene pro toto libertas venditur auro»? [12]

Impedit thesaurizatio terrena ne possit animus ad coelestia desideria scandere; est veluti laqueus, aut cavea, aut viscus impediens avem a volatu. Tertia, quia: *Lucerna corporis tui est oculus tuus,* [13] idest oculus illuminat corpus. Sicut lucerna domum, sic intellectus et mens illuminat animum; thesaurizatio autem obscurat intellectum, excaecat mentem. Et quis vellet excaecari oculisque privari pro quovis lucro quamvis maximo? Et an minus est malum mente et intellectu privari quam oculis? Quarta, quia: *Nemo potest duobus dominis servire... Non potestis Deo servire et mammonae,* [14] servire Deo et idolis avaritia autem *est idolorum servitus,* [15] adorare vitulum aureum [16] statuamque auream regis Babylonis, [17] avaritia autem *est idolorum servitus.*

intellectum obscurat, mentem excaecat et a servitio Dei avertit.

Sunt domini valde contrarii Deus et mammona, diabolus avaritiae, et contraria omnino praecipiunt. Nos autem nec praecepto neque rationibus Christi moti, diabolo obedimus eius fallaciis decepti et persuasi. Nam, sicut tunc diabolus ostendit mulieri lignum *quod bonum esset ad vescendum et pulcrum oculis aspectuque delectabile,* [18]

Et tamen homines magis diaboli fallaciis credunt quam Christi rationibus,

8) Ibid. vr. 17. 9) Ibid. 3, 4-5. Vulg.: *In quocunque die... sicut dii,* etc. 10) Cf. Mt 6, 19. 11) Ibid. vr. 21. 12) *Fabulae Aesopianae,* fab. 54, *De Cane et Lupo,* interprete Gualtero Anglico. Hervieux *Les Fabulistes Latins,* vol. 2, pag. 344. 13) Mt 6, 22. 14) Ibid. vr. 24. 15) Eph 5, 5; Col 3, 5. 16) Cf. Ex 32, 1-8. 17) Cf. Dn 3, 1-18. 18) Gn 3, 6.

et sic perduxit ad transgressionem divini praecepti, sic nunc quoque facit. Suadet diabolus nil melius esse in hoc mundo thesauro divitiarum, quoniam thesaurus videtur esse ad instar magnae illius arboris, quam in somnis vidit Nabuchodonosor, quae altitudine coelum tangebat, amplitudine vero totum occupabat mundum, et onustissima erat fructibus omnis generis. [19] Sic videtur esse thesaurus arbor mirabilis producens fructus omnis generis, nam : *Pecuniae obediunt omnia*, [20] pecunia regina rerum. [21] Arbor quaevis suapte natura, quamvis optima sit, nonnisi flores, frondes et fructus unius generis producit ; at thesaurus divitiarum producit fructus omnis generis, imo quid dico fructus ? Producit omnia quae terra simul et mare producere possunt, etiam pisces, aves, animalia, homines, civitates, provincias, regna et imperia. Mirabilis profecto arbor! Sed uno momento arbor illa praecisa fuit et ad nihilum redacta ; [22] sic uno momento deficiunt omnia temporalia bona, saltem in morte, morienti enim homini divitiae nihil prodesse possunt.

quia thesaurus divitiarum videtur omnium deliciarum fons et origo.

III. Si homo spiritu et anima mortalis esset, sicut cetera animalia, nil mirum esset videre mundum totum terrenis thesauris operam, omnibus nervis intentis, quam diligentissime dare. Posset iure quilibet facere quod fecit dives ille evangelicus, cui cum ager uberrimos fructus attulisset, ita ut horrea proventum non possent capere, secum ita loquebatur : *Anima* mea, *habes multa bona posita in annos plurimos : quiesce... epulare. Sed dixit illi Deus : Stulte, hac nocte repetent animam tuam a te ; quae autem parasti cuius erunt ? Sic*, inquit Christus, *est* omnis *qui sibi thesaurizat et non est in Deum dives.* [23] Sed quod nos credamus aeternam vitam post temporalem hanc, et nihil curemus nisi temporalia, extrema dementia est. Non te pudet, homo, cum christianum te esse profitearis, diabolo potius credere quam Christo ? Christus dicit : *Nolite thesaurizare... in terra*, sed *thesaurizate... in coelo;* diabolus autem totum oppositum suadet. Dicas mihi, tu cui obedis ? Ubi thesaurizas ? Quas divitias cupis ? Audi quid sit thesaurizare in coelo : *Vade, vende* omnia *quae*

Sed extrema dementia est credere aeternam vitam futuram et sola bona terrena quaerere,

diabolo potius obedire quam Christo.

19) Cf. Dn 4, 7-9. 20) Eccle 10, 19. 21) Ex Horat. *Epist.*, liber 1, epist. 6, vr. 37. 22) Cf. Dn 4, 11. 23) Lc 12, 16-20. Vulg.: *Requiesce... Dixit autem... animam tuam*, etc.

habes et da pauperibus, et habebis thesaurum magnum *in coelo;*[24] *Vendite quae possidetis et date eleemosynam, facite vobis sacculos, qui non veterascunt, thesaurum non deficientem in coelo.*[25] Da Deo ad usuram, recipies centuplum. Quod si pauper es, satage bene operari, nam bona opera sunt quae magnum faciunt thesaurum in coelo.

Divitiae terrenae nimia sollicitudine quaerendae non sunt;

IV. Dicitis quod divitiae necessariae sunt ad victum et vestitum, ideo quaerendae sunt. Bene, sed audi quid Christus dicat: *Primum quaerite regnum Dei et iustitiam eius, et haec omnia adicientur vobis,*[26] nam si Deus pascit aves et vestit herbas, multo magis providebit filiis suis victum et vestitum: *Scit enim Pater vester* coelestis *quia his omnibus indigetis.*[27] *Scit* Deus, vult, quia *pater vester,* et potest, quia coelestis est, providere vobis quaecunque necessaria sunt vitae, ideo *primum quaerite regnum Dei,* etc. Tu habes uxorem et ancillam, habes filium et servum; utrisque necesse est ut provideas; sed prius dignioribus providendum est. Dignior est anima quam corpus, vita aeterna quam temporalis. Provide prius dignioribus et, quod spectat ad corpus, faciamus quod Apostolus monet: *Habentes ... alimenta et quibus tegamur, his contenti simus; nam qui volunt divites fieri incidunt in tentationem et* in *laqueum diaboli et* in *desideria multa inutilia et nociva, quae mergunt hominem in interitum: ... Radix enim omnium malorum est cupiditas, quam quidam appetentes erraverunt a fide et inseruerunt se doloribus multis.*[28] Hoc est quod Christus hic ait: *Nolite thesaurizare ... in terra,* hoc est: Nolite divitias concupiscere, ut velitis divites fieri. Id autem quod sequitur: *Thesaurizate autem ... in coelo,* declarat idem Apostolus dicens: *Divitibus huius saeculi praecipe non sublime sapere, nec sperare in incerto divitiarum, sed in Deo vivo, qui praestat ... omnia abunde ad fruendum, bene agere, divites fieri in bonis operibus, facile tribuere, communicare, thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant veram vitam.*[29] *Veram* autem *vitam* dicit aeternam, cuius haec umbra est et imago.

Deus enim vitae necessaria providebit,

dummodo prius spiritualia quam temporalia quaerantur.

24) Mt 19, 21. *Omnia* lect. cod. 25) Lc 12, 33. Vulg.: *In coelis.* 26) Mt 6, 33; Lc 12, 31. Vulg.: *Quaerite ... primum,* etc. 27) Mt 6, 32. 28) 1 Tim 6, 8-10. Vulg.: *Contenti sumus ... mergunt homines,* etc. 29) Ibid. vrr. 17-19. Vulg.: *Neque sperare,* etc.

V. *Thesaurizate... vobis thesauros in coelo.* Iussit Dominus ut filii Israel ex urbe Iericho nihil omnino acciperent, sed omne aurum, argentum et aes Domino consecrarent reponerentque in thesauris domus Domini. Quoniam vero Achan praeceptum istud transgressus fuit, una cum universa familia sua lapidatus et igne combustus fuit.[30] Duos thesauros saepissime legimus in Divinis Scripturis: *thesaurum regium,* conditum a regibus Iuda,[31] et *thesaurum domus Domini.*[32] Non iubet Dominus ut aurum et argentum Iericho in thesaurum regium, sed in thesaurum domus Domini inferretur. Hoc est quod ait: *Nolite thesaurizare... in terra,* sed *thesaurizate... in coelo.* Iericho autem, quod interpretatur luna, mundum istum significat, qui ut luna mutatur et *nunquam in eodem statu permanet.*[33] Providit Deus lapidem lydium, quo cognosceretur aurum verum ne sit an adulterinum. Sed ipsummet aurum nobis est lapis lydius ad cognoscendum quisnam sit verus christianus, verus Christi imitator Deique verus amator et cultor; is enim est qui non thesaurizat sibi in terra, sed in coelo.

Tum in coelo thesaurizatur cum terrenae divitiae contemnantur et bona opera augeantur.

FERIA QUARTA CINERUM

II. ALIA HOMILIA

I. Cum filii Israel multis annis sub durissimo iugo servissent impio tyranno Pharaoni in Aegypto,[1] tandem a Deo per Moysen vocati ad hereditatem felicissimae terrae promissionis, dixerunt Pharaoni: *Ibimus viam trium dierum..., ut sacrificemus... Deo nostro in deserto, ne forte accidat nobis pestis aut bellum.*[2] Sed quid Pharao rex Aegypti significat nisi diabolum, principem mundi huius,[3] qui *totus in maligno positus est?*[4] Filii autem Israel ei servientes sunt qui fidem sine operibus habent et sub iugo peccati vivunt, tanquam inimici *crucis Christi... quorum deus venter est.*[5] Sed, o utinam hodie

Sicut Hebraei post durissimam captivitatem ex Aegypto exierunt ut Deo in deserto sacrificarent,

30) Cf. Dt 7, 16 sqq.; Ios 6, 24-7, 1-26. 31) Cf. 3 Rg 14, 26; 15, 18; 4 Rg 14, 14; 16, 8. 32) Cf. 3 Rg 7, 51; 14, 26; 15, 18; 4 Rg 12, 18. 33) Iob 14, 2. Cf. Eccle 2, 11.

1) Cf. Ex 1, 1 sqq. 2) Ibid. 5, 3. Vulg.: *Eamus... in solitudinem et sacrificemus... Deo nostro, ne forte,* etc. 3) Cf. Io 12, 31; 14, 30; 16, 11. 4) 1 Io 5, 19. 5) Phil 3, 18-19.

sic fideles a mundo egressos et elongatos oportet sanctis virtutibus et poenitentiae operibus incumbere.

vocati a Deo per divini verbi praedicationem dicamus omnes : *Ibimus viam trium dierum . . . , ut sacrificemus Domino Deo nostro in deserto!* Non petunt sacrificare in Aegypti terra, sed extra Aegyptum, quoniam sacrificare iubebantur animalia quae Aegyptii tanquam deos colebant, quod si vidissent Aegyptii, lapidassent eos. [6] Hoc est quod legimus : Separamini a generatione pessima, [7] et : *Nolite iugum ducere cum infidelibus.* [8] Fugienda in primis nobis est mundanorum et carnalium hominum societas et conversatio ; relinquendus nobis est mundus cum omni concupiscentia carnis et oculorum ac superbia vitae ; [9] egredi et elongari nos oportet a mundo operibus, verbis et cogitationibus, ut fugiamus omne peccatum operis, verbi et cogitationis. Hoc est : *Ibimus viam trium dierum* per desertum poenitentiae mortificando carnem *cum vitiis et concupiscentiis* [10] suis.

Corpora nostra Deo sacrificare iubemur per ieiunium.

Sed quid sacrificabimus Deo ? *Fratres, obsecro vos per misericordiam Dei,* inquit A p o s t o l u s , *ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum.* [11] Corpora nostra, quae dii sunt Aegyptiorum, sacrificare debemus. Quid enim nisi corpus, carnem et ventrem colit mundus ? Sed nos hanc victimam Deo sacrificare iubemur per ieiunium. Flamma enim caloris naturalis per inediam, cum desunt ligna ciborum, vorat carnes, ac vix pellem et ossa relinquit. Haec est victima holocausti, quam providit Deus, cum iussit ut Abraham dilectissimum Isaac immolaret. [12] Isaac dilectissimus est carnis nostrae sensus ; hunc per ieiunium et mortificationem Deo sacrificamus in odorem suavissimum Domino.

Christus dat hodie normam formamque ieiunii, ut sacrificium Deo dignum sit.

II. Verum Deus non tantum iussit ut sibi sacrificia offerrentur, sed etiam modum tradidit quo offerrentur. Sic enim in *Levitico* legimus : *Omnis oblatio quae offertur Domino, absque fermento fiet nec quicquam fermenti aut mellis adolebitur in sacrificio Domini ;* [13] et iterum : *Quicquid obtuleris sacrificii sale condies, nec auferes sal foederis Dei tui de sacrificio tuo ; in omni oblatione offeres sal.* [14] Sic hodie habemus praeceptum ieiunii : *Convertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio.* [15] Sed Christus in Evangelio dat normam formamque

6) Cf. Ex 8, 26. 7) Cf. Nm 16, 21; Act 2, 41. 8) 2 Cor 6, 14. 9) Cf. 1 Io 2, 16. 10) Gal 5, 24. 11) Rom 12, 1. Vulg.: *Obsecro vos itaque, fratres,* etc. 12) Cf. Gn 22, 1-12. 13) 2, 11. Vulg.: *Ac mellis,* etc. 14) Ibid. vr. 13. 15) Ioel 2, 12.

ieiunii : *Cum . . . ieiunatis, nolite fieri, sicut hypocritae, tristes ;*[16] hoc est enim offerre sacrificium cum *fermento malitiae et nequitiae.*[17] Nec mel vult Dominus ut in sacrificio nostro offeramus. Nullum mel dulcius humana laude et honore; hinc praecipit ne ob humanas laudes ieiunemus. Favum mellis Christus post resurrectionem comedit:[18] *Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi,* post hanc vitam, cum introducet te *in terram lacte et melle manantem.*[19] Sal autem offerri iubet, quod adurit et exiccat carnes servatque a corruptione : *Rationabile,* inquit, *obsequium vestrum.*

Triplex genus sacrificiorum Veteris Testamenti triplex genus sacrificii corporis nostri figurat.

Triplex autem sacrificiorum genus offerebatur Domino : holocaustum, quod totum cremabatur in honorem Dei,[20] hostia pacifica pro beneficiis acceptis a Deo,[21] et victima pro peccatis ad consequendam indulgentiam et remissionem peccatorum.[22] Sic per ieiunium offerre possumus Deo hostiam corporis nostri vel ob devotionem, ex caritate Dei mortificantes membra nostra, vel in gratiarum actionem, vel in poenitentiam peccatorum nostrorum.

Sicut Deus requirebat omnem adipem qui renes operit ipsosque renes in holocausto incendi,

III. Sciendum autem, ut adnotavit Divus Basilius *De Vera Virginitate,* in fine,[23] quod ex sacrificio Deus requirebat omnem adipem, qui operit intestina, et reticulum iecoris omnemque adipem, qui operit renes, una cum ipsis renibus semper incendi in holocaustum. Ex ventre non requirit nisi adipem, non ipsum ventrem, quoniam cum ciborum receptaculum sit, necessarius omnino est ad vivendum ; ex iecore etiam, quod sedes est concupiscentiae animalis, nonnisi reticulum requirit, quod superfluum est, appetentia enim homini necessaria est ; sed ex renibus non solum adipem, sed ipsos etiam renes requirit, quoniam in renibus sedes luxuriae est. Per haec autem significatur quod, dum per ieiunium offerimus Deo hostiam corporis nostri, a ventre superfluum adipem rescindamus, necessarium tantum victum amplectentes, absque ullo vitio gulae ; neque hoc contenti, a iecore etiam auferamus reticulum superfluum, resecantes a corde superflua desideria vanae gloriae et divitiarum : *Nolite fieri sicut hypocritae ; Nolite thesaurizare vobis,* etc.; sed super omnia ut castitatis munditiam tota intentione sectemur igneque divini amoris non tantum

sic Christus vult ut per ieiunium omnis concupiscentia mala compescatur, corpore mortificato et in purissima castitate servato.

16) Mt 6, 16. 17) 1 Cor 5, 8. 18) Cf. Lc 24, 42. 19) Dt 26, 9; 27, 3; 31, 20.
20) Cf. Lv 6, 9. 21) Cf. ibid. 7, 11-21. 22) Cf. ibid. vrr. 1-10. 23) P. G. 30, 807.

adipem, qui renes operit, sed ipsos etiam renes comburamus, viventes in purissima castitate et continentia. Nam ad coercendam compescendamque luxuriae libidinem et extinguendum ardorem carnalis concupiscentiae institutum vel maxime ieiunium est. Sic igitur docet hodie Christus quomodo per ieiunium offerenda nobis Deo sit corporis hostia.

Triplex concupiscentia fons et origo est omnium vitiorum,

IV. Praecipuum autem Christi intentum in sacrosancto hodierno Evangelio videtur esse ut omnem concupiscentiam in pectore nostro interimat, quae quidem videtur esse sicut hydra in lernaea palude, cui, uno amputato capite, mox plura alia oriebantur, quare cauterio et adustione opus fuit eam interimere.[24] Ita in palustri hac et limosa lacuna carnis nostrae vivit serpitque triceps concupiscentiae hydra : *Concupiscentia carnis . . . , concupiscentia oculorum et superbia vitae;*[24*] appetitus voluptatum, divitiarum et dignitatum. Huic hydrae si unum amputes caput, statim multa oriuntur. Si enim quis aliquod horum desideriorum expleat, videtur sibi caput peremisse, quoniam praesens bonum non desideratur ; videtur praecisum a corde pristinum illud desiderium. Sed hinc multa alia suboriuntur ; nam quo plus sunt potae plus sitiuntur aquae;[25]

« Crescit » enim « amor nummi quantum ipsa pecunia crescit ».[26]

quam igne divini amoris aduri oportet.

Sic desideria crescunt in infinitum. Quod si capita haec cauterio igneque divini amoris aduramur, profecto tunc ita perimemus, ut ultra germinare et renasci minime valeant. Sic vult hodie Christus ut desiderio coelestium aeternorumque bonorum interimamus omnia desideria temporalium ac terrenorum, quae umbra sunt potius bonorum quam bona.

Prius enim destruenda sunt superbia et avaritia ac omnia vitia cordis,

Iussit Deus Gedeoni ut, destructo altari Baal, novum aedificaret altare et super illud sacrificium offerret.[27] Baal idolum erat et deus Gentium ; significat autem d o m i n u m, sive p o s s e s s o r e m, quare superbiam et avaritiam designat. Vult autem Christus hodie ut sacrificium ieiunii non offeramus supra altare Baal, sicut hypocritae qui ob superbiam et avaritiam ieiunabant, sed ut destruamus

24) Cf. Ovid. *Metamorph.*, lib. 9, vrr. 69-72; P. Mannuccius *Adagia*, col. 578. 24*) 1 Io 2, 16. 25) Proverbium familiare S. Auctori. Cf. etiam infra, Feria Quinta Dom. Secundae Quadr., hom. prima, not. 67; Feria Sexta Dom. Tertiae, hom. secunda, not. 57. 26) Iuvenalis *Satyrae*, satyr. 14, vr. 139. 27) Cf. Idc 6, 25-27.

hoc altare superbiae : *Nolite fieri sicut hypocritae*, et avaritiae : *Nolite thesaurizare vobis ;* sed novum aedificemus altare, ut habeamus cor plenum coelestibus desideriis: *Thesaurizate . . . vobis thesauros in coelo . . . ubi enim est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum*, [28] ac super hoc novum altare offeramus sacrificium ieiunii nostri. Facto autem hoc opere, Gedeon dictus est *Ierobaal*, [29] fortis contra Baal, princepsque populi constitutus vicit Madianitas populumque suum a servitute Madian liberavit. [30] Sic quicunque destruit vitia cordis sui magnam apud Deum meretur gloriam et omnes daemones, divina praeditus virtute et gratia, superabit.

ut ieiunium sit verum sacrificium Deo acceptabile.

V. *Nolite fieri sicut hypocritae*. Sunt enim hypocritae monoculi, quibus Naas, quod interpretatur serpens, rex Ammonitarum eruit dextrum oculum [31] rectae intentionis in Deum et intuitus gloriae coelestis. His diabolus non prohibet ieiunare, quod est sacrificare corpus, sed sicut Pharao dixit Hebraeis : *Sacrificate . . . in terra hac*, [32] non in deserto, sic diabolus permittit hypocritis bona opera facere, sed in terra Aegypti, non in deserto, ob vanam gloriam, non ex caritate.

Nam opera bona, quae ex caritate erga Deum non fiunt, nullam merentur gratiam.

In templo Salomonis cherubim, qui toti aurei erant, divinum propitiatorium intuebantur ; qui vero intus, lignei erant et foris aurei prioribusque illis multo maiores erant mole non virtute, aspiciebant foris. [33] Hoc est discrimen inter veros iustos et hypocritas : illi toti sunt aurei, isti foris tantum ; illi in Deum dirigunt mentis intentionem, isti vero foris aspiciunt : *Ut appareant hominibus ieiunantes*. [34] Sic Iacob domi manebat, Esau vero foris venabatur. [35] Erant etiam cherubim lignei foris deaurati, mole multo maiores aureis, quoniam hypocritae magna de se praesumunt : *Non sum sicut ceteri hominum..., ieiuno bis in*, etc. [36] Non sic veri iusti.

Et hoc est discrimen inter veros iustos et hypocritas;

In Lege omnia animalia quae non dividunt ungulas, aut, si dividunt, non tamen totaliter dividunt, sed superficialiter tantum, immunda sunt. [37] Christus ait : *Nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua*. [38] Dividenda est dextera a sinistra. Hypocritae non dividunt a vitiis, nisi superficialiter tantum, ideo apud Deum immundi sunt.

hi enim non dividunt virtutes a vitiis

28) Mt 6, 21. 29) Idc 6, 32. 30) Cf. ibid. 7, 1 sqq. 31) Cf. 1 Rg 11, 1.
32) Ex 8, 25. 33) Cf. 3 Rg 6, 23-35. 34) Mt 6, 16. 35) Cf. Gn 25, 27.
36) Lc 18, 11-12. 37) Cf. Lv 11, 26. 38) Mt 6, 3.

Sunt hypocritae sicut Absalom, qui corpore pulcherrimus erat, absque ulla macula,[39] sed anima turpissimus erat, omni vitio plenus; hinc a Christo hypocritae comparati sunt ornatis pulcrisque sepulcris.[40] Sunt sicut Esau, qui in pecudis morem totus pilosus erat, bonis tamen vestibus induebatur,[41] ita hypocritae intus animales sunt homines, foris autem morum elegantiam et vitae sanctitatem profitentur. Differunt hypocritae a iustis sicut organa a cymbalis; haec enim, tactis a musico articulis, statim sonum edunt; organa autem, quamvis organista magna vi articulos tangat, nullum emittunt sonum, nisi mantices flatum ventumque subministrent. Non enim, nisi vento humanarum laudum flante, [hypocritae] bene operantur. Sunt sicut magnae naves quae non navigant, nisi prospero vento vela implente. Iusti autem sunt sicut triremes, quae remis maria etiam absque [vento] sulcant.

et tantum foris morum elegantiam et vitae sanctitatem profitentur;

VI. *Cum ieiunatis,* nolite fieri sicut hypocritae.* Divisit Deus lucem a tenebris et aquas superiores ab inferioribus interposito firmamento; divisit etiam aquas a terra.[42] Noluit ut homines munda et immunda animalia manducarent,[43] ne induerentur vestibus contextis ex lana et lino, ne seminarentur agri diversis seminibus, ne arbores insererentur diversis generibus,[44] ad designandum quod semper separanda sunt bona opera ab omnibus malis vitiisque omnibus.

Deus autem vult ut opera bona a vitiis omnibus separentur.

Cum ieiunatis, etc. Egressi ex Aegypto filii Israel ingressique sanctum desertum, primo ingressu invenerunt aquas amarissimas Mara, quas ob nimiam amaritudinem populus bibere non poterat; sed magno miraculo Moyses eas dulces effecit immittendo mirabile lignum, quod ei Dominus ostenderat.[45] Carnali gustui amara valde res est ieiunium, poenitentia, carnis afflictio; sed ligno crucis Christi dulcis efficitur, meditatione passionis Christi et mortis nostrae. Nam sicut Eliseus amarissimum pulmentum, quod mortiferum venenum videbatur, dulce effecit immittendo in illud modicum farinae, et sic comederunt ex illo omnes filii Prophetarum;[46] ita poenitentia sensui carnis valde amara dulcescit immissione non farinae, sed cineris: *Memento, homo, quia cinis es et in cinerem reverteris.*[47]

Durum videtur ieiunium duraque poenitentia sensui carnis, sed meditatione passionis Christi omnia dulcescunt.

39) Cf. 2 Rg 14, 25. 40) Cf. Mt 23, 27. 41) Cf. Gn 25, 25; 27, 11. 27.
42) Cf. ibid. 1, 4-6. 43) Cf. Lv 11, 46. 44) Cf. ibid. 19, 19; Dt 22, 9-11.
45) Cf. Ex 15, 22-25. 46) Cf. 4 Rg 4, 38-41. 47) Missale Rom. Feria Quarta Cinerum, Orat. pro impositione Cinerum. Gn 3, 19. Vulg.: *Quia pulvis es et in pulverem reverteris.*

FERIA QUARTA CINERUM

III. ALIA HOMILIA

I. Sicut[1] oriri facit Deus solem in coelo ad expellendas eliminandasque tenebras noctis, immittit ventos ad fugandas ex aere nebulas, pluit e coelo ad irrigandam fecundandamque terram, maxime vero in vernali tempore quo universa mundi facies universaque natura renovatur ; sic hodie per universum christianum orbem mittit sanctos praedicatores, qui sunt sicut luminaria coeli : *In medio nationis pravae et perversae . . . lucetis sicut luminaria in mundo, verbum vitae continentes ;*[2] et sicut nubes, quae nunc in ventum nunc in pluviam solvuntur, nubes de quibus dicitur : *Qui sunt isti qui ut nubes volant et quasi columbae ad fenestras suas ?*[3] Quibus item dicit Deus ipse : *Rorate, coeli, desuper et nubes pluant iustitiam, aperiatur terra et germinet salutem, et iustitia oriatur simul.*[4] Sic misit Moysen ad praedicandum Hebraeis in Aegypto, ut omnes eos inde educeret et a tyrannica Pharaonis servitute liberaret ;[5] sic misit Ionam ad praedicandam Ninivitis poenitentiam.[6]

Hodie per universum christianum orbem Deus praedicatores mittit

ad fugandas tenebras peccatorum et ad fideles poenitentia renovandos.

Sed, bone Deus, Deus infinitae clementiae et pietatis, si tu sic me mittis ad praedicandum populo huic, sicut mittebas sanctos Prophetas tuos, vide, obsecro, Domine, quod ego multo magis quam Moyses *labiis incircumcisus sum,*[7] et multo magis quam Isaias *vir pollutus labiis ego sum.*[8] « Domine Deus meus, qui labia Isaiae prophetae

1) In margine hae aliae duae introductiones adiectae fuerunt: « Languentibus opus est salubri medicina et medico, sic peccatoribus poenitentia et praedicatoribus poenitentiae. Sicut amantissimus pater videns dilectissimos filios captivos sub crudeli tyranno in miserabili servitute, in carceribus, compedibus et catenis quaerit omnibus quibus potest modis eos liberare in suamque patriam ac domum reducere; ita Deus clementissimus Pater noster, videns nos vitiis funibusque peccatorum detentos sub tyrannica potestate et servitute peccati, *qui* enim *facit peccatum servus est peccati*, hodie ad electos suos de manu diaboli liberandos per universum mundum mittit sanctos divini verbi praedicatores ». Et immediate postea: « Post horridam hiemem venit ridentis veris placidum tempus et post obscuram noctem clarus oritur dies. Sed ecce, o carissimi: *Nox praecessit, dies autem appropinquavit ; abiciamus ergo* opera *tenebrarum et induamur arma lucis ; Omnia tempus habent et suis spatiis transeunt universa sub sole ; Tempus nascendi et tempus moriendi. Tempus ridendi* transiit; nunc incipit *tempus flendi: Convertimini ad me in toto corde vestro*, etc. ». 2) Phil 2, 15-16. 3) Is 60, 8. 4) Ibid. 45, 8. Ex hebraico. 5) Cf. Ex 3, 1 sqq. 6) Cf. Ion 1, 1; 3, 1-4. 7) Ex 6, 30. Vulg.: *Incircumcisus labiis sum.* 8) Is 6, 5.

calculo mundasti ignito, munda cor meum ac labia mea, ut sanctum Evangelium tuum digne valeam nuntiare ».[9] Domine, qui dixisti Moysi : *Ego ero tecum et docebo te quid loquaris,*[10] qui manu tua tetigisti os Ieremiae et dixisti : *Ecce dedi verba mea in ore tuo ... ne timeas ... quia ego tecum sum,*[11] sis, quaeso, mecum, doce me quid loquar, da verba tua in ore meo, ut sint verba tua in me *sicut ignis* ardens *et sicut malleus conterens petram,*[12] ut vere, Domine, omnes incipiamus ieiunare spiritu magis ab omnibus peccatis, quam carne a corporalibus escis.

Cum ieiunatis, nolite fieri, sicut hypocritae, tristes ; exterminant enim facies suas, ut pareant hominibus ieiunantes.[13]

Ut corda nostra ad coelum Deus rapiat, hodie docet nos thesaurizare non in terra, sed in coelo,

II. Videns Dominus Deus, qui *de coelo prospexit super filios hominis ut videat si est intelligens aut requirens Deum,*[14] quod omnes nos elapsis diebus vitam duximus terrenam, carnalem, animalem : *Omnes declinaverunt* et *simul inutiles facti sunt,*[15] et cupiens ut sicut exhibuimus membra nostra *servire iniustitiae et iniquitati ad iniquitatem,* ita exhibeamus membra nostra *servire iustitiae in sanctificationem,*[16] et sicut portavimus imaginem hominis terreni comedentes de ligno vetito per peccata, sic portemus imaginem coelestis per gratiam et virtutes : *Primus* enim *homo de terra, terrenus ; secundus homo de coelo, coelestis ; qualis terrenus, tales et terreni, et qualis coelestis, tales et coelestes ... ; sicut portavimus imaginem terreni,* ita *portemus ... imaginem coelestis;*[17] hodie in sacrosancto Evangelio, ad rapiendum nos veluti alterum Eliam in coelum,[18] ut nostra conversatio in coelis sit,[19] quasi igneum currum componit, imo de coelo sapientiae suae ad nos dimittit. Currus igneus est cor plenum amore ; cor enim fornax amoris est. Dominus autem praecipue cor a nobis requirit : *Fili mi, praebe mihi cor tuum ;*[20] *Diliges Dominum Deum tuum ex toto*

ieiunando tum ab escis tum a vitiis, ex vera caritate;

9) Cf. Missale Rom. Orat. ante lect. Evangelii. 10) Ex 4, 12. Vulg.: *Ego ero in ore tuo doceboque,* etc. 11) Ier 1, 8-10. Vulg.: *Quia tecum ego sum.* 12) Ibid. 23, 29. Vulg.: *Quasi ignis ... et quasi malleus,* etc. 13) Pericope huius diei Mt 6, 16-21. Cf. Missale Rom. Sic legitur in veteribus editionibus Vulg., cf. *Biblia Lovaniensis* h. l. In posterioribus autem, iussu Clementis VIII recognitis, emendatum fuit: *Ut appareant,* etc. 14) Ps 13, 2. Vulg.: *Super filios hominum,* etc. 15) Ibid. vr. 3. 16) Rom 6, 19. Vulg.: *Servire immunditiae et iniquitati,* etc. 17) 1 Cor 15, 47-49. 18) Cf. 4 Rg 2, 11. 19) Cf. Phil 3, 20. 20) Prv 23, 26. Vulg.: *Praebe, fili mi, cor tuum mihi.*

corde tuo ; [21] *Convertimini ad me in toto corde vestro.* [22] Hinc Dominus in hodierno Evangelio iubet nos thesaurizare non in carne sed in spiritu, ieiunando tum ab escis tum a vitiis ; non in terra sed in coelo, quoniam, inquit : *Ubi ... est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum;* [23] ideo vult nos thesaurizare in coelo, ut cor nostrum in coelo sit.

ieiunium enim sine caritate nihil valet;

Super omnia caritatem a nobis requirit Deus, quoniam sine caritate nihil valent omnia opera bona omnesque aliae virtutes: *Si linguis hominum loquar et Angelorum ..., si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam ..., si habuero prophetiam et noverim mysteria omnia ..., si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, et si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, caritatem autem non habuero, nihil sum, nihil mihi prodest.* [24] Hoc igitur est cor quod Dominus vult esse in coelo, ut coelestia divinaque amemus.

caritas autem est quae ieiunium iucundum reddit.

Caritatem a nobis praecipue requirit cum ait : *Nolite fieri ... tristes.* Unde Paulus ait : *Unusquisque prout destinavit in corde suo, non ex tristitia aut ex necessitate, hilarem enim datorem diligit Deus.* [25] Hinc monet ut, cum ieiunamus, ungamus caput et lavemus faciem, [26] haec enim in Palaestina signa erant laetitiae et festivitatis. [27] Qui libenter aliquid facit ex animo, ex corde, ductus amore, hilariter facit. Vult itaque ut hilariter ieiunemus, ex amore, ex caritate, ex bona voluntate, non cum tristitia. Quod si ex abstinentia naturaliter oritur quaedam carnis tristitia, eam potius abscondamus quam data opera propalemus, sicut Regina Esther sub hilari vultu magnam abscondit animi tristitiam regi Assuero consorti. [28]

Sed caritas sine virtutibus cardinalibus esse non potest,

Sed necesse est ut currus iste habeat suas quattuor rotas, necesse est ut una cum caritate sint quattuor cardinales virtutes: iustitia, prudentia, fortitudo et temperantia. Hoc enim est quod fluvius paradisi dividitur in quattuor capita, [29] hoc est quod arca Dei habet quattuor anulos aureos, [30] quattuor termini terrae promissionis, [31] quattuor portae atrii templi Domini in Ierusalem, [32] quattuor cornua

21) Mt 22, 37. 22) Ioel 2, 12. 23) Mt 6, 21. 24) 1 Cor 13, 1-3. Ordine inverso affert hos vrr. 25) 2 Cor 9, 7. 26) Cf. Mt 6, 17. 27) Theophylactus: « Prisci in gaudii signum habebant, oleo ungi post lotionem: et tu quoque sic laetus appare ». *Enarr. in Evang. Matth.*, (P. G. 123, 206); S. Hieronymus: « Iuxta ritum Palaestinae loquitur, ubi diebus festis solent ungere capita ». *Comment. in Matth.*, lib. 1, (P. L. 26, 44). 28) Cf. Est 5, 1-7, 1 sqq. 29) Cf. Gn 2, 10. 30) Cf. Ex 38, 5. 31) Cf. Nm 34, 1-12. 32) Cf. 3 Rg 6, 32-34.

altaris sacrificiorum et altaris incensi,[33] quattuor ordines lapidum in *Rationali* summi sacerdotis,[34] *quattuor quadrigae egredientes de medio duorum montium* aereorum, ut vidit Zacharias,[35] et quattuor coelestes fabri venientes ad conterendum,[36] quattuor cornua ferrea quae ventilaverunt Iudam et Ierusalem.[37] Pugnat enim caritas contra quattuor praecipue vitia, quae in omnibus ob peccatum Adae reperiuntur: concupiscentia carnis, fragilitas mentis, ignorantia intellectus et malitia affectus. Hi sunt quattuor reges contra quos pugnavit quosque vicit Abraham,[38] quattuor gigantes contra quos specialiter pugnasse legimus Davidem: Goliath et tres fratres eius.[39] Haec quattuor vitia caritas expugnat. Hinc Christus non tantum mortuos vivificavit[40] per gratiam et caritatem, sed etiam caecos illuminavit,[41] claudos ambulare fecit,[42] surdos audire[43] et leprosos mundavit.[44] Caeci vident per prudentiam, claudi ambulant per fortitudinem, leprosi mundantur per temperantiam, surdi audiunt per iustitiam, mortui resurgunt per gratiam.

quia necessario opponitur quattuor praecipuis vitiis ex peccato originali ortis.

III. His ergo quattuor virtutibus opus est caritati ad quattuor haec vitia destruenda. Hinc David pergens ad singulare certamen contra Goliath, non unum tantum illum lapidem tulit, quo gigantem percussit atque prostravit, sed cum eo adhuc quattuor alios.[45] Lapis singularis, qui diabolum deicit, caritas est; haec sola omnes eius superat vires. Sed cum hoc lapide accipiendi sunt alii quattuor cardinalium virtutum, quae hominem omnibus numeris absolutum perfectumque reddunt. Propterea Christus hodie has omnes absolutissime docet incipiens a temperantia, cuius actus ieiunium est: *Cum ieiunatis.* Temperantiae quidem est triplicem animi cupiditatem frenare: inordinatum appetitum boni delectabilis, haec est *concupiscentia carnis;* inordinatum appetitum superbiae et vanae gloriae circa bonum honestum, haec est ambitio, *superbia vitae;* inordinatum appetitum boni utilis, haec est *concupiscentia oculorum.*[46] Hinc triplex ieiunium

Hoc docuit Christus hodie incipiens a temperantia, cuius actus ieiunium est;

huius enim virtutis est triplicem animi cupiditatem frenare;

33) Cf. Ex 27, 2. 34) Cf. ibid. 28, 17. 35) 6, 1. 36) Cf. ibid. 1, 20-21. 37) Cf. ibid. vrr. 18-19. 38) Cf. Gn 14, 8-10. 39) Cf 2 Rg 21, 15 sqq. 40) Cf. Mt 9, 18-25; Lc 7, 11; Io 11, 41-44. 41) Cf. Mt 9, 27-30; 15, 30-31; Lc 18, 35-43; Io 9, 1-7. 42) Cf. Mt 11, 5; 15, 30-31; 21, 14. 43) Cf. ibid. 11, 5; Mc 7, 32-37; Lc 7, 22. 44) Cf. Mt 8, 1-3; 11, 5; Lc 17, 12-14. 45) Cf. 1 Rg 17, 40-51. 46) 1 Io 2, 16.

requirit a nobis hodie Christus: ieiunium corporale ad frenandam concupiscentiam carnis: *Cum ieiunatis;* ieiunium spirituale et abstinentiam ab ambitione vani honoris: *Nolite fieri, sicut hypocritae, tristes, exterminant enim facies suas ut pareant hominibus ieiunantes;* et tertio ieiunium ab avaritia: *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra.* Ecce absolutissima temperantiae virtus.

Deinde docet fortitudinem. Huius autem duo sunt munera: alterum quidem ardua aggredi et magna fortiter operari, alterum adversa forti animo et magnanimo corde tolerare. Utroque autem modo in Scripturis Divinis homo thesaurizare sibi in coelo dicitur. Hinc Dominus agens de evangelicis beatitudinibus, primae et ultimae unum idemque praemium tribuit: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum coelorum,* et: *Beati qui patiuntur persecutionem propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum coelorum.* [47] Pauperem autem spiritu esse est quod Dominus diviti illi iuveni dixit: *Vade, vende* omnia *quae habes et da pauperibus, et habebis thesaurum* magnum *in coelo,* [48] ecce prima pars fortitudinis; altera vero: *Beati estis cum maledixerint vobis homines et persecuti vos fuerint et dixerint omne malum adversum vos mentientes propter me; gaudete et exultate, quoniam merces vestra magna est in coelo.* [49] Hoc est quod Christus in hodierno Evangelio ait: *Thesaurizate... vobis thesauros in coelo,* [50] non thesaurum, sed *thesauros,* et bene agendo et mala propter Deum patienter sufferendo. Sic S a p i e n s ait: *Egestatem operata est manus remissa, manus autem fortium divitias parat.* [51]

docet etiam fortitudinem, cuius est ardua aggredi

et magnanimo corde adversa tolerare;

Docet Dominus et prudentiam, cuius duo sunt officia: alterum secernere bona a malis, et alterum praeferre meliora bonis. Sic docet hodie Dominus ut ieiunia ac bona opera nostra separemus a vitiis hypocritarum: *Cum ieiunatis, nolite fieri sicut hypocritae,* atque ut coelestem divinamque gloriam praeferamus humanae: *Amen dico vobis, receperunt mercedem suam;* [52] *Tu autem, cum ieiunas, unge caput tuum et faciem tuam lava, ne videaris hominibus ieiunans:* absconde quantum potes bona opera tua, ut tantum videaris *Patri tuo, qui est in abscondito; et Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi;* [53] ut praeferamus coelestes thesauros terrenis: *Nolite thesau-*

docet prudentiam, cuius est bonum a malo secernere et bonis meliora praeferre;

47) Mt 5, 3. 10. 48) Ibid. 19, 21. *Omnia* lect. cod. 49) Ibid. 5, 11-12. Vulg.: *Copiosa est in coelis.* 50) Ibid. 6, 20. 51) Prv 10, 4. 52) Mt 6, 5. 53) Ibid. vr. 18.

rizare vobis thesauros in terra, sed *thesaurizate... vobis thesauros in coelo.*

docet iustitiam, cuius est a malo declinare et bonum agere;

Tandem Dominus docet iustitiam, cuius sunt partes duae : *Declina a malo et fac bonum.* [54] Sic Dominus docet hodie ut omne malum declinemus : concupiscentiam carnis : *Cum ieiunatis ;* superbiam vitae vanique honoris et humanae laudis ambitionem : *Nolite fieri sicut hypocritae ;* concupiscentiam oculorum : *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra.* Deinde docet alteram partem, quae est bene agere : *Thesaurizate... vobis thesauros in coelo,* hoc est mystice lavare faciem animi a vitiis et ungere caput mentis oleo virtutum et verae devotionis gratiaeque Spiritus Sancti, qui *unctio* dicitur. [55] Hoc est oleum virginum prudentum, quo fatuae destitutae exclusae fuerunt a nuptiis. [56]

docet etiam iustitiam moralem distributivam, idest Deo gloriam dare dignis poenitentiae fructibus,

et proximos non decipere ficta specie sanctitatis;

commutativam, idest non in terra thesaurizare, sed Deo tributum reddere bonorum operum, absque ulla hypocrisi.

Nec tantum legalem iustitiam docet quae universalis et generalis est virtus omnes complectens virtutes, sed etiam moralem cardinalemque quae est constans et perpetua animi voluntas ius suum unicuique tribuens, quae biceps est ac bimembris : distributiva et commutativa. Haec meritorum est libripendix et ad perpendiculum ac amussim humanas actiones dirigit. Hinc Dominus suadet ieiunium ad mortificandam carnem, ad punienda peccata, ut dignos fructus poenitentiae faciamus, ut gloriam Deo demus : *Soli Deo honor et gloria ;* [57] *Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam;* [58] *Ut glorificent Patrem vestrum qui in coelis est ;* [59] ne proximos decipiamus ficta specie sanctitatis, sed verae virtutis exempla praestemus. Hi sunt actus iustitiae distributivae, qua damus Deo, proximis et nobis ipsis quod iustum est. Ad servandam vero commutativam iustitiam iubet ne thesaurizemus in terra, quoniam, ut Paulus ait : *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem et in laqueum diaboli et* in *desideria multa inutilia et nociva, quae mergunt hominem in interitum ;* [60] nam, ut dici solet, occasio facit hominem latronem, [61] maxime in lucris iniustis per usuras, fraudes et contractus illicitos. Requirit iustitiam, ut legitimis principibus solvantur tributa et creditoribus debita, sed non ex falsa moneta. Nos Deo debemus tri-

54) Ps 36, 27. 55) Cf. Lc 4, 18; Act 4, 17; 10, 38; 2 Cor 1, 21. 56) Cf. Mt 25, 2-12. 57) 1 Tim 1, 17. 58) Ps 113, 1. 59) Mt 5, 16. 60) 1 Tim 6, 9. Vulg.: *Mergunt homines*, etc. 61) Proverbium italicum nunc quoque vulgatissimum. Cf. Gio. Gherardini *Vocabolario della Lingua Italiana*, sub voce: *Occasione*. Forte ex Sallustio deductum *De Bello Iugurthino*, cp. 6, pag. 91: « Opportunitas ... viros spe praedae transvorsos agit ».

butum bonorum operum; sed opera hypocritarum sunt monetae falsae, adulterinae.

IV. Sic Christus hodie igneum hunc currum quattuor hisce instruit rotis, perfectis, inquam, virtutibus et in nullo deficientibus. Si enim aliqua currui deficiat rota vel rota ipsa parte aliqua destituta sit, non potest currus, ut par est, velociter, imo nec omnino currere; sic caritati omnes virtutes hae necessariae [sunt] nulla essentiali parte deficientes. Prima quidem, a qua tanquam a faciliori Dominus incipit, necessaria est quoad omnes tres partes, quoad ieiunium corporale, ad frenandam temperandamque concupiscentiam carnis, quae *concupiscit adversus spiritum:* [62] *Castigo corpus meum et in servitutem redigo, ne..., cum aliis praedicaverim, ipse reprobus efficiar.* [63] Sed necessaria adhuc est abstinentia spiritalis a vitiis, ut, sicut ab escis ieiunamus in corpore, ita a vitiis ieiunemus in mente. [64] Virtus enim cum vitio simul manere non potest, ovis cum lupo, agnus cum leone, columba cum serpentibus; arca Dei noluit eodem loco simul manere cum idolo Dagon deo Philisthaeorum; [65] Samaritani, qui cum Deo idola colebant, Deo minime placuerunt, [66] Israelitae adorantes et Deum et Baal acriter reprehensi fuerunt ab Elia: *Usquequo claudicatis in utranque partem? Si Dominus* ipse *est Deus, sequimini eum, et si Baal* ipse est, *sequimini illum.* [67] Hinc patriarcha Iacob volens cum universa familia sua ascendere in Bethel ad adorandum Dominum, qui sibi apparuerat ibi, iussit omnes filios suos abicere omnes deos alienos mundarique et mutare vestimenta sua. [68] Hinc summe iratus fuit Deus Hebraeis cum in deserto vitulum aureum adoraverunt. [69] Non potest mulier habere duos maritos, non potest homo simul altitudinem coeli et profundum abyssi intueri, non solem in medio coeli et umbram corporis sui in terra, sic: *Nemo potest duobus dominis servire... Deo... et mammonae;* [70] non possunt concordes in voluntate esse Deus et diabolus. Noluit Deus ut Hebraei ararent cum bove et asino, ut ferrent vestimenta contexta ex lana et lino, nec voluit ut in vineis quip-

Sine his virtutibus caritas consistere nequit;

temperantia enim docet frenandam esse concupiscentiam carnis et abstinendum a vitiis,

quia virtus simul cum vitio manere non potest.

62) Gal 5, 17. 63) 1 Cor 9, 27. 64) Cf. S. Gregorius M. *Liber Sacramentorum,* (P. L. 78, 68); Missale Rom. Feria Sexta Dom. Tertiae Quadr., Oratio Missae.
65) Cf. 1 Rg 5, 2-5. 66) Cf. 3 Rg 18, 1 sqq; 4 Rg 13, 1-6; Is 10, 10; 36, 19.
67) 3 Rg 18, 21. Vulg.: *Claudicatis in duas partes... si autem Baal,* etc. 68) Cf. Gn 35, 1-4. 69) Cf. Ex 32, 1 sqq. 70) Mt 6, 24; Lc 16, 13.

piam seminaretur. [71] Sic non vult Deus mixturam virtutum et vitiorum.

Insuper ieiunium coniunctum esse debet cum mentis humilitate et cum eleemosynis,

V. Sed hoc generale ieiunium est ab omnibus vitiis et peccatis abstinere, maxime vero in tempore poenitentiae et quadragesimalis ieiunii, ab omni superbia et avaritia: *Nolite fieri sicut hypocritae ... nolite thesaurizare ;* sed sit ieiunium coniunctum cum vera mentis humilitate et cum eleemosynis; sic Ninivitae in cinere et cilicio poenitentiam egerunt. [72] Mentis enim humilitas est cinis, quem sparsit Moyses in aera ad humiliandum Pharaonem cum universa Aegypto, [73] et pulvis quem percussit, unde eduxit cinifes in plagam Aegypti, ubi agnita est potentia Dei: *Digitus Dei est hic,* [74] non enim valuerunt magi Pharaonis ex pulvere cinifes facere sicut Moyses. [75] Non potest diabolus humiliari, *rex super omnes filios superbiae.* [76] Hinc Sancta Ecclesia hodie super caput omnium fidelium cinerem spargit in signum quod magna cum humilitate ieiunandum est, deposita omni superbia: *Memento, homo, quia cinis es et in cinerem reverteris.* [77]

ad quas virtutes hodie Sancta Ecclesia nos provocat,

Sic statua Nabuchodonosor in cinerem tandem redacta fuit, postquam percussa in pedibus a lapide sine manibus exciso cadenteque de monte confracta fuit. [78] Statua est universa natura humana, imago et similitudo Dei; habens caput aureum, supremam animae partem, in qua imago et similitudo Dei consistit; habens pectus argenteum cum brachiis, inferiorem animae portionem, in quo sunt vires rationalis, concupiscibilis et irascibilis; habet ventrem ac femora aenea, animam sentientem; habet tibias ferreas, animam vegetabilem, et tandem pedes ex mixtura ferri et luti, corpus ipsum ex plurium rerum mixtione compositum.

proposita mortis consideratione.

Percussa autem haec statua [fuit] a lapide divinae sententiae latae contra hominem ob peccatum: *Pulvis es et in pulverem reverteris;* [79] per mortem homo in pulverem redactus est praeter animam immortalem. Sic consideratione hac humiliabatur Abraham patriarcha dicens: *Loquar ad Dominum meum cum sim pulvis et cinis.* [80] Ita vult Dominus ut frenemus ambitionem ho-

71) Cf. Lv 19, 19; Dt 22, 9-11. 72) Cf. Ion 3, 5-8; Mt 12, 41; Lc 11, 32. 73) Cf. Ex 9, 8-10. 74) Ibid. 8, 19. 75) Cf. ibid. vr. 18. 76) Iob 41, 25. Vulg.: *Super universos,* etc. 77) Cf. Missale Rom. Feria Quarta Cinerum; Gn 3, 19. Vulg.: *Quia pulvis es et in pulverem reverteris.* 78) Cf. Dn 2, 31-35. 79) Gn 3, 19. 80) Ibid. 18, 27.

noris vani vanissimaeque gloriae mundanae, ac tandem avaritiam: *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra.*

VI. Quoniam vero affectus avaritiae perniciosissimus est, siquidem, ut ait Apostolus: *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem et in laqueum diaboli et* in *desideria... inutilia et nociva, quae mergunt hominem in interitum et perditionem, radix enim omnium malorum est cupiditas,*[81] propterea Christus hic rationibus agit. Avocat enim a thesaurizando in terra pluribus efficacissimis rationibus, quarum prima est: *Ubi aerugo et tinea demolitur et ubi fures effodiunt et furantur.* [82] Omnis, inquit, qui thesaurizat cupit thesauros suos securos esse atque perpetuo indeficientes; at thesauri terreni omnes sunt naturali corruptioni et hominum malorum furtis latrociniisque obnoxii; ergo non est thesaurizandum in terra, sed in coelo, ubi thesauri securi sunt et perpetui. Hinc ait apud Lucam: *Date eleemosynam; facite vobis sacculos qui non veterascunt, thesaurum non deficientem in coelo.* [83] Sic Paulus: *Divites bonis operibus fieri... thesaurizare sibi... ut apprehendant veram vitam.* [84]

Christus etiam a perniciosissimo affectu avaritiae avocare nos nititur,

ostendens thesauros terrenos corruptioni et amissioni obnoxios esse,

Altera Christi ratio est, quia: *Ubi est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum.* Cur, inquit, si potes habere cor mentemque in coelo, ut mente spirituque cum Deo et Angelis eius converseris in coelis, cur vis cor tuum in terra reponere? Mens hominis natura coelestis est atque divina, non igitur terrae subicienda est et miserae servituti infelicis mundi. Ex corde autem in terra defixo oriuntur omnia mala, nam: *De corde... exeunt malae cogitationes, adulteria, homicidia...*, *furta*, etc.; [85] *Malus homo de malo thesauro* cordis sui *profert malum.* [86] Hoc est quod Dominus subiungit: *Lucerna corporis... est oculus... Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit; si autem oculus tuus fuerit nequam*, sive malus, *totum corpus tuum tenebrosum erit. Si ergo lumen, quod in te est, tenebrae sunt, ipsae tenebrae quantae erunt?* [87] Cor mentemque hic Dominus vocat *oculum*, bonam mentem *oculum lucidum*, qui totum corpus illuminat, sicut lucerna domum, nam: *Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bonum;* [88] malam

cor terrae captivum reddere,

ex quo omnia mala oriuntur,

81) 1 Tim 6, 9-10. 82) Mt 6, 19. 83) 12, 33. Vulg.: *In coelis.* 84) 1 Tim 6, 18-19. Vulg.: *Divites fieri in bonis operibus*, etc. 85) Mt 15, 19. Vulg.: *Cogitationes malae, homicidia, adulteria*, etc. 86) Lc 6, 45. 87) Mt 6, 22-23. 88) Lc 6, 45.

autem mentem et animum *malum oculum*, qui totum corpus tenebrosum reddit. Mala enim voluntas etiam bona opera mala apud Deum efficit; sic: *Malus homo de malo thesauro* cordis sui *profert malum;* sic: *Radix... omnium malorum est cupiditas*, cor defixum in terra. Sic cor positum in coelo per caritatem radix est omnium bonorum.

et a Dei servitio avertere.

Et tertiam addidit Dominus rationem: *Nemo potest duobus dominis servire... Non potestis Deo servire et mammonae;* [89] spinae enim suffocant sementem patrisfamilias, qui de coelo seminat. [90] Quare concludit tandem Dominus: *Quaerite ergo... regnum Dei et iustitiam eius*, hoc est thesaurizare in coelo, *et haec omnia adicientur vobis*, [91] quae ad corporalem vitam necessaria sunt.

Christus vult omnes has virtutes in nobis perfectas esse.

VII. Sic multis quaesivit Dominus malam hanc radicem a pectoribus evellere et omnino perfectam virtutem hanc temperantiae a nobis requirit; similiter virtutem fortitudinis, ut thesaurizemus in coelo bonis operibus et patientia; sic etiam virtutem prudentiae et virtutem iustitiae. Omnes requirit perfectas, ut currus iste coelestis currere expeditissime et celerrime possit in coelum. Hic currus igneus necessarius nobis est, fratres, cum quattuor hisce rotis, si in coelum ascendere volumus.

Nullam autem impotentiam nos adducere possumus, quia Deus sua gratia eas nobis dono largitur;

Ne causemur impotentiam, quoniam Deus est qui currum hunc mittit e coelo; Deus est qui nobis virtutes has omnes dono largiri cupit cum gratia sua, modo eas velimus nec renuamus: *Haec est... voluntas Dei, sanctificatio vestra;* [92] *Pacem sequimini cum omnibus et sanctimoniam, sine qua nemo Deum videbit, contemplantes ne quis desit gratiae.* [93] Si quid ex parte nostra requiritur, voluntas est, quoniam in voluntate omnes hae virtutes consistunt. Caritas enim voluntas est firma Deum super omnia semper diligendi; iustitia voluntas est firma semper bene agendi quod iustum est, nunquam male;

ex parte nostra tantummodo voluntas requiritur,

prudentia voluntas est solicita mente quaerens a malis bona secernere bonisque meliora praeferre, hinc ex amore nascitur solicitudo oculatissima circa amatum; fortitudo firma est animi voluntas pugnandi contra hostes spiritus Dei fortiterque omnes difficultates in via virtutis

89) Mt 6, 24; Lc 16, 13. 90) Cf. Lc 8, 14. 91) Mt 6, 33. 92) 1 Thess 4, 3.
93) Hebr 12, 14-15. Vulg.: *Nemo videbit Deum*, etc.

et Dei superandi ; et tandem temperantia virtus est voluntatis, firma est enim animi voluntas frenandi inordinatos carnalis concupiscentiae motus sensualesque appetitus. Hinc ait hodie Dominus : *Cum ieiunatis, nolite fieri sicut hypocritae,* quoniam omne vitium in voluntate consistit et, per consequens, omnis virtus ; contrariorum enim habituum idem est subiectum : [94] sanitatis et infirmitatis corpus, lucis ac tenebrarum aer. *Nolite fieri sicut hypocritae ... nolite thesaurizare vobis thesauros in terra.* Quod si hanc quoque bonam voluntatem habere nos posse diffidimus, hanc quoque dat Deus. Sic ait Apostolus : *Deus est .. qui operatur in vobis et velle et perficere pro bona voluntate.* [95]

et hanc quoque Deus dat, modo non renuamus.

VIII. Ne igitur, fratres, tanquam immunda animalia margaritas contemnamus lutum potius et stercora eligentes. Virtutes enim hae, quas vult Dominus dare, modo eas velimus, thesaurus sunt incomparabilis. Hinc Dominus regnum coelorum comparavit *thesauro abscondito in agro,* [96] et hodie ait : *Thesaurizate ... vobis thesauros in coelo.* O thesauri ! Fiunt thesauri ex argento auroque et lapidibus pretiosissimis, ex metallis, lapidibus rebusque nobilissimis. Harum autem virtutum summa nobilitas ; pater enim et auctor earum est Deus ; subiectum, anima rationalis, coelestis et angelica natura ; forma, gratia spiritus, scilicet divina pulcritudo veraque imago et similitudo Dei ; scopus, absoluta hominis perfectio divinae simillima : *Estote ... perfecti sicut et Pater vester coelestis perfectus est ;* [97] finis, gloria paradisi beatifica, Deus ipse ; obiectum, ipsum bonum divinum, quod nos Deo similes facit ; opera perfecta, divinae legis observantia meritaque vitae aeternae ; et praemium, ipsamet vita aeterna perpetuaque beatitudo : *Thesaurizate ... vobis thesauros in coelo.* O fratres, o fratres, nos coelestes hos thesauros floccipendemus, spernemus, nihili faciemus? Has margaritas sicut porci contemnemus ?

Hae virtutes pretiosissimae sunt et nobilissimae;

Ne, quaeso, simus sicut Cain, qui coelestem spernens civitatem terrenam sibi habitationem elegit, sibi in terra civitatem aedificavit. [98] Ne seminemus in carne, sed in spiritu : *Quae enim seminaverit homo, haec et metet ... Qui seminat in carne ... de carne et metet corruptionem ;*

ne igitur eas contemnamus,

94) Axioma philosophicum, de quo cf. Aristoteles *Categoriae,* 1 *De Contrariis,* t. 1, pag. 17-18. 95) Phil 2, 13. 96) Mt 13, 44. 97) Ibid. 5, 48. 98) Cf. Gn 4, 16-17.

nam magno cum labore ad regnum coelorum eundum est,

qui autem seminat in spiritu, de spiritu metet vitam aeternam. [99] Cogitemus quod non creavit nos Deus propter terram, sed propter coelum, ubi cum ipso in aeternum vivamus; creavit nos non propter mundum, sed propter paradisum. Via autem in paradisum eundi flumen est. Oportet nos contra cursum aquarum navigare, quoniam fluvius egreditur de paradiso et magno quidem cum labore navigatur contra fluminis cursum: *Regnum coelorum vim patitur et violenti rapiunt illud.* [100]

sed gratia Spiritus Sancti laboriosum iter hoc facillimum reddet per caritatem, quam dabit nobis.

Displicet poenitentia carni, sed haec est via salutis: *Poenitentiam agite, appropinquavit enim regnum coelorum;* [101] gratia tamen Spiritus Sancti salutare hoc iter facillimum reddit. Hinc igneo curru raptus fuit Elias; [102] ignis autem suapte natura ascendit in coelum. Sic caritas, quae ignis ille est de quo Dominus ait: *Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut accendatur?* [103] ut ardeat? Sic Spiritus Sanctus in igne datus fuit Apostolis et discipulis Christi in die Pentecostes: [104] *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.* [105] O felices, qui in coelo posuerunt thesaurum suum! His enim iugum Christi suave est et onus leve, cum invenerint consolationem ac requiem animabus suis. [106] Hinc *lex iusto*, qui virtutem diligit sicut mater prolem, *non est posita, sed iniustis,* [107] qui oderunt peccare formidine poenae.

Christus etiam hodie in nobis excitat quattuor passiones, quae cor nostrum ad bene agendum impellunt.

IX. Currus igneus ascendens in coelum: *Currus igneus et equi ignei.* [108] Trahitur cor quattuor passionibus suis sicut currus equis. Sunt autem timor, spes, dolor et gaudium. Hodie autem Dominus excitat spem dicens: *Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi;* excitat timorem: *Nolite thesaurizare... thesauros in terra, ubi aerugo et tinea demolitur et ubi fures effodiunt et furantur;* excitat dolorem: *Quia receperunt mercedem suam* [109] hypocritae; et excitat gaudium his qui thesaurizant in coelo, ob securitatem thesauri. Sic cor igne divini amoris ardens quattuor hisce passionibus facillime sursum trahitur in coelum. Nam qui Deum amat, Deum timet ne eum perdat,

99) Gal 6, 8. 100) Mt 11, 12. 101) Ibid. 3, 2; 4, 17. 102) Cf. 4 Rg 2, 11. 103) Lc 12, 49. 104) Cf. Act 2, 1-4. 105) Rom 5, 5. 106) Cf. Mt 11, 29-30. 107) 1 Tim 1, 9. 108) 4 Rg 2, 11. 109) Mt 6, 16.

in Deo sperat atque confidit, de Dei dolet offensis et gaudet super omnia de gratia Dei.

O ter quaterque beatos, qui igneo hoc curru equisque rapiuntur in coelum : *Currus igneus et equi ignei!* Sed diabolus etiam, qui in omnibus vult simia esse Dei, alium currum construxit, igneum quidem cum igneis rotis equisque, currum ex igne amoris proprii, qui ignis est Sodomae et Gomorrhae, [110] cuius rotae sunt quattuor vitia : fragilitas, ignorantia, concupiscentia et malitia ; cuius equi sunt passiones et affectiones carnales ac sensuales. Nos horum curruum utrum magis eligimus ? Imo quem elegimus ? Ille quidem ducit in coelum, in paradisum, ad Deum ; hic vero in profundum abyssi, in infernum, ad diabolum. Sed, heu proh dolor ! quaenam haec nostra infelicitas est, quae insania, quae mentis vertigo ? Quaenam haec nostra sunt praepostera iudicia ? Laudamus virtutes et sequimur vitia quae vituperamus, credimus Christo et obedimus diabolo, desideramus currum nos ferentem in coelum, et ascendimus super ducentem in infernum !

Contra eas diabolus excitare in nobis nititur amorem proprium cum quattuor vitiis et passionibus sensualibus;

nobis autem electio datur utrum in coelum ascendere velimus, an in infernum descendere.

Habuit currus Eliae etiam equos igneos. Sunt autem equi trahentes currum cordis nostri quattuor animi passiones : spes, timor, gaudium atque dolor, quae si in Deum dirigantur et caritate informentur, equi sunt ignei. Videtur autem Dominus has a nobis requirere: dolorem in ieiunio pro poenitentia peccatorum nostrorum cum contritione cordis : *Convertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio et fletu et... planctu ;* [111] gaudium, dum exigit signa laetitiae: *Unge caput tuum et faciem tuam lava,* haec enim Iudaeis signa erant laetitiae ; [112] timorem, quo animum coercet ne thesaurizet in terra, quoniam terreni omnes thesauri amittuntur ; et spem consequendi ac possidendi in perpetuum thesauros coelestes. Hi sunt equi ignei divini huius currus. Sed habet etiam currus infernalis suos igneos equos, has easdem passiones igne amoris proprii inflammatas atque accensas, quae infinitorum sunt causa malorum fontesque perennes totius, quae in mundo est, malignitatis.

Sed si ad extinguendum hunc ignem quis aquas desiderat ut salvari possit, en mortis memoria quam nobis hodie Sancta mater Ecclesia sacris cineribus capita aspergens inculcat dicens : *Memento, homo,*

Ad excitandam in nobis caritatem

110) Cf. Gn 19, 24. 111) Ioel 2, 12. 112) Cf. supra, hom. secunda, not. 26, pag. 92.

et extinguendam carnalem cupiditatem hodie Sancta Ecclesia memoriam mortis proponit, impositis fronti cineribus.

quia cinis es et in cinerem reverteris. Sacri hi cineres vim habent fovendi ac conservandi ignem divinae caritatis et extinguendi ignem carnalis mundanaeque cupiditatis. Si quis saepe sacris hisce cineribus seipsum aspergeret, facillime adduceretur ad mortificandum carnem *cum vitiis et concupiscentiis*[113] suis, ad fugiendam vitae superbiam, ad spernendos thesauros terrenos coelestesque conquirendos. Moyses aspergendo cineres afflixit plaga magna Aegyptum ; sacris autem hisce cineribus destruitur regnum diaboli ; mors enim ostendit universam carnis et mundi vanitatem.

IV. ALIA HOMILIA

Cum ieiunatis, nolite fieri, sicut hypocritae, tristes; exterminant enim facies suas ut pareant hominibus ieiunantes, etc. [1]

Tribus partibus constat hodiernum Evangelium;

I. Videtur mihi hodie Dominus tanquam alter Noe arcam salutis, in qua a peccatorum diluvio salvari possimus, construere. Tribus enim partibus illa constabat : תַּחְתִּיִּם שְׁנִיִּם וּשְׁלִשִׁים תַּעֲשֶׂהָ :[2] *infima, secunda et tertia facies in ea,*[3] hoc est tribus solariis distinctam. Ita sacrosancti hodierni Evangelii tres sunt partes. In prima Christus dat regulam docens quomodo ieiunare debeamus ; in secunda mandat contemptum terrenarum divitiarum ; in tertia desiderium et amorem coelestium thesaurorum. Et sicut mundus iste tribus partibus constat : terra quam pedibus calcamus, coelo quod supra terram elevatum est, et empyreo supra coelum, ubi est paradisus gloriae Dei, sic tria haec in sacro Evangelio hoc videmus, quemadmodum et divinum tabernaculum tribus constabat partibus gradatim ascendentibus ab atrio in sancta, a sancta in sancta sanctorum, ubi erat arca thesaurus mysteriorum Dei.[4]

dat enim ieiunii regulam, mandat terrenarum divitiarum contemptum, suggerit coelestium thesaurorum desiderium.

Imo videtur mihi Dominus hodie construere nobis coelestem

113) Gal 5, 24.

1) Mt 6, 16. Cf. supra, not. 13 praec. hom., pag. 96. 2) Ms.: *Tahutim sceniim usclo sciim tahgascch.* 3) Gn 6, 16. 4) Cf. Ex 40, 2.

scalam, ad instar illius quam in spiritu vidit patriarcha Iacob, [5] qua possimus a terra in coelum ascendere. Lectio enim sacrosancti hodierni Evangelii est pars sermonis Domini in monte, in quo vere composuit nobis coelestem scalam octo gradibus constantem: *Beati pauperes spiritu... beati mites... beati qui lugent... beati qui esuriunt et sitiunt iustitiam... beati misericordes... beati mundo corde... beati pacifici* et *beati qui patiuntur persecutionem propter iustitiam.* [6] Hodie vero scalam conficit septem gradibus compositam ex septem virtutibus: quattuor quidem cardinalibus et tribus theologicis. Loquitur enim Dominus de ieiunio et abstinentia tum ab escis tum a vitiis, quod opus est temperantiae. Sed vult ut ieiunium istud procedat ex fide: *Tu autem, cum ieiunas, unge caput tuum et faciem tuam lava, ne videaris hominibus ieiunans, sed Patri tuo, qui videt in abscondito;* [7] vult ut procedat ex spe divinae retributionis: *Et Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi.* [8] Adhuc autem fortes vult nos esse, ut thesaurizemus in coelo; prudentes, ut coelestia terrenis divinaque humanis bonis praeferamus; iustos, ut omne fugiamus vitium virtutemque sectemur, et tandem coelesti caritate plenos: *Ubi... est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum.* [9]

Ut ieiunium vere sanctum sit, cum virtutibus theologicis et cardinalibus coniunctum esse debet;

O utinam nos Angeli simus per hanc scalam ascendentes, non descendentes, faciendo quae Dominus iubet, et non totum oppositum thesaurizando in terra non in coelo, operam dando concupiscentiae carnis, concupiscentiae oculorum et superbiae vitae, [10] quae tria sunt mundi idola, quae Salomon a gratia Dei lapsus coluit! coluit enim deum Sidoniorum, deum Moabitarum et deum Ammonitarum. [11] Haec sunt tria illa hominum genera, qui vocati ad nuptias regis renuunt venire, hic dicens: *Uxorem duxi et ideo non possum venire;* alter vero: *Iuga bonum emi quinque et eo probare illa;* alius: *Villam emi et necesse habeo exire et videre illam.* [12] Haec est avaritia, quae mille necessitates fingit, concupiscentia oculorum: *Necesse habeo* ire et *videre* villam, sive agrum; sic multi multas necessitates fingunt ad thesaurizandum in terra. Sic alter volens vanitatibus sensuum operam dare: *Iuga boum emi quinque;* qui autem carnali concupiscen-

tum veluti scala erit ad coelum conducens.

5) Cf. Gn 28, 12. 6) Mt 5, 3-10. 7) Ibid. 6, 17-18. Vulg.: *Qui est in abscondito.* 8) Ibid. 9) Ibid. vr. 31. 10) Cf. 1 Io 2, 16. 11) Cf. 3 Rg 11, 5-7. 12) Lc 14, 17-20.

tiae deditus est: *Non possum*, inquit, *venire;* inquit se nec orare nec ieiunare posse.

Primus gradus huius scalae: abstinere a cibo; hanc abstinentiam primo Deus homini praecipit,

II. *Cum ieiunatis.* Primus gradus coelestis huius scalae ieiunium est et abstinentia salutaris. Hoc est primum praeceptum humano generi datum in paradiso adhuc in statu innocentiae, [13] et primum opus quod Deo ab hominibus placuisse legimus, est sacrificium Abel ex carnibus. [14] Sic primum opus quod Noe egressus ex arca egit, fuit offerre Deo sacrificium ex animalibus mundis; [15] primum opus quod fecit Abraham egressus iuxta praeceptum Domini de terra et cognatione sua, fuit erigere altare ad offerendum sacrificia Domino; [16] primum quod requisivit Dominus ab Hebraeis fuit: *Ut sacrificent*, inquit, *mihi in deserto.* [17] In prima parte divini tabernaculi erat altare sacrificiorum; [18] in prima die dedicationis templi Salomonis multa fuerunt oblata Domino sacrificia. [19] Sic a mortificatione carnis incipit vita spiritus. Hoc significat primum opus, quod fecisse Moysen legimus, interfecit enim aegyptium contendentem cum hebraeo illumque sub sabulo sepelivit. [20] Hoc primum opus quod de Samsone legimus: ferum occidit leonem, qui contra ipsum veniebat. [21] Hoc primum opus Davidis: gigantem Goliath occidere caputque ei amputare. [22] Appetitus carnalis concupiscentiae est iste aegyptius, iste leo, iste gigas. Hic occidendus, hic mortificandus est, caro frenanda, quoniam haec est Eva quae peccare facit Adamum, [23] haec Dalila quae prodit dormientem Samsonem traditque in manu inimicorum, [24] haec impia Iezabel quae persequitur Eliam, [25] haec Athalia occidens omne semen regium, [26] haec Herodias quae persequitur Ioannem, [27] haec illa ancilla ad cuius vocem Petrus Christum negavit: [28] *Mortificate ... membra vestra quae sunt super terram;* [29] *Sicut ... exhibuistis membra vestra servire iniustitiae et iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra vestra servire iustitiae in sanctificationem;* [30] *Obsecro ... vos, fratres ... ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem,*

quia primo caro debellanda est, cum maxime spiritui inimica sit;

13) Cf. Gn 2, 15-17. 14) Cf. ibid. 4, 4. 15) Cf. ibid. 8, 20-21. 16) Cf. ibid. 12, 7-8; 13, 3. 17) Ex 7, 16. Vulg.: *Ut sacrificet.* 18) Cf. ibid. 40, 26. 19) Cf. 2 Par 7, 1-5. 20) Cf. Ex 2, 11-12. 21) Cf. Idc 14, 6. 22) Cf. 1 Rg 17, 4-51. 23) Cf. Gn 3, 6. 24) Cf. Idc 16, 4-21. 25) Cf. 3 Rg 19, 2-3. 26) Cf. 4 Rg 11, 1. 27) Cf. Mt 14, 3-11; Mc 6, 17-28; Lc 19, 20. 28) Cf. Mt 26, 69-72; Mc 14, 66-70; Lc 22, 56-57; Io 18, 17. 29) Col 3, 5. 30) Rom 6, 19. Vulg.: *Servire immunditiae et iniquitati*, etc.

rationabile obsequium vestrum; et nolite conformari huic saeculo, sed reformamini in novitate sensus vestri, ut probetis quae sit voluntas Dei bona et beneplacens et perfecta. [31] Sic nobis sacrificanda est Deo caro corporis nostri eritque sacrificium Deo acceptissimum, sicut fuit sacrificium Abraham, cum dilectissimum obtulit Isaac. [32] *Carnem suam nemo unquam odio habuit.* [33]

abstinentia autem carnem mortificans, comprimit vitia et virtutes largitur.

Displicet carni ieiunium, sed *arcta est via quae ducit ad vitam,* [34] arcta carni: *Qui vult venire post me, abneget semetipsum et tollat crucem suam et sequatur me.* [35] Via mundi et carnis *lata... et spatiosa* est, sed *ducit ad perditionem;* [36] via salutis est sicut via sanitatis. Per quam angustam viam necesse est ut incedat infirmus ad sanitatem consequendam! Quot amaras potiones, quot medicamenta, quot abstinentias, quot curas necesse est eum pati! Sed, proh dolor! multi ad corporis sanitatem recuperandam, ad medici consilium, patientur abstinentiam quadraginta dierum sumentes ligni aquam, [37] aut simile medicamentum, cum paucis unciis panis per singulos dies; pro animae autem salute quadragesimam ieiunare nolunt, ac si ipsorum anima non immortalis esset *ad imaginem et similitudinem Dei* creata, [38] sed anima quaedam bestiarum esset: *Animalis... homo non sapit... quae sunt spiritus Dei;* [39] *Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis.* [40] Abstinentia enim comprimit vitia carnis, elevat autem mentem ad coelestia et largitur virtutes et praemia. [41]

Etiam in poenitentiam peccatorum ieiunandum est et ad vincendas diaboli tentationes,

Ieiunandum est in poenitentiam peccatorum nostrorum: *Nisi enim poenitentiam egeritis, similiter omnes peribitis.* [42] Ieiunandum est ad fugiendam poenam damnationis aeternae: *Vae vobis, qui saturati estis, quia esurietis;* [43] *Beati, qui nunc esuritis, quia saturabimini;* [44] *Poenitentiam agite, appropinquavit enim regnum coelorum;* [45] hoc fuit initium praedicationis Ioannis Baptistae, post multorum annorum

31) Ibid. 12, 1-2. 32) Cf. Gn 22, 1-18. 33) Eph 5, 29. Vulg.: *Nemo... unquam carnem suam odio habuit.* 34) Mt 7, 14. Vulg.: *Arcta via est*, etc. 35) Ibid. 16, 24. 36) Ibid. 7, 13. 37) Alludit ad curam quam antiquitus pharmacopolae et medici adhibebant contra quasdam infirmitates, amarissimis potionibus aquae, cui infusum erat quod dicebatur *lignum sanctum* vel *lignum ferri;* hodie autem dicitur *guaiacum officinale*, quod ex India importatur. Cf. omnia Dictionaria Medica. 38) Gn 1, 26-27; 5, 1; 9, 6.
39) 1 Cor 2, 14. Vulg.: *Non percipit... quae*, etc. 40) Gal 5, 24. 41) Cf. S. Gregorius M. *Liber Sacramentorum*, (P. L. 78, 55); Missale Rom. Praefat. Quadr. 42) Lc 13, 3. 5. Vulg.: *Omnes similiter peribitis.* 43) Ibid. 6, 25. 44) Ibid. vr. 21. 45) Mt 3, 2; 4, 17.

abstinentiam in deserto;[46] hoc initium praedicationis Christi, post ieiunium quadraginta dierum.[47] Ieiunandum nobis est ad vincendas diaboli tentationes; Christus enim post ieiunium diabolum vicit:[48] *Hoc genus daemoniorum non eicitur nisi in oratione et ieiunio.*[49] Ieiunandum est ad divinae legis observantiam; lex enim Moysi post ieiunium quadraginta dierum data fuit et quadraginta aliorum dierum numero recuperata, quando propter populi crapulam et idololatriam in adoratione aurei vituli fregit Moyses tabulas legis.[50]

pugnando contra vitia

Cum ieiunatis, nolite fieri sicut hypocritae. Vult Dominus ut bonis operibus incumbentes pugnemus contra vitia, sicut qui destructam Ierusalem reaedificabant: altera quidem manu aedificabant et altera ad pugnandum contra inimicos gladium tenebant, ut legimus *Nehemia* 4.[51] *Non est* autem *nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes . . . tenebrarum.*[52] *Nolite fieri sicut hypocritae,* qui sunt simiae iustorum, qui sunt sicut falsa et adulterina numismata, sunt non aurum sed aurichalcum, non argentum sed stannum, non apes sed vespes sine melle, non homines sed imagines atque statuae factae ab arte. Inter naturam autem et artem hoc interest, quod natura quidem hominem et intrinsecus et extrinsecus operatur, ars autem extrinsecus tantum, non intrinsecus; non enim curat nisi prospectum.

et bonis operibus incumbendo.

Sic hypocritae: *Omnia . . . opera sua faciunt ut videantur ab hominibus,*[53] *ut pareant hominibus ieiunantes.* Sunt sicut Iacob indutus *vestibus Esau valde bonis,*[54] ut se primogenitum filium simularet; sunt falsi prophetae, lupi sub vestimentis ovium;[55] sunt non sicut triremes, quae saepe remis navigant, sed sicut naves, quae non navigant nisi flante vento auraque humanae laudis. Sunt non sicut cymbala, sed sicut organa, quae non reddunt sonum nisi flatum recipiant a sufflatoriis; sunt sicut vulpes, quae nil boni habent nisi pellem; sicut serpentes, qui pellem habent pulcra colorum varietate decoram, intus autem pleni sunt veneno mortifero.

III. *Exterminant enim facies suas ut pareant hominibus ieiunantes. Amen dico vobis, receperunt mercedem suam.*[56] Vult Dominus ut iu-

46) Cf. Mc 1, 6-8. 47) Cf. Mt 4, 1-2; Mc 1, 13-15. 48) Cf. Mt 4, 3-10; Lc 4, 1-13. 49) Mt 17, 20; Mc 9, 29. 50) Cf. Dt 9, 11-21. 51) Cf. vr. 17. Qui et 2 *Esdrae* dicitur. 52) Eph 6, 12. 53) Mt 23, 5. 54) Gn 27, 15. 55) Cf. Mt 7, 15. 56) Ibid. 6, 16.

stitia nostra abundet supra iustitiam scribarum et Pharisaeorum, ait enim: *Nisi abundaverit iustitia vestra plus quam scribarum et Pharisaeorum, non intrabitis in regnum coelorum.* [57] Illorum enim iustitia tantum externa est, nostram autem vult esse etiam et maxime quidem internam; illorum iustitia tantum coram hominibus, nostram vult esse maxime coram Deo; illorum erat bona opera facere, non bene iustum exequi, non iuste; nos autem vult ut iuste quod iustum est exequamur et bene quod bonum est operemur, ut absque omni vitio virtutem sectemur, ut nostra sit perfecta iustitia. Hic alter est scalae gradus: perfecta iustitia, ut facientes bonum ab omni declinemus malo coram Deo et hominibus; ne alioquin simus sicut arbor habens folia et non fructus, cui maledixit Dominus, [58] [ne] simus sicut virgines fatuae habentes lampades et vasa sine oleo, [59] et sicut ille qui talentum fodit in terra. [60]

Secundus gradus: ieiunium cum vera iustitia interna coniungere, non solum malum vitando, sed et bonum faciendo.

IV. *Tu autem, cum ieiunas, unge caput tuum et faciem tuam lava.* Vult Dominus ut cum spirituali laetitia et animi hilaritate bonis operibus incumbamus, sicut Apostolus ait: *Non ex tristitia aut ex necessitate, hilarem enim datorem diligit Deus.* [61] Lavare enim faciem et ungere caput oleo signa erant laetitiae Palaestinis. [62] Sic de Davide legimus quod, post nimiam tristitiam, lotus unctusque fuit. [63] Vult Dominus in afflictione ieiunii nos laetos esse, quoniam Spiritus Sanctus suos interius semper laetificat, ut sint sicut rubus ardens, incombustus, [64] sicut tres pueri gaudentes in medio fornacis, [65] sicut Hebraei in deserto pasti manna coelesti, [66] sicut tabernaculum Domini foris quidem opertum pellibus animalium mortuorum, intus autem auro totum resplendens. [67] Sic: *Secundum numerum dolorum meorum in corde meo consolationes tuae laetificaverunt animam meam;* [68] *Sicut abundant passiones Christi in nobis, ita et per Christum abundat consolatio nostra.* [69] Vult Dominus ut omnem intentionem nostram ad interiora dirigamus: *Omnis* enim *gloria eius filiae regis ab intus, in fimbriis aureis circumamicta varietatibus;* [70] sicut docuit Christus

Tertius gradus: mortificationi incumbere cum animi hilaritate,

omnem intentionem ad Deum dirigendo.

57) Ibid. 5, 20. 58) Cf. ibid. 24, 18-19. 59) Cf. ibid. 25, 2-12. 60) Cf. ibid. vr. 18. 61) 1 Cor 9, 7. 62) Cf. supra, not. 27 praec. hom., pag. 97. 63) Cf. 2 Rg 12, 20. 64) Cf. Ex 3, 2. 65) Cf. Dn 3, 50. 66) Cf. Ex 16, 14-22. 67) Cf. ibid. 36, 8-39, 1 sqq. 68) Ps 93, 19. Vulg.: *Secundum multitudinem*, etc. 69) 2 Cor 1, 5. 70) Ps 44, 14.

mundandum esse prius quod intus est hominis, [71] quoniam : *Spiritus est Deus, et eos qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare.* [72]

Quartus gradus: ieiunare cum vera fide, soli Deo placere studendo,

V. *Ne videaris hominibus ieiunans, sed Patri tuo, qui videt in abscondito.* Hic alius est coelestis huius scalae gradus : fides in Deum, *qui videt in abscondito : En ipse stat post parietem nostrum, respiciens per fenestras* et *prospiciens per cancellos ;* [73] *Vere tu es Deus absconditus* [74] in mundo sicut anima in corpore, quae a nemine videtur et videt omnia. Vult Dominus ut opera nostra bona abscondamus, sicut absconduntur thesauri metu furum, sicut tabulas legis, virgam Dei et vas mannae voluit intra arcam in secretissimo loco sancti sanctorum reponi. [75] et *qui invenit* thesaurum in agro, *abscondit.* [76] Quod si alibi Dominus dicit : *Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona et glorificent Patrem vestrum qui in coelis est,* [77] hoc dixit ne a bonis operibus unquam cessemus, ad gloriam tamen Dei, non nostram ; sed sint *lucernae ardentes in manibus* [78] nostris, ita tamen ut sint etiam lumbi mentis praecincti ab appetitu inanis gloriae et vanitatis, et ut *nesciat sinistra* malae intentionis *quid faciat dextera* [79] piae devotionis. Vult Dominus ut soli Deo una cum Enoch [80] placere studeamus. Ezechias, quia thesauros domus ostendit Chaldaeis, graviter a Deo per Isaiam correptus fuit, quod illa omnia direpturi essent Chaldaei, [81] sicut postea fecit Nabuchodonosor. [82]

non vanam propriam gloriam quaerendo;

quia a solo Deo expectanda est merces bonorum operum.

Et Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi mercedem boni operis in coelo, *tibi,* non hypocritis qui *receperunt mercedem suam,* sed *tibi,* si bene operans soli Deo placere studeas. Hic gradus est quartus : spei et expectationis mercedis ac praemii omnium nostrorum bonorum operum a Deo, qui Abrahae dixit : *Ego protector tuus sum et merces tua magna nimis ;* [83] *Centuplum accipiet et vitam aeternam possidebit.* [84] Deus in abscondito manens videt omnia opera nostra externa et interna, quoniam spiritus est infinitae sapientiae eiusque intellectus oculus est perfectissime videns, et reddet mercedem sicut terra optima faciens centuplum, quoniam infinita bonitas et benignitas.

71) Cf. Mt 23, 25-26; Lc 11, 39-40. 72) Io 4, 23. 73) Ct 2, 9. 74) Is 45, 15.
75) Cf. Ex 16, 33-34; Nm 17, 10; Dt 10, 5; 3 Rg 9, 4; Hebr 9, 3. 76) Mt 13, 44.
77) Ibid. 5, 16. 78) Lc 12, 35. 79) Mt 6, 3. 80) Cf. Eccli 44, 16.
81) Cf. 4 Rg 20, 12-18; Is 39, 2-7. 82) Cf. 4 Rg 24, 1-17; Dn 1, 1-2. 83) Gn 15, 1.
84) Mt 19, 29.

VI. *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, ubi,* etc. [84a] Alius hic gradus est : ne stultam mundi prudentiam sequamur, quae apud Deum vera stultitia est. [85] Stultum est enim in arena et maris littore seminare, stultum velle oleum et operam perdere, [85a] stultum, utilibus verisque bonis dimissis, vana et inutilia quaerere, vel multo melioribus quae valde minus bona sunt anteferre, auro ferrum, argento plumbum, pretioso lapidi laterem, terram coelo, lunam soli, bestias Angelis, mundum Deo. Quid profuit infelici illi diviti epuloni thesaurizasse sibi in terra? Solam inde consecutus fuit damnationem aeternam. [86]

Quintus gradus: praecipue ab amore divitiarum mundi cor avertere.

Non dicimus malas esse divitias, nam : *Vidit . . . Deus cuncta quae fecerat, et erant valde bona ;* [87] sed quae bona in seipsis sunt, nobis saepe sunt mala. Bonum est vinum generosum et potens, sed febricitanti venenum est ; bonus est ignis, sed cavendum est ne domum comburat ; bonus est sol, sed infirmos oculos excaecat ; bona pluvia, sed nimia terram diluvio inundat ; bonus homini cibus et potus, sed nimius nocet. Sic divitiae bonae sunt, sed nimius earum amor perniciosus homini ac pestilens est. Impossibile est divites intrare in regnum coelorum, [88] quoniam spinae sunt divitiae, quae suffocant sementem seminatoris coelestis, [89] sunt multorum malorum occasiones: superbiae, vanae gloriae, avaritiae, luxuriae, gulae, otii, invidiae, rixarum, odiorum, inimicitiarum ac mille aliorum malorum, unde mundus plenus est litibus, contentionibus, furtis, rapinis, latrociniis, usuris ac omni malignitate : *Mundus totus in maligno positus est.* [90]

quae licet per se malae non sint, tamen maxima sunt incitamenta malorum.

VII. *Thesaurizate . . . vobis thesauros in coelo.* [91] Ecce alius gradus. Non potest cor nostrum sine amore et desiderio esse, sicut ignis sine calore, fons perennis et vivus sine aqua. Nec vult Dominus ut non amemus, sed ut amemus vera bona, quae coelestia sunt atque divina, contemptis his terrenis et mundanis. Sic non prohibet nos thesaurizare, sed vult ut thesaurizemus in coelo, veluti si mercator diceret suo oeconomo ne pretiosa mercimonia vili venderet, et si agrorum dominus praeciperet agri colono ne seminaret in arenoso et inculto

Sextus gradus: ad amorem coelestium bonorum animum excitare;

84a) Ibid. 6, 19. 85) Cf. 1 Cor 3, 19. 85a) Proverbium, de quo cf. P. Mannuccius *Adagia*, col. 255-256. 86) Cf. Lc 12, 16-20. 87) Gn 1, 31. 88) Cf. Mt 19, 23-24; Mc 10, 23-25; Lc 18, 24-25. 89) Cf. Mt 13, 7-22; Mc 4, 7-19. 90) 1 Io 5, 19. 91) Mt 6, 20.

id enim est thesaurizare in coelo,

agro, sed in bono ac bene culto ; non prohiberet ille mercimoniam vendere aut hic seminare, sed uterque vellet ut quod fit, bene fieret. Sic iussit Deus Hebraeis ut non adorarent falsos deos neque sacrificarent idolis, sed ipsi soli vivo et vero Deo divinos hos honores pia religione et cultu exhiberent.[91a] Sic iussit ut non comederent animalia immunda, mmundas aves, immundos pisces, et ne tangerent quidem immunda, sed mundis delectarentur.[92] Sic nos praecipit thesaurizare in coelo, non in terra, bene agendo : *Timor Domini ipse est thesaurus eius,* inquit Isaias.[93] Sic omnis virtus veluti quidam thesaurus inaestimabilis est, et quotiescunque bonum aliquod opus propter Deum agimus, auri pondus lapidemque pretiosum reponimus in coelesti nostro scrinio ac repositario. Opera enim bona facta ex caritate tanti apud Deum valent, ut minimum opus bonum ex caritate procedens sit aequivalens pretium ad emendum paradisum; meretur enim de condigno gloriam paradisi quilibet caritatis et gratiae actus. Vidua illa paupercula duobus minutis coelum sibi emit,[94] alius autem calice aquae frigidae propter Deum dato ;[95] ob id Dominus bene operari vocat thesaurizare in coelo.

quia bona opera propter Deum facta aeternun praemium consequuntur.

VIII. *Ubi . . . est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum.* Hic septimus est et supremus huius divinae scalae gradus, cui innititur Deus : coelestis caritas, divinus amor, ut semper sit cor nostrum elevatum a terra, semper in coelo, semper cum Deo per coelestium rerum contemplationem, desideria, amorem : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo ;*[96] *Qui . . . adhaeret Deo unus spiritus est*[97] cum eo. Sic septem habemus gradus septem coelestium virtutum, quae sunt septem primi dies saeculi,[98] septem planetae coelestes,[99] septem agnae Abrahae,[100] septem filii Iob,[101] septem lucernae aurei candelabri,[102] septem oculi super lapidem unum,[103] septem stellae in dextera Christi,[104] septem aurea candelabra in quorum medio Christus videtur,[105] septem lampades ardentes ante thronum Dei,[106] septem sigilli libri

Septimus gradus: vera erga Deum caritate cor accendere, ut semper ad coelum tendat.

91a) Cf. Ex 20, 2-5; Dt 5, 1-10. 92) Cf. Lv 11, 9-25. 93) 33, 6. 94) Cf. Mc 12, 42-43; Lc 21, 2-4. 95) Cf. Mt 10, 42. 96) Ibid. 22, 37; Mc 12, 30; Lc 10, 27. 97) 1 Cor 6, 17. Vulg.: *Adhaeret Domino*, etc. 98) Cf. Gn 1, 1 sqq.
99) De hoc cf. Conimbricenses *De Coelo*, lib. 2, cp. 5, q. 1, a. 5, col. 268. 100) Cf. Gn 21, 28-30. 101) Cf. Iob 1, 2; 42, 13. 102) Cf. Ex 25, 37; 37, 23; Nm 8, 3.
103) Cf. Zach 3, 9. 104) Cf. Apc 1, 16. 105) Cf. ibid. vrr. 12-13. 106) Cf. ibid. 4, 5.

signati,[107] septem spiritus Dei,[108] septem Spiritus Sancti dona, conformiter ad septem Sacramenta Ecclesiae, quae sunt septem Christi fontes, ex quibus hauritur aqua cum gaudio.[109]

IX. Sed quomodo ad summum usque scalae huius gradum ascendemus ut paradisum ingredi possimus, si supra primum gradum ascendere renuimus, si ieiunare recusamus? Ieiunare, inquam, iuxta formam a Christo praescriptam. Non enim placet Deo ieiunium hypocritarum, ieiunium peccatorum, qui ieiunantes ab escis, non ieiunant a vitiis et peccatis. His enim dicentibus: *Quare ieiunavimus et non aspexisti, humiliavimus animas nostras et nescisti?* respondet: *Ecce in die ieiunii vestri reperitur voluntas vestra, et omnes debitores vestros repetitis. Ecce ad lites et contentiones ieiunatis et percutitis pugno impie. Nolite ieiunare sicut usque ad hanc diem, ut audiatur in excelso clamor vester. Nunquid tale est ieiunium quod elegi, per diem affligere hominem animam suam?... Nonne hoc est magis ieiunium quod elegi? dissolve colligationes impietatis, solve fasciculos deprimentes... Frange esurienti panem tuum et egenos vagosque induc in domum tuam; cum videris nudum, operi eum et carnem tuam ne despexeris. Tunc erumpet quasi mane lumen tuum, et sanitas tua citius orietur, et anteibit faciem tuam iustitia tua, et gloria Domini colliget te. Tunc invocabis, et Dominus exaudiet; clamabis, et dicet: Ecce adsum, si abstuleris de medio tui catenam et desieris extendere digitum et loqui quod non prodest.*[110]

Sine his virtutibus ieiunium Deo gratum esse nequit,

nihil enim prodesse potest ieiunare ab escis, nisi a vitiis etiam ieiunetur;

O felices, qui sic ieiunant agentes poenitentiam de peccatis praeteritis, abstinentes ab eis in futurum, et operibus misericordiae et pietatis ex corde propter Deum operam dantes, ut ieiunium habeat semper comites eleemosynam et orationem! Tria enim haec Christus coniunxit, et de eleemosyna et oratione prius locutus est et deinde statim de ieiunio.

illud autem perfectum ieiunium est quod cum oratione et eleemosyna coniungitur

Exigit autem, ut diximus, a nobis Dominus triplex ieiunium: a concupiscentia carnis, a concupiscentia oculorum et a superbia vitae:[111] *Cum ieiunatis, nolite fieri sicut hypocritae... Nolite thesaurizare vobis... in terra.* Sed et diabolus triplex a nobis requirit ieiunium: primo quidem ieiunium a cibis spiritualibus et frequentia

et omnibus concupiscentiis bellum indicit.

107) Cf. ibid. 5, 1. 108) Cf. ibid. 3, 1; 5, 6. 109) Cf. Is 12, 3. 110) Ibid. 58, 3-9. Vulg.: *Invenitur voluntas vestra*, etc. 111) Cf. 1 Io 2, 16.

Sacramentorum, orationum et devotionum pietatis; secundo ieiunium a virtutibus et professione verae humilitatis veraeque sanctitatis; tertio ieiunium a desideriis coelestium bonorum sanctarumque operationum. Nunc dicite mihi, fratres, quodnam ieiunium servamus nos: Christi an diaboli? Cuius persuasionibus consentimus? cuius praeceptis obedimus? Ah Deus! ah Christe! O homo, profiteris te Christo nomen dedisse, christianum te esse, verum fidelemque Christi servum, et deinde diabolo obedis et servis, non Christo? Facis totum oppositum eorum quae praecipit Christus, secundum persuasiones ac suggestiones satanae? Quaenam haec fides est nostra? quae vita christiana? Nos secundum carnem et mundum vivendo, legem potius antichristi servamus quam Christi. Christus dicit hodie: *Nolite thesaurizare vobis ... in terra,* et nos nil magis cogitamus, cupimus, satagimus quam in terra nobis thesaurizare et divites fieri, et non cognoscimus, caeci, quod confitentes nos Christum nosse, factis negamus.[112] Ah, fratres, per Deum vos rogo, resipiscamus hodie, etc.

Et hoc est ieiunium quod diabolus maxime odit.

Verus autem christianus non diaboli suasionibus, sed Christi documentis obedire debet.

V. ALIA HOMILIA

Cum ieiunatis, nolite fieri, sicut hypocritae, tristes.[1]

I. In sacrosancto hodierno Evangelio Dominus fidelibus suis vivendi normam videtur praescribere et signa dare, quibus fideles sui a ceteris dignoscantur. Sicut enim Deus signatos esse voluit Hebraeos, quo a ceteris gentibus distinguerentur, signatos autem et intrinsecus in carne per circumcisionem[2] et extrinsecus in vestimentis per vittas hyacinthinas in quattuor angulis palliorum,[3] sic Dominus electos suos signatos esse voluit, quo veri agnoscerentur christiani qui nomine et factis, vita et operibus tales sunt. Signa autem sunt duo: alterum intrinsecum et alterum extrinsecum; intrinsecum quidem, veluti circumcisio, est mortificatio carnis: *Qui* enim *sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis.*[4] Non dicit tantum quod:

Hodierno Evangelio Christus exhibet signa ad dignoscendos veros fideles suos.

112) Cf. Tit 1, 16.

1) Mt 6, 16. 2) Cf. Gn 17, 10-13. 23-27. 3) Cf. Nm 15, 34; Dt 22, 12. 4) Gal 5, 24.

Carnem suam crucifixerunt, sed addidit : *Cum vitiis et concupiscentiis.* Hinc Dominus hodie non tantum carnis mortificationem requirit per ieiunium, sed etiam mortificationem spiritus : *Nolite fieri, sicut hypocritae, tristes*, ut fugiamus superbiam vitae omnemque vanae gloriae et humanae laudis appetitum. Alterum vero extrinsecum signum est : *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra* sed *thesaurizate... vobis thesauros in coelo.* [5] Hae sunt vittae hyacinthinae in angulis vestimenti. Erant autem coloris coelestis. Hinc cognoscere poterimus quinam sint veri christiani, sequaces et imitatores Christi. Haec enim ipse fecit prius quam doceret: carnem suam ipse crucifigere voluit paupertatemque divitiis anteposuit. Hoc genus vitae P a u l u s verus christianus elegit ; ait enim : *Castigo corpus meum et in servitutem redigo*, [6] et : *Omnia detrimentum feci et arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam.* [7] Sic thesauros sibi thesaurizavit in coelo.

quae sunt mortificatio carnis et spiritus et contemptus terrenarum divitiarum.

II. *Cum ieiunatis, nolite fieri sicut hypocritae.* Fecit Deus lucem et divisit eam a tenebris ac tandem *vidit* lucem *quod esset bona.* [8] Sic faciendum nobis est, ut dividamus lucem virtutum ac bonorum operum a tenebris vitiorum, et ideo magna cum diligentia examinare debemus opera nostra bona, ut videamus qua mente et intentione sunt facta. Prohibuit Deus homini ne comederet de ligno scientiae boni et mali, [9] ne sibi complaceat homo in operibus bonis prava intentione malefactis. Hinc S a p i e n s ait: *Aufer rubiginem de argento, et egredietur vas purissimum.* [10] Separandum est aurum argentumque bonorum operum a scoria et alchimia vitiorum. Deus enim de mundis et immaculatis animalibus sacrificia sibi fieri in lege mandavit. [11] Opera bona munda sunt animalia, sed cavendum est ne prava intentione maculentur. Ut enim opera nostra Deo sint grata, necesse est ut ex caritate fiant, alioquin tanquam falsae monetae nullius valoris erunt.

Ad ieiunium salutare requiritur ut fiat ex vera caritate erga Deum.

Nolite fieri. Quid, quaeso, est: *Nolite fieri?* Num homines seipsos facere possunt ? Utique hoc singulare est hominis privilegium, ut possit seipsum qualem magis libet efficere. Deus aeternus est, non potest seipsum efficere ; mundus autem a Deo factus est, non potest seipsum aliter facere ; terra non potest non esse terra ; similiter

haec enim est qua homo Deo similis efficitur.

5) Mt 6, 19-20. 6) 1 Cor 9, 27. 7) Phil 3, 8. 8) Gn 1, 3. 9) Cf. ibid. 2, 17.
10) Prv 25, 4. 11) Cf. Lv 1, 3; 3, 1; 4, 3.

coelum, imo et Angelus. Homini vero data est potestas ut, si velit esse terra, terra sit, si coelum, coelum, si Angelus, Angelus, si Deus, Deus, nam : *Qui... adhaeret Deo unus spiritus est*[12] cum eo ; *Dedit eis potestatem filios Dei fieri.*[13] Hoc est *nolite fieri :* potestis esse Sancti Dei, Angeli Dei, ipsimet Deo quam similes; ne vos hypocritis daemonibusque similes faciatis. O homo, si in tua potestate esset ut teipsum vel aureum vel luteum faceres, quid eligeres ?

Ieiunandum est cum recta intentione ad cohibendum concupiscentiae ardorem et vitia frenanda.

Cum ieiunatis. Regenda est caro nostra virga virtutis ; ad regendum enim equum virga frenoque opus est. Ieremias, post visionem ollae succensae atque ferventis, vidit *virgam vigilantem.*[14] Olla fervens caro nostra est, fervens ardore concupiscentiae ; virga autem ieiunium est. Sed necesse est ut sit virga vigilans ; ut sit ieiunium gratum Deo, necesse est ut fiat recta intentione menteque vigilante, ut se a vitiis internis custodiat ; sic Abraham offerens sacrificia Deo, abigebat nocturnas aves, quae veniebant ad rapiendas carnes sacrificii.[15] Sacrificium Deo ieiunium est, quo offerimus Deo corpora nostra *hostiam viventem, sanctam, Deo placentem*; sed necesse est ut *rationabile* sit *obsequium*[16] nostrum ; abigendae sunt aves nocturnae malarum cogitationum pravorumque appetituum inanis gloriae, qui a diabolo immittuntur.

Ieiunando vacandum est bonis operibus et contra vitia pugnandum;

III. *Cum ieiunatis, nolite fieri sicut hypocritae,* qui sunt tanquam vespae, iusti autem sicut apes. Sunt similes apibus vespae, sed mel non faciunt, meritum vitae aeternae non consequuntur. Sunt hypocritae arbores facientes fructus foris pulcros, sed intus vanos et absque ullo sapore virtutis. Sicut qui aedificabant Ierusalem post babylonicam captivitatem, altera quidem manu aedificabant, altera vero gladium tenebant ad se defendendos ab inimicis,[17] sic faciendum nobis est : vacandum quidem bonis operibus, sed simul pugnandum contra vitia. Hypocritae enim ideo non veri iusti, sed simiae iustorum sunt, quia contra vitia sua minime pugnant, cumque velint cum filiis Iacob Deo servire, idola sua nolunt abicere.[18]

Ut pareant hominibus ieiunantes.[19] Propalant, inquit, hominibus

12) 1 Cor 6, 17. Vulg.: *Adhaeret Domino,* etc. 13) Io 1, 12. 14) Cf. 1, 11-13. 15) Cf. Gn 15, 9-11. 16) Rom 12, 1. 17) Cf. 2 Esr 4, 17. 18) Cf. Gn 35, 1-4. 19) Mt 6, 16. Cf. supra, not. 13 hom. tertiae, pag. 96.

opera sua bona, quae potius abscondenda sunt. Opera enim bona sunt tanquam thesauri: *Thesaurizate... vobis thesauros in coelo.* Sed ille qui invenit thesaurum in agro, abiit et abscondit.[20] Hinc tabulae legis una cum virga et manna secretissimo loco intra sancta sanctorum sub velo et sub propitiatorio in arca positae fuerunt,[21] quia bona opera abscondenda potius sunt quam propalanda. Daemones enim veluti latrones sunt furesque astutissimi pessimique, ut inquit Divus Gregorius, et « depraedari desiderat qui thesaurum publice portat ».[22] Qui autem bona opera abscondit, thesaurum in manu Dei reponit veluti intra regium aerarium, quo fures non appropiant. Hinc ait: *Et Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi.*[23]

maxime tamen cavendum est a vana mundi gloria in bonis operibus quaerenda,

Cum ieiunatis, nolite fieri sicut hypocritae. Hi enim non Deo, sed Baal idoloque superbiae offerunt sacrificia. Sed Elias occidit sacerdotes Baal.[24] Sic Dominus vult ut omnes appetitus superbiae interimamus; hi enim sunt Chananaei, quos perdendos Dominus reliquit in terra promissionis.[25] In sacrificiis autem Dominus non mel, sed sal adhiberi voluit;[26] sic in sacrificio ieiunii sal requirit mortificationis, non mel humanae laudis et gloriae, quae tanquam mel dulcis est humano appetitui. Ieiunia et carnis mortificationes medelae sunt vitiorum; eorum autem, quibus salutares medicinae ob nimium depravatam complexionem tanquam venena letiferae sunt, profecto desperata est salus. Sic sunt hypocritae, quibus ieiunia ad animarum salutem nil iuvant, sed superbiae vitium omnium mortiferum fomentant atque adaugent in suam ipsorum perniciem.

quia haec omne meritum aufert et ieiunium Deo ingratum reddit.

IV. *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra.* Duplex bonorum genus proponit nobis hodie Christus optionemque dat ut quod magis libet accipiamus: bona terrena, temporalia et mundana, quae ipsamet vanitas sunt, hi sunt thesauri terreni; et bona coelestia, aeterna atque divina, quae homini perfectam afferunt felicitatem ac beatitudinem. Proponit haec et ostendit quaenam sint meliora; quod sicut aurum luto praeferendum est et lapides pretiosi lateribus, sic coelestes thesauri terrenis sunt anteponendi. Causamque reddit: quo-

Duplex bonorum genus nobis eligendum proponitur:

20) Cf. Mt 13, 44. 21) Cf. Ex 16, 33-34; Nm 17, 10; Dt 10, 5; 3 Rg 8, 9; Hebr 9, 4.
22) *In Evang.*, hom. 11, (P. L. 76, 1115). 23) Mt 6, 18. 24) Cf. 3 Rg 18, 40.
25) Cf. Ex 23, 28-29; Dt 7, 22; Idc 2, 23. 26) Cf. Lv 2, 13.

terrenorum et coelestium.

niam, praeterquam mundana, haec bona terrena sunt ac propterea vilissima; sunt etiam corruptibilia et facile amittuntur rapta a furibus et latronibus; nec sunt homini necessaria, cum homini Deus omnia necessaria ad vitam abunde satis subministret. Bona vero spiritualia atque divina, coelestia cum sint, pretiosissima necesse est esse; et incorruptibilia sunt, sicut ipsum quoque coelum, amittique nullo pacto possunt; et homini summopere necessaria sunt ad vitam aeternam.

Haec docuit Christus eligenda, quia aeterna sunt, dum terrena temporalia sunt et vana.

Nunc, quaeso, nos quaenam eligemus bona? Peiora an meliora? Imo quaenam nobis elegimus? O Deus, o Deus! coelestia? divina? Proh dolor! Et non erubescimus sub christiano nomine vivere? Quaeso, dicas mihi, o homo, qui christianus diceris et Christum confiteris, quid putas: Christum bene egisse et docuisse an male? sapienter an stulte? Christus non haec terrena bona, sed coelestia pro se elegit et haec eligenda docuit. Peto: sapienter egit an stulte? Si sapienter, dicas tu: quomodo agis contrarium? Ah! tu verbis dicis et confiteris te nosse Christum, factis autem negas [27] factisque ostendis Christum stulte egisse et docuisse. Quod si terrenas etiam divitias desideratis, saltem *primum quaerite regnum Dei et iustitiam eius,* [28] quaerite prius spiritualia bona pro anima proque aeterna vita, et postea temporalia pro corpore vitaque mortali, quae *vapor est ad modicum parens,* [29] vanitas et umbra.

Insuper bona terrena summis laboribus comparantur, et in causa sunt multorum malorum.

Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra. Terreni enim thesauri summis laboribus comparantur, coelestes vero sola voluntate; caritas enim coelestis thesaurus [est] infiniti apud Deum valoris, haec autem in voluntate consistit, in Deum dirigens voluntatis affectum. Bone Deus, si sola voluntate mundani compararentur thesauri, quis non ditissimus esset? Dedit Abraham Loth optionem ut sive dexteram sive sinistram eligeret; ipse vero Pentapolim elegit, quoniam universa regio illa *sicut paradisus Domini* ei visa fuit, Abraham vero terram promissionis pro se retinuit; [30] elegit sibi Loth terrenam felicitatem, Abraham vero coelestem. Hinc Abraham semper in melius prosperatus fuit, sed Loth semper in peius abiit; post non multum enim tempus ab inimicis captivus ductus fuit cum omnibus quae ha-

27) Cf. Tit 1, 16. 28) Mt 6, 33. Vulg.: *Quaerite ergo primum,* etc. 29) Iac 4, 15.
30) Cf. Gn 13, 9-13.

bebat; [31] postea in combustione regionis illius omnia bona amisit et vix solus ipse cum duabus filiabus salvatus fuit. [32] Divitiae enim illi malorum omnium in causa fuerunt; nam propter divitiarum copiam separatus ab Abraham fuit et in Sodomorum civitate habitare elegit. Sic multi sunt qui, coelestibus contemptis thesauris, nonnisi terrenos affectant, quemadmodum filii Ruben et Gad extra terram promissionis habitationem sibi elegerunt, illecti specie terrae Galaad. [33] Primus autem qui terrenis acquisitionibus operam dedit terrenusque civis esse voluit, Cain, maledictus a Deo fuit damnationemque sibi acquisivit aeternam. [34] Sic Christus ait quod impossibile est divites intrare in regnum coelorum. [35]

coelestia autem sola voluntate acquiruntur.

Nolite thesaurizare vobis. Ab omnibus vitiis liberos nos esse vult Dominus. Sunt autem tria capitalia vitia radicesque et fontes omnium aliorum: concupiscentia carnis et oculorum ac superbia vitae. [36] Hae sunt tres lanceae quibus transfixum fuit cor Absalom, [37] tria idola quae coluit Salomon, [38] tria mundi mala: pestis, fames et bellum. [39] Christus autem, sicut sapiens agricola et hortulanus, ab agro et horto Ecclesiae omnes has spinas malasque herbas, quae suffocant sementem coelestis seminatoris, [40] evellere et eradicare cupit, omnem, inquam, luxuriam, superbiam et avaritiam.

Omnia vitia fugienda nobis sunt, praecipue vero triplex concupiscentia, quae radix est omnium vitiorum.

Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra. Non prohibet Dominus thesaurizare; Pater enim noster cum sit, divites esse nos cupit; sed vult ut thesaurizemus in coelo, quoniam, dum sumus in hoc saeculo, *peregrinamur a Domino.* [41] *Non . . . habemus hic civitatem permanentem, sed futuram inquirimus.* [42] Ideo, sicut peregrini, *habentes . . . victum et quibus tegamur, his contenti simus,* inquit A p o s t o l u s, [43] nam alioquin nudos nos exire de hoc mundo oportebit, sicut nudi ingressi sumus, sicut B e a t u s I o b ait [44] et post eum P a u l u s. [45] Sic: *Dormierunt somnum suum et nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis,* ait R e g i u s V a t e s; [46]

Non prohibet nobis Deus thesaurizare, sed vult ut coelestes thesauros quaeramus.

31) Cf. ibid. 14, 11-14. 32) Cf. ibid. 19, 15-25. 33) Cf. Nm 32, 1 sqq. 34) Cf. Gn 4, 10-15. 35) Cf. Mt 19, 23; Mc 10, 23; Lc 18, 24. 36) Cf. 1 Io 2, 16. 37) Cf. 2 Rg 18, 14. 38) Cf. 3 Rg 11, 4-7. 39) Cf. Rituale Rom. in Rogationibus, Lit. Sanctorum. 40) Cf. Mt 13, 7-22; Mc 4, 7-19; Lc 8, 7-14. 41) 2 Cor 5, 6. 42) Hebr 13, 14. Vulg.: *Manentem civitatem,* etc. 43) 1 Tim 6, 8. Vulg.: *Habentes . . ., alimenta . . . contenti sumus.* 44) Cf. 1, 21. 45) Cf. 1 Tim 6, 7. 46) Ps 75, 6.

et alibi : *Ne timueris cum dives factus fuerit homo ..., quoniam cum interierit, non sumet omnia, neque descendet cum eo gloria eius.* [47]

Ieiunium Deo gratissimum reddunt eleemosyna

V. *Thesaurizate ... vobis thesauros in coelo.* Diviti cuidam dixit Dominus : *Vade, vende* omnia *quae habes et da pauperibus et habebis thesaurum* magnum *in coelo.* [48] Eleemosynis ergo thesaurizamus in coelo, qui enim dat eleemosynam pauperi feneratur Deo, [49] qui maxima cum usura centuplum reddit. Sic enim Veritas ait: *Centuplum accipiet et vitam aeternam possidebit.* [50] Sicut autem sapiens mercator conquisitos thesauros securissimo loco recondit et secretissimo, sic Dominus vult ut in divino aerario thesauros nostros recondamus.

et oratio.

Thesaurizate ... vobis. Antequam Dominus de ieiunio sermonem institueret, locutus fuerat de oratione, [51] nunc autem de eleemosyna loquitur, ut his veluti duabus alis tanquam aquila ieiunium sursum ascendat ad Deum ; nam et ob id ieiunandum est, ut liberius possimus orationi vacare et ut habeamus unde tribuamus pauperi necessitatem patienti, saltem quod subtrahimus ventri, ut sit « refectio pauperis abstinentia ieiunantis ». [52] Propterea enim Dominus a ieiunio avaritiam arcet : *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra,* quod avaritiae opus est.

Ieiunium carnem mortificando concupiscentiam extinguit, peccatum aufert, caritatem accendit.

Thesaurizate ... vobis. Qui thesaurum invenit in agro, abiit et vendidit universa quae habuit, agrumque illum emit, ut thesauri dominus esset. [53] Non immerito Dominus inter orationem et eleemosynam ieiunium medium posuit, veluti inter dextrum sinistrumque corporis medium cor est, quo sublato, totius corporis vita deperditur avolatque anima. Spiritus autem nostri anima caritas est et gratia Spiritus Sancti. Caritas autem cum carnali concupiscentia consistere nullatenus potest. Ieiunium autem carnem edomat ignemque carnalis concupiscentiae extinguit et peccatum interimit. Sicut vermes intra puerorum viscera exorti pharmacis acribus et amaris interimuntur, ita, inquit B a s i l i u s *2 sermo De Laudibus Ieiunii,* ipsum ieiunium extinguit peccatum latens in animi nostri visceribus vermesque malarum cogitationum et carnalium cupiditatum interficit. [54] Carne autem

47) Ps 48, 17-18. 48) Mt 19, 21. *Omnia* lect. cod. 49) Cf. Prv 19, 17. 50) Mt 19, 29. 51) Cf. ibid. 6, 5-13. 52) S. Leo M. *Sermo 13,* (P. L. 54, 172). 53) Cf. Mt 13, 44. 54) Iuxta Migne *De Ieiunio,* hom. 1, (P. G. 31, 166).

mortificata et ablato peccato, spiritus coalescit, et caritas, qua Deum colimus proximumque opere et veritate diligimus, roboratur viresque sumit.

Sed multi christiani nonnisi terrenos thesauros quaerunt, coelestibus contemptis,

VI. *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra,* sed *thesaurizate ... vobis thesauros in coelo.* Nos totum oppositum facimus sumusque hebraeo populo quam similes, quibus cum id vel maxime praeciperet Deus ne idola, sed verum Deum in coelo colerent, ipsi nonnisi idola colebant in terra; avaritia autem *idolorum est servitus,* [55] vitulus aureus [56] statuaque aurea Nabuchodonosor. [57] Sumus similes Philisthaeis qui, cum cognovissent quod Deus Israel multo potentior erat Dagone deo ipsorum, quem arca Dei in terram prostraverat, videntes quod simul manere non poterant, abiecerunt Deum Israel arcamque ipsius et suum sibi retinuerunt Dagonem. [58] Sic multi christiani, homines cum sint animales et non coelestia, sed terrena sapientes, cum videant quod non possunt simul Deo servire et mammonae, [59] idest avaritiae terrenisque lucris, quamvis per fidem credant multo melius esse Deo servire multoque meliores esse coelestes terrenis thesauris, abiectis tamen contemptisque coelestibus, terrenos affectant et summo studio quaerunt, cadentes sicut Balaam apertis oculis. [60]

sed stulte, si enim divitiae terrenae multa bona afferre videntur,

multo maiora Deus dat, qui fons est omnium bonorum, ideo Christus haec primo quaerenda iubet.

Videtur nobis magnum quid terrenus thesaurus, quoniam habet quandam cum Deo similitudinem et a mundo colitur aurum ut deus. Hinc Christus ait: *Nemo potest duobus dominis servire ..., non potestis Deo servire et mammonae.* [61] Sicut enim Deus omnium est causa bonorum et omnia alia bona virtute in seipso continet, ita et aurum. Qui enim thesaurum possidet omnia quodammodo videtur possidere temporalia bona, quoniam aurum mirabili quadam metamorphosi in omnia commutatur bona mundi huius. Sed: *Quid... prodest homini si universum mundum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur? Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua?* [62] Et si terrenus thesaurus tantorum causa bonorum est, quid erit coelestis? Quid ipsemet Deus? Bona omnia terrena an non a coelo dependent? Non oriatur sol de coelo, non descendat pluvia, quidnam terra producet? Sunt

55) Eph 5, 5. Vulg.: *Est idolorum servitus.* 56) Cf. Ex 32, 4-8. 57) Cf. Dn 3, 1. 58) Cf. 1 Rg 5, 2-8. 59) Cf. Mt 6, 24; Lc 16, 13. 60) Cf. Nm 24, 16. 61) Mt 6, 24; Lc 16, 13. 62) Mt 16, 26-27. Vulg.: *Si mundum universum,* etc.

igitur terrena omnia ac temporalia bona veluti micae cadentes de mensa summi regis Dei. Hinc iubet Christus ut thesaurizemus nobis in coelo, ut ad acquirenda et cumulanda coelestia bona laboremus.

Christianus ieiunando omnes malas cupiditates caritate armatus a corde abigere debet.

Sint autem opera nostra bona a vitiis aliena, ab omni superbia et avaritia, ut ieiunium sit humile et ex caritate factum. Cum Abraham offerret sacrificium Deo, veniebant aves nocturnae, rapaces et carnivorae; sed abigebat eas Abraham. [63] Sic nos, dum ieiunii nostri sacrificium Deo offerimus, necesse est ut abigamus cacodaemones immittentes in corda nostra malorum vitiorum cogitationes et cupiditates, maxime superbiae et avaritiae, quae *est idolorum servitus*. Mirabile duellum incipit hodie. Pugnavit David, iuvenis, parvus et inermis, cum gigante Golia, viro magno et armato, vicitque eum. [64] Hodie incipit pugnare spiritus mentis cum sensu carnis, qui gigas est fortissimus, qui mundum universum captivavit. Sed parvus David vicit, quoniam minimus gradus caritatis vincit omne vitium omneque peccatum armis crucis et passionis Christi.

VI. ALIA HOMILIA

Cum ieiunatis, nolite fieri, sicut hypocritae, tristes. [1]

His verbis Christus non videtur ieiunium praecipere,

I. Quid, quaeso, est quod Dominus, ieiunandum cum hic minime praecipiat, normam tamen dat ieiunandi? Si ieiunandum non est, ad quid regula datur et forma ieiunii? Sed cupienti animam suam salvam facere praeceptum ieiunii minime necessarium est. Num mater languentis filii cupiens sanitatem expectat a medico praeceptum gubernandi infirmum? Nequaquam, sed regulam et modum gubernandi illum. Nec dux militibus praecipit ut arma contra inimicos sumant, nec pugnandum docet, sed quomodo pugnandum sit et dimicandum.

sed modum tantum ieiunandi praescribere,

Ieiunium autem medicina est contra peccatum et arma contra diabolum carnemque nostram. Et si civitas ab hostibus oppugnata tandem capta sit, liberata postmodum a rege et in pristinam libertatem redacta, non necesse est ut rex praecipiat reparari eam partem muro-

63) Cf. Gn 15, 10-11. 64) Cf. 1 Rg 17, 4-51.

1) Mt 6, 16.

rum civitatis, per quam machinis labefactatam inimicus intravit; sed modum reparandi et fortificandi praescribit. Civitas autem humani generis capta a diabolo fuit. Sed per quam partem inimicus intravit? Per gulam utique, Dominus enim praeceptum abstinentiae dederat ieiuniique primis parentibus[2] nostri generis in paradiso ne comederent de ligno scientiae boni et mali.[3] Diabolus autem suis tentationibus hanc partem labefactavit per eamque intravit.[4] Liberata autem per Christum civitate, nunquid praeceptum expectandum est ad reparandam fortificandamque hanc partem civitatis? Hinc Christus modum ieiunandi praescribit. Neque enim si quis videret ignem domui suae accensum et universa comburentem, nisi stultissimus esset, expectaret praeceptum recurrendi ad aquas ut ignis extingueretur accensus; et sciens se veneno infectum in cibo, ni mentis sit expers, quaerit antidotum ac theriacam. Sic iis qui salutis aeternae desiderio tenentur, minime opus est praecepto ieiunii; sciunt enim quod ad salutem necessarium est, ad mortificandam carnem et fovendum spiritum, nam: *Caro... concupiscit adversus spiritum;*[5] et: *Si... secundum carnem vixeritis, moriemini,* ut ait Paulus, *si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.*[6]

quia opus praecepto non est, cum ieiunium necessarium sit ad salutem et ad mortificandam carnem.

Et omnes quidem qui spiritum Christi habent, ipso ducuntur spiritu ad macerandam ieiuniis carnem. Sic enim Christus, postquam in Iordane baptizatus Spiritum Sanctum in columbae specie super se descendentem accepit, ipso Spiritu ductus in desertum fuit ieiuniumque quadraginta dierum complevit.[7] Et haec fuit perpetua vita Sanctorum: ieiunium et oratio. Sic enim tanquam spirituales sacerdotes omnes Sancti Dei obtulerunt Domino corpora sua *hostiam viventem, sanctam, Deo placentem.*[8] Quod quidem sacrificium Deo multo gratius est quam sacrificium Abraham;[9] homo enim multo magis seipsum et carnem suam quam filium, etsi dilectissimum, diligit. Nam propterea filium diligit, quia caro sua est.

Ideo Christus etiam post baptismum ieiunavit, sic et omnes Sancti, quorum vita ieiunium et oratio fuit.

II. Est etiam ieiunium sacrificium pro peccatis, hostia pacifica et holocaustum Domino, purgat enim mentem a peccatis et vitiis,

Ieiunium plurima beneficia confert;

2) Ms.: *Parentis.* 3) Cf. Gn 2, 16. 4) Cf. ibid. 3, 1-6. 5) Gal 5, 17. 6) Rom 8, 13. 7) Cf. Mt 3, 14-4, 1-11; Mc 1, 9-13. 8) Rom 12, 1. 9) Cf. Gn 22, 1-12.

sicut poenitentia, sicque nos Deo reconciliat illuminatos virtutibusque et nova infusione gratiae Spiritus Sancti perfectos. Nam, ut ait Divus Gregorius[10] canitque Ecclesia, « ieiunium vitia comprimit, mentem elevat, virtutem largitur et praemia ».[11] Hinc fere omnes Sanctae Ecclesiae Patres atque Doctores: Athanasius,[12] Basilius,[13] Gregorius Nyssenus,[14] Ioannes Chrysostomus,[15] Ambrosius,[16] Hieronymus[17] et Augustinus[18] ac ante omnes[19] Origenes[20] et antiquissimus Tertullianus[21] libris editis ieiunii laudes virtutesque aperuerunt, et quam necessarium et utile sit animabus corporibusque medendis demonstrarunt. Ieiunium enim ad consequendam animae salutem necessarium est, quo purgetur anima a peccatis praeteritis, a vitiis praesentibus et a periculis culpisque futuris. Sic Ninivitae per ieiunium ab ira coelesti salvati fuerunt,[22] ne sicut Sodoma et Gomorrha perirent.[23] Necessarium etiam saluti corporis ad curandos et praecavendos morbos; hinc medici inediam praecipiunt infirmis arctamque abstinentiam morbosis. Est etiam ieiunium utile, hinc Christus *thesaurum* appellat: *Thesaurizate... vobis thesauros in coelo;*[24] utile ad divinam sapientiam conquirendam divinamque legem servandam, hinc Moyses quadraginta dierum ieiunio cum Deo conversatus divinam legem accepit;[25] utile ad coelestem gloriam consequendam, hinc Elias quadraginta dierum ieiunio ad sanctum Dei montem Horeb pervenit, ubi Deum vidit.[26]

purgat enim peccata,

morbos etiam corporis praecavet,

suavem reddit custodiam divinae legis et facilem adeptionem aeternae gloriae.

Bonum est etiam delectabile, quoniam suavissimum ciborum condimentum ieiunium est suntque post ieiunium gratissimi ac suavissimi cibi. Bonum etiam honorabile; hinc hypocritae humani honoris et gloriae appetentissimi squalidis pallentibusque vultibus ieiunia

Insuper est bonum delectabile, quia post ieiunium cibi suaviores sunt;

10) *Liber Sacramentorum*, (P. L. 78, 55). 11) Missale Rom. Praefat. Quadr. 12) *De Virginitate sive De Ascesi*, (P. G. 28, 258-259). 13) *De Ieiunio*, hom. 1-2, ibid. 31, 164 sqq.; *De Ieiunio*, serm. 10, ibid. 32, 1246 sqq. 14) *De Pauperibus Amandis*, orat. 1, ibid. 46, 455-458. 15) *De Ieiunio et Eleemosyna*, ibid. 48, 1059-1060; *Hom. 2 in Genesim*, ibid. 53, 27; *Hom. 10 in Genesim*, ibid. col. 83; *Sermo 1 in Genesim*, ibid. 54, 581; *Sermo 6*, ibid. col. 604; *De Ieiunio et Temperantia*, hom. 4, ibid. 63, 595-597. 16) *De Elia et Ieiunio*, cp. 3-8, (P. L. 14, 699-706). 17) *Adversus Iovinianum*, lib. 2, ibid. 23, 306-312. 18) *De Vita Eremitica*, cp. 16-17, ibid. 32, 1456-1457; sermo 143-144, ibid. 39, 2025-2027. 19) Ms.: *Omnes* bis ponitur. 20) *In Leviticum*, hom. 10, (P. G. 12, 527-528). 21) *De Ieiuniis*, cp. 6 sqq., (P. L. 2, 960 sqq.). 22) Cf. Ion 3, 5-10. 23) Cf. Gn 18, 16-19, 1-25. 24) Mt 6, 20. 25) Cf. Ex 24, 17-18; 34, 27-28; Dt 9, 9-18. 26) Cf. 3 Rg 19, 3-8.

ostentabant : *Exterminant,* inquit, *facies suas, ut videantur hominibus ieiunantes ;* sed *receperunt mercedem suam.* [27] Honor est merces virtutis, a virtutis enim templo transeundum erat ad templum honoris ; [28] hypocritae autem, cupientes et accipientes ab hominibus honorem ob ieiunia, *receperunt mercedem suam. Tu autem,* inquit Christus, absconde potius sub hilari vultu ieiunium, *ne videaris hominibus ieiunans, sed Patri tuo, qui videt in abscondito; et Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi* [29] mercedem ieiunii, vitam et gloriam sempiternam in coelo. Apud Deum enim adeo honorabile ieiunium est, ut infinito aeternoque honore et gloria dignum ieiunium rite factum existimet : *Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi* in propatulo, coram omnibus Sanctis Dei et Angelis paradisi in coelesti curia. Iussit Deus Hebraeis ut animalia, quae Aegyptii tanquam divina numina colebant, in sacrificium offerrent. [30] Carnalium autem hominum *deus venter est ;* [31] hic autem Aegyptiorum deus per ieiunium Deo sacrificandus est : *Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis.* [32]

est etiam bonum honorabile apud homines et apud Deum.

III. *Cum ieiunatis, nolite fieri, sicut hypocritae, tristes,* etc. Misit Deus I e r e m i a m ad praedicandum populo poenitentiam, et dixit ei : *Sta in porta domus Domini et praedica ibi verbum istud et dic : Audite verbum Domini, omnis Iuda . . .* Sic *dicit Dominus exercituum, Deus Israel : Bonas facite vias vestras et studia vestra, et habitabo vobiscum in loco isto. Nolite confidere in verbis mendacii dicentes : Templum Domini, templum Domini, templum Domini est.* Quid sit autem bonas facere vias et studia declarat idem V a t e s : *Si bene direxeritis vias vestras et studia vestra, si feceritis iudicium inter virum et proximum eius, advenae et pupillo et viduae non feceritis calumniam, nec sanguinem innocentem effuderitis in loco hoc, et post deos alienos non ambulaveritis in malum vobismetipsis, habitabo vobiscum in loco isto.* [33] Hoc est, inquit, bonas facere vias et studia : declinare a malo et facere bonum. [34] Haec doctrina praedicanda est populis fidelibus, ut non confidant in sola fide, quae *sine operibus mortua est,* [35] dicentes :

Cum ieiunio coniungenda sunt bona opera.

27) Mt 6, 16. 28) Cf. supra, in die S. Mathiae, not. 4, pag. 15. 29) Mt 6, 17-18. Vulg.: *Patri tuo, qui est in abscondito,* etc. 30) Idest: Bos, capra, agnus, etc. Cf. Lv 1, 1 sqq., quae Aegyptii colebant. Cf. Ex 8, 26. 31) Phil 3, 19. 32) Gal 5, 24. 33) 7, 2-7. 34) Cf. Ps 36, 27. 35) Iac 2, 20. 26.

sine quibus fides mortua est;

Templum Domini, etc. Ait enim idem Vates: *Ecce vos confiditis ... in verbis mendacii, qui non proderunt vobis: furari, occidere, adulterari, iurare mendaciter, libare Baalim et ire post deos alienos, quos ignoratis; et venistis et stetistis coram me in domo hac, in qua invocatum est nomen meum, et dixistis: Liberati sumus, eo quod fecerimus omnes abominationes istas.* [36] Bona opera sunt necessaria ad salutem, hinc ait: *Bonas facite vias vestras et studia vestra.* Facere autem bonas vias docet hodie Ioel in Epistola: *Convertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio,* etc. [37]

nihil enim prodest externa sanctitas sine interna,

Docet Christus in Evangelio: *Cum ieiunatis, nolite fieri, sicut hypocritae, tristes.* Hypocrita est qui solum vacat externae bonitati, nihil curans de interna. Tales erant Iudaei, qui in carnalibus sacrificiis et externo cultu ac caeremoniis legis plurimum confidebant; sed proiecit Deus a facie sua hypocritas Iudaeos. Ita etiam proiciet hypocritas christianos. Hinc ait Ieremias: *Ite ad locum meum in Silo, ubi habitavit nomen meum a principio, et videte quae fecerim ei propter malitiam populi mei Israel. Et nunc, quia fecistis omnia opera haec, dicit Dominus ..., faciam domui huic, in qua invocatum est nomen meum et in qua vos habetis fiduciam, et loco, quem dedi vobis et patribus vestris, sicut feci Silo; et proiciam vos a facie mea, sicut proieci omnes fratres vestros, universum semen Ephraim.* [38] Deus igitur sicut proiecit hypocritas Iudaeos, sic proiciet hypocritas christianos, qui ad instar sunt vulpium, in quibus praeter pellem nil boni amplius est. Ieiunant hypocritae ab externis epulis, sed non ab internis vitiis; at tale ieiunium non placet Deo. Hinc cum hypocritae dicant Deo apud Isaiam: *Quare ieiunavimus et non aspexisti, humiliavimus animas nostras et nescisti?* respondet Deus: *Ecce in die ieiunii vestri invenitur voluntas vestra, et omnes debitores vestros repetitis. Ecce ad lites et contentiones ieiunatis et percutitis pugno impie. Nolite ieiunare sicut usque ad hanc diem, ut audiatur in excelso clamor vester. Nunquid tale est ieiunium quod elegi, per diem affligere hominem animam suam? Nunquid contorquere quasi circulum caput suum et saccum et cinerem sternere? Nunquid istud vocabis ieiunium et diem acceptabilem Domino? Nonne hoc est magis ieiunium quod elegi? Dissolve colli-*

et ieiunare ab escis, nisi ieiunetur etiam a vitiis,

36) 7, 8-10. Vulg.: *Confiditis ... in sermonibus mendacii,* etc. 37) 2, 12. 38) 7, 12-15.

gationes impietatis, solve fasciculos deprimentes, dimitte eos, qui confracti sunt, liberos, et omne onus disrumpe. Frange esurienti panem tuum, etc.[39] Tota autem hac oratione ostendit Isaias quod ieiunium sine caritate minime gratum est Deo, sed ut placeat Deo necesse est ut sit ab omni vitio et amore proprio alienum, ne dicat nobis: *Ecce in die ieiunii vestri invenitur voluntas vestra.* Nostra autem voluntas dicitur, cum aliena est et opposita voluntati Dei. Maxime vero avaritiam hac in oratione damnat Divinus Vates, quoniam haec Deo ingratum ieiunium nostrum facit. Sic et Christus in hodierno Evangelio: *Nolite thesaurizare vobis,* etc., nam: *Radix... omnium malorum est cupiditas.*[40]

quia ieiunium sine caritate Deo placere non potest.

IV. *Cum ieiunatis, nolite fieri,* etc. Iussit Dominus Abrahae ut non tantum ancillam, sed etiam filium eius eiceret, quoniam *non... erit,* inquit, *heres filius ancillae,*[41] sed liberae. Sic Christus vult hodie ut non tantum carnem ieiunio mortificemus, sed etiam sensum carnis et omnem amorem proprium, quoniam non amor proprius, qui filius ancillae est, sed amor divinus, qui a caritate procedit, vitam gloriamque meretur aeternam. Suaserat prius Sara ipsi Abrahae ut eiceret ancillam et filium eius, sed displicebat hoc Abrahae,[42] *nemo* enim est qui *carnem suam odio* habeat.[43] Accepto autem divino mandato, statim id executus fuit, quamvis secundum carnem hoc ei displiceret. Nam etiam viris sanctis non placet secundum sensum humanum carnis mortificatio, sed sicut vaccae, quae supra plaustrum novum portabant arcam Domini a terra Philisthaeorum in terram Israel, quamvis iuxta naturam suam aegre ferrent relinquere vitulos suos, unde magnos mugitus edebant, tamen divina ac supernaturali virtute actae ibant in directum versus terram Israel,[44] sic accidit viris iustis; quamvis enim secundum naturam displiceat eis carnem suam cum vitiis et concupiscentiis crucifigere, spiritu tamen Christi acti supra naturae vires id agunt tenduntque in coelum.

Caritas est quae tum carnis tum proprii amoris mortificationem discipulis Christi facilem reddit.

39) 58, 3-7. 40) 1 Tim 6, 10. 41) Gn 21, 10; Gal 4, 30. 42) Cf. Gn 21, 9-14. 43) Eph 5, 29. 44) Cf. 1 Rg 6, 7-12.

FERIA QUINTA CINERUM

Mirabilis fides centurionis hodie resplendet, quae fidem Magorum Christum adorantium aemulata est

I. Sicut stella illa mirabilis, quae magno miraculo nata in coelo fuit ad declarandam Christi nativitatem iuxta divinum oraculum : *Orietur stella ex Iacob et exurget virga ex Israel,* [1] Magos duxit ad Christum recens in mundo natum adorandum et offerendum ei munera : aurum, thus et myrrham tanquam regi, Deo, homini, [2] ita, cum hodie recens Christus venisset in Capharnaum sicut tunc recens venerat in mundum : *Cum ... introisset* Iesus *Capharnaum,* [3] nova quaedam et mirabilis stella, nova virtus tota coelestis et divina, mirabilis fides, quam admiratur Christus : *Audiens ... Iesus miratus est ... : Non inveni tantam fidem in Israel,* [4] duxit ad eundem Christum adorandum sanctum centurionem, vere magum, vere sapientem, vere coelestium rerum contemplatorem, qui Christum adorat : *Accessit ad eum centurio rogans eum ;* [5] cui etiam aurum tribuit regiae potestatis : *Tantum dic verbo et sanabitur puer meus, nam et ego homo sum,* etc. ; [6] incensum divinae maiestatis dicens : *Domine, puer meus iacet in domo paralyticus et male torquetur :* [7] solus Deus absolute est Dominus, qui omnia potest ; et myrrham mortalis humanitatis : *Nam et ego homo sum sub potestate constitutus,* quem Christus tanquam homo humilis et benignus benigne suscipit : *Ego veniam et curabo eum :* [8] tanquam rex ipsum honorat et tanquam Deus in gratiam ipsius miraculum operatur : *Vade, et sicut credidisti fiat tibi. Et sanatus est puer in illa hora.* [9] Quoniam vero Christus fidem huius miratur et laudat, nos quoque, etc.

et praemium magnum consequitur.

1) Nm 24, 17. Vulg.: *Consurget virga de Israel.* 2) Cf. Mt 2, 1-10. 3) Ibid. 8, 5. 4) Ibid. vr. 10. 5) Ibid. vr. 5. 6) Ibid. vrr. 8-9. 7) Ibid. vr. 6. 8) Ibid. vr. 7. 9) Ibid. vr. 13.

Cum introisset Iesus Capharnaum, accessit ad eum centurio rogans eum et dicens: Domine, puer, etc.[10]

II. Sicut[11] cum aegrotaret Ezechias rex Iudaeorum, ingressus fuit ad eum Isaias, propheta Domini, eumque animam agentem et iam iam moriturum : *Dispone domui tuae, quia morieris tu et non vives,*[12] divino miraculo a mortis faucibus liberavit, ita hodie, cum servus centurionis gravissima infirmitate torqueretur, ingressus fuit Christus Iesus civitatem Capharnaum ad eum mirabiliter curandum. Et illud quidem fuit magnum miraculum si consideretur quis curatur, a quo, a qua infirmitate, quomodo, qua virtute, quo fine. Curatur enim rex Iudaeorum, rex potentissimus et una, quod rarissimum, iustissimus et sanctissimus ;[13] curatur a propheta nobilissimo ac sanctissimo, qui merito princeps censendus est Prophetarum, cuius labia angelico mi-

Sanatio pueri centurionis magnum miraculum fuit a Christo operatum, sicut sanatio regis Ezechiae per prophetam Isaiam;

10) Pericope huius diei Mt 8, 5-13. Cf. Missale Rom. 11) In margine, haec adiecta fuerunt: « Dum hodie mentis oculo sancti huius centurionis fidem contemplor, videre mihi videor primam illam lucem, quae mundum illuminavit, nam : *Deus, qui dixit de tenebris lumen splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris per illuminationem scientiae claritatis Dei, in faciem Christi Iesu;* videre columnam illam nubis et ignis, quae populum Dei per desertum in terram promissionis ab Aegypto duxit. Fides enim *columna et firmamentum* est *veritatis,* nubes unde ros, pluvia et ventus devotionis, gratiae et coelestium inspirationum, et ignis mentem purificans, illuminans et calefaciens; videre, dum contemplor fidelem animam, coelestem illam mulierem in coelo supra lunam positam, sole amictam, stellis coronatam. Fides enim centurionem illuminavit ad cognoscendum Christum et etiam seipsum, et cum admirans Christus fidem eius commendasset, ait: *Amen dico vobis, quod multi ... venient et recumbent cum Abraham ... in regno coelorum*: ecce terra promissionis, quo fides ducit. Et quoniam admiratus Christus fuit centurionis fidem: *Audiens ... Iesus miratus est,* ecce *signum magnum,* magnum miraculum, *apparuit in coelo.* Magnum enim miraculum fides est, si et subiectum et obiectum fidei consideremus: subiectum homo, animal rationale; obiectum Deus, Christus Deus et homo. Designatur etiam fides in Novo Testamento per stellam ducentem Magos ad Christum, et per nubem illam lucidam unde vox facta fuit: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui : ipsum audite.* Sic enim fides Christum praedicat divina auctoritate. Est fides mirabilis philosophia certissimam cognitionem et scientiam tradens rerum omnium. Naturalis philosophia de decem tantummodo rebus tractat: de principiis et causis rerum naturalium; de communibus accidentibus naturalium rerum: loco, motu et tempore; de coelo et astris; de elementis et qualitatibus actionibusque elementorum; de mixtis imperfectis, qualia sunt meteora; de lapidibus, de mineralibus, de plantis, de animalibus, et tandem de homine. Circa cuius corpus tota occupatur medicina, circa animum vero moralis philosophia. Vel, ut brevius dicam, agit philosophia universa de triplici mundo: de Deo, qui mundus est ter maximus; de universo hoc, qui magnus est mundus, et de homine, qui parvus est mundus. Sed pauca admodum docet de his philosophia. Fides autem de his altissime philosophatur. De Deo multa docet, sed praecipue quattuor: quod sit unus et trinus, quod sit infinitae potentiae in mundi creatione, sapientiae in redemptione, bonitatis in glorificatione. De mundo etiam quattuor docet: quod habuit principium in tempore, quod regitur divina providentia, quod habiturus est finem, quod renovandus est in fine saeculorum. De homine similiter quattuor docet: statum innocentiae, statum culpae, statum gratiae et statum gloriae in paradiso; in mundo, in Ecclesia, in coelo. Sic fides altissima quaedam est et divinissima philosophia ». 12) Is 38, 1. 13) Cf. 3 Rg 18, 1-7.

nisterio, imo seraphico coelestique ac divino igne mundata fuerunt;[14] curatur ab infirmitate mortali: *Aegrotavit,* inquit, *Ezechias usque ad mortem...: Dispone domui tuae, quia morieris tu et non vives;*[15] curatur virtute supernaturali et divina; et tandem ad Dei gloriam et totius regni universale bonum. Hodiernum autem miraculum multo est illo illustrius, etsi quoad personam curatam minus videtur. Ille enim erat rex Iudaeorum, iste servus centurionis; ille sanctus, iste peccator; ille per seipsum oravit ad Dominum dicens: *Obsecro, Domine, memento... quomodo ambulaverim coram te in veritate et in corde perfecto et quod placitum est coram te fecerim,*[16] suoque merito obtinuit sibi a Domino sanitatem; iste vero sine ullis meritis propriis, sed ex Christi gratia et meritis centurionis salutem consecutus fuit. Verum, sicut curatus ille curato isto multo fuit maior natura, dignitate, fortuna et gratia; ita curator huius eo maior est curatore illius, quo Deus maior est homine. Ille enim purus homo, hic etiam verus Deus; ille nomine tantum s a l v a t o r d i v i n u s,[17] hic nomine et re salvator tum animarum tum corporum, tum in tempore tum in aeternitate, tum in terra tum in coelo; ille virtute non propria, sed aliena curavit, iste non aliena, sed propria; ille adhibito medicamine, facto emplastro ex massa ficuum et ulceri apposito,[18] hic absque ullo medicamine, sed solo verbo, imo solo voluntatis nutu; ille hominem curavit una tantum corporis parte laesum, in ulcere, hic curavit toto corpore laesum: *Iacet in domo paralyticus et male torquetur;* ille trium dierum spatio sanitatem contulit, hic statim: *Et sanatus est puer in illa hora;* ille curavit praesens, Christus vero absens, quod maius est: *Vade, et sicut credidisti fiat tibi.*

sed illud multis capitibus illustrius est: non quidem ex parte personae sanatae,

sed ex parte sanantis,

ex modo sanationis

et ex ipsa sanatione.

Quo autem curatus hic vilior et indignior fuit, eo magis resplenduit Christi tum humilitas tum misericordia. Mox enim ut audivit centurionem dicentem: *Domine, puer meus iacet in domo paralyticus et male torquetur,* statim misericordia motus dixit: *Ego veniam et curabo eum.* Ecce misericordia et humilitas simul: qui rogatus noluit descendere ad sanandum filium reguli,[19] nunc offert seipsum prom-

Ex hoc autem maxime resplendet benignitas et misericordia Christi.

14) Cf. Is 6, 6-7. 15) Ibid. 38, 1. 16) Ibid. vr. 3. Vulg.: *Et quod bonum est in oculis tuis fecerim.* 17) Ita interpretatur hebraice *Isaias.* 18) Cf. Is 38, 21. 19) Cf. Io 4, 46-49.

ptissimum ad veniendum sanandumque servum centurionis. Et quidem ipsemet Christus est qui prius sanavit Ezechiam regem, nunc vero sanat servum centurionis; illum sanavit per prophetam suum, hunc autem per seipsum. Hoc est enim quod ad sanandum Ezechiam sol per decem lineas retrocessit in regio horologio.[20] Christus est *sol iustitiae,*[21] qui in mundano hoc horologio pro salute hominis retrocessit per decem lineas, quoniam, cum esset Deus, factus homo descendit infra novem Angelorum choros, factus etiam hominibus subiectus formam enim servi accepit.[22]

III. Sed ad aedificationem nostram meditemur divinum hoc opus Christi, quod procul dubio ad salutem nostram scriptum est tanto cum apparatu. Prius enim ostenditur Christus tanquam peregrinus: *Cum introisset Iesus Capharnaum;* secundo tanquam medicus: *Ego veniam et curabo eum;* tertio tanquam orator laudans centurionis virtutem: *Non inveni tantam fidem in Israel;* quarto tanquam propheta: *Amen dico vobis, quod multi venient ab oriente et occidente et recumbent cum Abraham... Isaac et Iacob in regno coelorum,* etc.;[23] quinto tanquam princeps liberalissimus: *Vade, et sicut credidisti fiat tibi;* ac tandem miraculi operator: *Sanatus est puer in illa hora.* Ante miraculum ostenditur Christus dominus naturae: *Domine, puer meus,* etc., *tantum dic verbo et sanabitur puer meus;* ostenditur pater gratiae: *Ego veniam et curabo eum... Vade, et sicut credidisti fiat tibi;* ostenditur princeps et rex gloriae: *Multi venient,* etc., quoniam sanitas ista importat perfectionem tum naturae tum gratiae tum gloriae. *Sanatus est puer in illa hora,* restitutus est pristinae sanitati, sanatus est in corpore et anima, in carne et in spiritu: *Sanatus est puer;* totum hominem sanum fecit.[24]

Meditandum est hoc divinum opus, in quo Christus medicus humanissimus et Deus omnipotens ostenditur.

Sanitas haec triplicem perfectionem importat: naturae, quae sanitas est carnis et corporis, membrorum ac sensuum; gratiae, quae sanitas est animae, mentis ac spiritus; gloriae, quae utriusque est perpetua sanitas ac felicitas. Triplicem hanc sanitatem videmus in sacrosancto hodierno Evangelio: primam in puero virtute Christi sanato, secundam in centurione sancto: *Non inveni tantam fidem*

Sanitas, cui puer centurionis restitutus fuit, triplicem sanitatem importat: naturae, gratiae et gloriae,

20) Cf. Is 38, 8. 21) Mal 4, 2. 22) Cf. Lc 2, 51; Phil 2, 6-7. 23) Mt 8, 11. Vulg.: *Dico autem vobis, quod multi ab oriente et occidente venient,* etc. 24) Cf. Io 7, 23.

cui respondet triplex infirmitas orta ex peccato.

in Israel, tertiam in beatis Patriarchis in regno coelorum : *Recumbent cum Abraham... Isaac et Iacob in regno coelorum.* Huic autem triplici sanitatı triplex respondet infirmitas : prima quidem infirmitas corporis in puero : *Domine, puer meus iacet in domo paralyticus et male torquetur ;* secunda infirmitas animae in Israele incredulo : *Non inveni... fidem in Israel ;* tertia in filiis regni eiectis : *Filii autem regni eicientur in tenebras exteriores, ibi erit fletus et stridor dentium.* [25] Triplex ista infirmitas orta est ex peccato Adami, triplex autem sanitas ex gratia Christi Iesu.

Quattuor sunt status humanae naturae: innocentiae ante lapsum, miseriae post lapsum, gratiae per redemptionem et gloriae in coelo,

IV. Haec omnia nobis fides ostendit, quae etiam docet quattuor esse humane naturae status : primus innocentiae, cuius veluti specimen quoddam cernimus in centurione, quem Christus miratur ex virtutis magnitudine atque laudat ; secundus miseriae post lapsum, cuius specimen cernimus in servo centurionis : *Puer meus iacet in domo paralyticus et male torquetur;* tertius gratiae et reparatae virtutis per Christum : *Ego veniam et curabo eum... Sanatus est puer in illa hora ;* et quartus gloriae in coelesti paradiso : *Multi... venient et recumbent cum Abraham... Isaac et Iacob in regno coelorum.* Haec sunt quattuor capita animalis E z e c h i e l i s, quod speciem hominis praeferebat : facies hominis primus status, facies vituli, sive bovis, secundus status, facies leonis tertius et facies aquilae quartus. [26] Haec sunt quattuor hominis nomina in Divinis Litteris :

quae figurantur per quattuor nomina quibus homo hebraice vocatur.

נַעֲשֶׂה אָדָם בְּצַלְמֵנוּ : אָדָם ; [27]

מָה־אֱנוֹשׁ כִּי־תִזְכְּרֶנּוּ : אֱנוֹשׁ ; [28]

בָּרָא יְהוָה חֲדָשָׁה בָּאָרֶץ נְקֵבָה תְּסוֹבֵב גָּבֶר : גֶּבֶר ; [29]

et אִישׁ, quasi אֵשׁ, [30] i g n i s, quod sursum ascendens est elementum substantia impassibile, corpore spirituale, natura lucidum et motu agilissimum :

עַל־כֵּן יַעֲזָב־אִישׁ אֶת־אָבִיו וְאֶת־אִמּוֹ . [31]

25) Mt 8, 12. 26) Cf. 1, 5-12. 27) Ms.: *Adam : Nahasce adam bezalmenu.* Gn 1, 26: *Faciamus hominem ad imaginem nostram.* 28) Ms.: *Enosc : Mah enosc chi tizcherenu.* Ps 8, 5 : *Quid est homo quod memor es eius?* 29) Ms.: *Geveb* (loco: *Geber*): *Hadasha bara iehovah baaretz nekebah tesobeb gaber.* Ier 31, 22 : *Creavit Dominus novum super terram : Femina circumdabit virum.* 30) Ms.: *Isc* et : *Esc.* 31) Ms.: *Hal chen iahazob isc eth abib veeth imo.* Gn 2, 24 : *Quamobrem relinquet homo patrem suum et matrem suam.*

אֱנוֹשׁ[32] autem m i s e r u m designat, et גֶּבֶר f o r t e m ; gratia autem Spiritus Sancti virtus et fortitudo est.

Homo in primo statu erat princeps mundi, Deo tamen subiectus, sicut ait centurio : *Homo... sub potestate* imperatoris *constitutus, habens sub mė milites ;*[33] erat princeps in Capharnaum, in v i l l a c o n s o l a t i o n i s, in paradiso terrestri. Erat autem tunc fide et humilitate plenus : *Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo... Non inveni tantam fidem in Israel.* Erat tunc maior hominis quam Angelorum fides, quia hic positus erat in terra, ille in coelo, et huic multo occultiora erant divinitatis mysteria. Diaboli autem arte et fidem et humilitatem amisit ; fidem quidem, quoniam satanae magis quam Deo credidit, hinc nos omnes nascimur sine fide ; et humilitatem : *Eritis sicut dii scientes bonum et malum,*[34] hinc nos natura tam propensi sumus ad ambitionem honoris. Hinc ob peccatum eclipsata luna conversa fuit lux in tenebras, dies in noctem, coelum in terram, primus in secundum statum : *Puer meus,* servus meus, *iacet in domo paralyticus et male torquetur ;* ex domino factus est servus, ex libero mancipium peccati, diaboli et mortis ; ex sano infirmus in spiritu et carne : *Et male torquetur* ab utrisque infirmitatibus suapte natura incurabilibus, ut est paralysis.

In primo statu homo princeps mundi erat, fide ipsis Angelis superior, et uni Deo subiectus;

diaboli autem arte infidelitate et superbia peccavit et ex domino factus est servus peccati, diaboli et mortis.

V. Et quidem si non peccasset Adam, peccasset autem aliquis filiorum eius, potuissent peccare, viatores cum essent et liberi, a diabolo tentati atque decepti, peccare sicut et Adam. At vero, si hic non peccasset, peccantibus filiis, potuisset merito suae fidei et humilitatis mereri filiis salutem, si non de condigno, saltem de congruo, sicut centurio meruit puero suo salutem, quamvis indignum se tali tantaque gratia fateretur.

Si Adam non peccasset, peccare potuissent eius filii,

Fuissent autem tunc simul duo status : innocentiae et miseriae, sicut nunc duo sunt status : fidei et infidelitatis, gratiae et peccati. Sic tunc fuissent Abel et Cain, Isaac et Ismael, Iacob et Esau ; et forte ad curandos eos qui peccaverant venisset Christus, sicut ait hodie centurioni : *Ego veniam et curabo eum,* et alibi : *Non... veni vocare iustos, sed peccatores* ad poenitentiam ; *non est opus valentibus*

et sic simul fuissent status innocentiae et status miseriae, ad quam reparandam Christi gratia et fides necessaria fuisset.

32) Ms.: *Enosc* et infra: *Geveb* (loco: *Geber*). 33) Mt 8, 9. 34) Gn 3, 5.

medicus, sed male habentibus. [35] Sic venit Christus et sanavit infirmum hominem : *Sanatus est puer in illa hora ;* restitutus est homo pristinae sanitati per gratiam, quae aequivalet iustitiae originali quoad meritum vitae aeternae.

Ideo fides viva iustitiae originali aequivalet, quia est causa salutis et vitae aeternae,

Unde mox quartus sequitur status : *Multi . . . venient et recumbent cum Abraham . . . Isaac et Iacob in regno coelorum.* Sic fides viva iustitiae originali aequivalet. Hinc saepe Christus ait fidem esse causam salutis ; sic dixit mulieri, quae sanguinis fluxum patiebatur : *Fides tua te salvam fecit ;* [36] sic caeco illuminato Bartimaeo filio Timaei : *Fides tua te salvum fecit ;* [37] sic samaritano mundato a lepra; [38] sic peccatrici sanctificatae ; [39] sic fidem laudavit chananaeae [40] et hodie fidem laudat centurionis, quoniam, ut ait Apostolus : *Fides . . . est sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium,* [41] est fundamentum salutis. Hinc superna civitas Ierusalem dicitur habere duodecim fundamenta ex duodecim lapidibus pretiosis portasque duodecim ex duodecim margaritis, [42] quoniam duodecim sunt articuli fidei, qui sunt duodecim lapides pretiosi in *Rationali* summi sacerdotis [43] ac duodecim stellae in capite coelestis mulieris. [44] Fides enim coelestis est mulier virgoque purissima, filia summi Dei. Tres enim theologicae virtutes sunt tres illae pulcherrimae filiae Iob, [45] ut ait Divus Gregorius *Liber Moralium 35,* cp. 20 ; [46] fides autem primogenita est harum filiarum, quam Iob appellavit *diem,* [47] fides enim est prima illa lux quae mundum illuminavit : *Dixit . . . Deus: Fiat lux. Et facta est lux. Et vidit Deus lucem quod esset bona.* [48] Sic qui ex fide sunt benedicentur cum fideli Abraham, qui *credidit Deo et reputatum est illi ad iustitiam.* [49]

et est prima theologicarum virtutum.

Fides donum divinum est origine, obiecto,

VI. Origo igitur fidei altissima est, coelestis est, divina est, quoniam fides est donum Dei; obiectum autem Christus, Deus et homo, quem ostendit esse auctorem naturae, fontem gratiae et Patrem Deumque gloriae ; quem ostendit nunc peregrinum, nunc medicum, nunc oratorem, nunc prophetam, nunc principem, nunc Deum mira-

35) Mt 9, 12-13. *Ad poenitentiam* lect. cod. Ordine inverso affert hos vrr. 36) Ibid. vr. 22. 37) Mc 10, 52. 38) Cf. Lc 17, 19. 39) Cf. ibid. 7, 50. 40) Cf. Mt 15, 28. 41) Hebr 11, 1. Vulg.: *Est . . . fides*, etc. 42) Cf. Apc 21, 12-14. 43) Cf. Ex 39, 14. 44) Cf. Apc 12, 1. 45) Cf. Iob 42, 13-15. 46) Iuxta Migne cp. 16, (P. L. 76, 774). 47) Cf. Iob 42, 14. 48) Gn 1, 3-4. 49) Ibid. 15, 6.

culorum operatorem; Dei autem ostendit infinitam potentiam, sapientiam, bonitatem, misericordiam, iustitiam, caritatem et maiestatem gloriae infinitae. Finis autem fidei est coeleste regnum: *Recumbent cum Abraham... Isaac et Iacob in regno coelorum.* Forma est caritas et gratia Spiritus Sancti, sine qua mortua est, sicut corpus sine spiritu. [50] Subiectum homo et nobilior pars ipsius hominis, anima, et suprema pars ipsius animae, mens, in qua imago et similitudo Dei consistit. [51] Effectus autem fidei est hominis iustificatio et sanctificatio: *Fides tua te salvam fecit; Sanatus est puer in illa hora.* **fine, forma, subiecto, effectu.**

Fides facit ut homo seipsum vere cognoscat et ad Deum accedat. Facit etiam ut homo Deum cognoscat atque seipsum; fides enim manifestavit centurioni omnipotentem Christi virtutem; fides illi indignitatem suam ostendit: *Domine, non sum dignus;* fides impulit illum ad Christum accedere in necessitate: *Accessit ad eum centurio rogans eum,* accessit ducente fide. Haec enim columna est ignis et nubis, quae Hebraeos per desertum duxit in terram promissionis, ac tunc desiit; [52] ideo Paulus Ecclesiam vocat *firmamentum et columnam veritatis.* [53]

Merito ergo Christus fidem centurionis miratur. VII. Mirabilis erat columna illa. Miratur hodie Christus fidem, et Petrus fidem vocat *admirabile lumen: Qui nos de tenebris vocavit in admirabile lumen suum.* [54] Lux enim fides est et lux mirabilis, lux sine qua mundus iste frustra fuisset creatus. Hinc: *Vidit Deus lucem quod esset bona,* quoniam quicquid bonitatis in mundo est, a coelestium astrorum luce emanat. Hinc ante lucis creationem, cum *tenebrae* essent *super faciem abyssi, terra... erat inanis et vacua.* [55] Omnis igitur bonitas et pulcritudo mundi fructus est lucis. Sic absque fide frustra creatus fuisset homo; absque fide nihil prosunt Divinae Scripturae, nihil Sacramenta, nihil ipsemet Christus. Omnis autem bonitas omnisque sanctitas Ecclesiae fructus est huius lucis: *Eratis... aliquando tenebrae, nunc autem lux in Domino; ut filii lucis ambulate; fructus enim lucis est in omni... iustitia et sanctitate veritatis.* [56] Haec fecit Patriarchas, haec Prophetas, haec Apostolos, haec

50) Cf. Iac 2, 26. 51) Cf. Gn 1, 26-27; 5, 1; 9, 6. 52) Cf. Ex 13, 22. Ducatus columnae desiit in transitu Iordanis, quia tunc Scriptura dicit populum secutum fuisse arcam foederis. Cf. Ios 3, 1 sqq. 53) Cf. 1 Tim 3, 15. 54) 1 Petr 2, 9. Vulg.: *Qui de tenebris vos vocavit*, etc. 55) Gn 1, 2. Ordine inverso affert hunc vr. 56) Eph 5, 8. Vulg.: *In omni... iustitia et veritate.*

quia fides auctrix et operatrix est omnium bonorum,

Martyres, haec Pontifices, haec Confessores, haec Doctores, haec Virgines, haec Sanctos omnes. Hinc Paulus fidei tribuit omnia illustria facta Patriarcharum et Prophetarum Veteris Testamenti : haec Abel iustum et innocentem fecit, haec Enoch Deo placentem, haec Noe iustum atque perfectum, [57] haec Christo omnes Sanctos peperit, omniaque miracula, quae Sancti Dei unquam operati sunt, virtute fidei utique patrata sunt ; fides ea operata est omnia tanquam omnipotenti virtute praedita : *Omnia possum in eo qui me confortat ;* [58] *Si habueritis fidem quantum granum* est *sinapis, dicetis monti huic :* [59] vade, et ibit ; *Omnia possibilia sunt credenti.* [60]

et insuper revelatrix omnis veritatis.

Sic divina ista lux auctrix et operatrix est omnium bonorum et adhuc manifestatrix omnis veritatis. Omne enim, quod manifestatur, a lumine manifestatur, lucis enim gratia videmus tum coelestia tum terrestria ; et fidei beneficio cognoscimus tum divina tum humana : divina quidem, nam fidei lumine cognoscimus Dei tum naturam tum virtutem tum operationem in mundo, in Ecclesia, in paradiso ; in mundo ipsum esse auctorem naturae, in Ecclesia esse fontem gratiae et in paradiso solem esse gloriae.

Per fidem enim divina cognoscimus;

Fidei lumine cognoscimus omnem sacrae theologiae tum mysticae tum symbolicae in Divinis Scripturis veritatem. Centurio hodie symbolica theologia instructus a fide cognoscit in Christo omnem esse potestatem : *Tantum dic verbo et sanabitur puer meus; nam et ego homo sum sub potestate constitutus ;* sed instructus fide eadem mystica theologia, quae a Deo omnem imperfectionem aufert – est enim sicut pictura symbolica [theologia], mystica autem sicut sculptura, – cognovit Christum eo magis verbo omnia posse, quo nulli tanquam Deus subiectus potestati erat. Si ego, inquit, homo sub potestate positus possum verbo multa facere, quanto magis tu, qui Deus es sub nullius positus potestate ? Cognovit divinum verbum non solum expressivum ac significativum esse divini conceptus, uti nostrum est, sed etiam effectivum ac operativum esse. Hinc solo Dei verbo, absque ullo penitus instrumento, facta sunt omnia, coelum et terra ac omnia quae coeli ambitu continentur. [61] Cognovit verbum Christi superius esse humano verbo, quoniam verbum quidem humanum ad homines

sic centurio hac fide instructus mysteria divinitatis in Christo agnovit

57) Cf. Hebr 11, 4-40. 58) Phil 4, 13. 59) Mt 17, 19. Vulg.: *Sicut granum*, etc.
60) Mc 9, 22. 61) Cf. Est 13, 10.

dirigitur, non ad insensata et inanima: *Dico huic: vade, et vadit; alii: veni, et venit; et servo meo: fac hoc, et facit.* [62] Sed centurio quaesivit ut verbum Christi dirigeretur ad insensatam etiam paralysim et ad sanitatem, quae non erat. Sic, inquit, et multo magis tu poteris dicere infirmitati: vade, et ibit; sanitati: veni, et veniet; puero meo: surge, et surget. Sic enim Christus insensatis etiam ventis et mari imperavit et obediverunt ei, [63] et mortuos etiam revocavit ad vitam: [64] *Vocat* enim *ea quae non sunt tanquam ea quae sunt.* [65] Imo ostendit hodiernum Evangelium quod Christus absque etiam verbo externo, solo voluntatis nutu potest quaecunque vult operari; solo enim nutu voluntatis Christus puerum hunc centurionis curavit ab incurabili et mortifera infirmitate.

et tanquam verum Deum omnipotentem confessus est;

Ostendit etiam fides quantopere placeat Deo virtus, dum Christus laudat centurionem virtute praeditum; quantopere ei displiceat vitium: *Filii... regni eicientur in tenebras exteriores;* ostendit gloriam paradisi, quam statuit Deus [66] in praemium virtutis: *Multi... venient et recumbent cum Abraham... Isaac et Iacob in regno coelorum;* ostendit et poenam inferni, quam Deus statuit in punitionem vitiorum: *Filii... regni eicientur in tenebras exteriores, ibi erit fletus et stridor dentium.* His verbis Christus describit nobis inferni poenas tum damni tum sensus: damni quidem, dum ait: *Tenebras exteriores,* idest extimas, extremas, profundissimas, a luce longissime dissitas, tenebrae autem lucis privatio sunt; poenas vero sensus, dum ait: *Ibi erit fletus et stridor dentium.*

cognoscimus etiam pulcritudinem virtutis, deformitatem peccati, gloriam paradisi et supplicium inferni.

VIII. Facit autem nos fides cognoscere non tantum divina, sed etiam humana. Ostenduntur nobis hodie tres humanae naturae status: lapsae: *Puer meus iacet,* etc.; reparatae: *Ego veniam et curabo eum... Et sanatus est puer in illa hora;* glorificatae: *Recumbent cum Abraham... Isaac et Iacob in regno coelorum;* institutae autem naturae veluti specimen, ut diximus, in centurione ostenditur. Ostendit humanam indignitatem: *Domine, non sum dignus;* ostendit humanas miserias ob peccatum: *Puer meus iacet in domo paralyticus et male torquetur;* ostendit ad quem confugere in necessitatibus nostris de-

Per fidem cognoscimus humana; fides enim ostendit triplicem statum naturae humanae: lapsae, reparatae et glorificatae;

62) Mt 8, 9. 63) Cf. ibid. 8, 26-27; Mc 4, 39-40; Lc 8, 25. 64) Cf. Mt 9, 24; Mc 5, 35-39; Lc 7, 11-15; 8, 42; Io 11, 14-44. 65) Rom 4, 17. 66) Ms.: *Deum.*

ostendit etiam quanam fide ad Deum recurrendum sit in necessitatibus,

beamus, docens quod Christus tanquam clementissimus Deus Optimus Maximus potest, scit et vult nobis in quavis nostra necessitate succurrere, et quod recurrendo ad eum in necessitatibus nostris, non taedio eum afficimus, ut apud homines accidit. Multis enim supplicationibus ac petitionibus homines et maxime principes, qui multa praestare possunt, taedio afficiuntur ; non sic Deus, sed laudavit Christus accedentem supplicantemque centurionem. Delectatur enim Deus orationibus et petitionibus nostris, modo cum fide accedamus : *Si quis . . . indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter et non improperat . . ., postulet autem in fide nihil haesitans ; qui enim haesitat similis est fluctui maris, qui a vento movetur et circumfertur ;* [67] *Quicquid orantes petitis, credite quia accipietis, et fiet vobis.* [68] Hinc Christus arguit regulum accedentem, quia parva cum fide accessit : *Nisi signa et prodigia videritis, non creditis.* [69] Arguitur ille, quoniam non credidit Christum sanare posse nisi praesentem, et praesentem quidem sanare posse infirmum, non autem suscitare mortuum, et non credidit, nisi viso miraculo. [70] At non sic centurio ; credidit Christum etiam absentem omnia posse, et infirmum curare et mortuum suscitare, et ante miraculum credidit.

ut supplicationes exaudiri mereantur.

O utinam centurionis huius fides non damnatura sit nostram in die iudicii ! Sicut enim viri Ninivitae et regina Austri surgent in iudicio ad condemnandum Iudaeos incredulos, [71] ita centurio iste surget ad condemnandum multos christianos parum vel nihil credentes.

Fides, quae omnia obtinet, ea est quae nec de Dei potentia nec de eius bonitate dubitat.

IX. Dicite mihi, fratres, quid est, si credimus, quod cum centurione in necessitatibus nostris minime ad Christum accedimus ? Si credimus quod potest et vult Deus omnibus nobis in quavis nostra necessitate succurrere, quid est quod ad illum minime recurrimus humiliter cum centurione supplicantes et exponentes ei necessitates nostras ? Profecto cum leproso illo de bona erga nos Dei voluntate dubitare videmur, qui accessit ad Christum dicens : *Domine, si vis, potes me mundare.* Cui Christus : *Volo,* inquit, absolute *volo,* promptissime *volo* beneficium salutis conferre ; statimque contulit dicens :

67) Iac 1, 5-6. 68) Mc 11, 24. Vulg. : *Quaecunque orantes . . . et evenient vobis.*
69) Io 4, 48. 70) Cf. ibid. vrr. 46-53. 71) Cf. Mt 12, 41-42; Lc 11, 31-32.

Mundare, statimque mundatus fuit.[72] Non sic dubitavit centurio, sed nihil aut de potestate aut de voluntate dubitans necessitatem exposuit magna cum fide et humilitate.

Quod si nos neque de potestate neque de voluntate dubitamus, quid, quaeso, est impedimento quin cum centurione ad Christum accedamus? Sitiens currit ad fontem, esuriens ad panem, frigens ad ignem. Christus autem et fons et panis et ignis divinus est: fons omnium bonorum, panis vitae aeternae, ignis seraphicus illustrans paradisum. Sed fidei defectus in causa est omnis mali. Ille enim vere credit, qui quod credit certius firmiusque tenet quam si oculis cerneret aut manu tangeret. Haec vera est fides. Sed si sic est, uti vere est, ubi est fides nostra? Credit credendumque firmissime docet fides nostra Deum ubique esse praesentem. Sed quis unquam peccare auderet, si praesentem Deum Christumque cum Angelis eius cerneret? Quis servus contra dominum coram eo peccat? Quae uxor coram viro suo adulterium admittit? Quod si peccamus quia praesentem Deum oculis minime cernimus, ubi est fides nostra? Credit docetque firmissime credendum fides esse in coelo paradisum in praemium virtutis bonorumque operum et sub terra infernum in punitionem vitiorum malorumque operum. Quis peccaret unquam si apertum paradisum apertumque infernum oculis videret, sicut in die iudicii videbimus omnes? Quis unquam sanae mentis, quamvis esuriens, venenatum cibum sciens comedit? Quis unquam paucissimis denariis vendidit paternam hereditatem, quae magnarum est facultatum? Insipiens Esau propter unum edulium vendidit ius primogeniturae,[73] quo nunc primogeniti principum filii gaudent. Sed, heu! heu! quot Esau hodie in mundo, quot sunt sub christiano nomine qui sic vivunt ac si non esset Deus, non paradisus, non infernus, nihil eorum quae fides vera docet et praedicat! Bone Deus, quaenam haec fides est nostra, si sic vivimus quasi nihil crederemus?

Talis fidei defectus in causa est quod ad Deum non accedamus,

Imo in Deum peccare audeamus, quamvis sciamus ipsum ubique esse praesentem,

omnesque iudicaturum et pro meritis vel praemium vel poenam redditurum.

X. Praedicit hodie Christus ac praedicat gloriam paradisi, quam consequuntur homines virtute praediti: *Recumbent cum Abraham... Isaac et Iacob in regno coelorum; Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi.*[74] Praedicit praedi-

Ad gloriam paradisi consequendam sola fides non sufficit,

72) Mt 8, 2-3. 73) Cf. Gn 25, 29-34. 74) Mt 25, 34.

sed coniuncta esse debet cum bonis operibus,

catque poenas inferni: *Filii autem regni eicientur in tenebras exteriores, ibi erit fletus et stridor dentium; Ubi vermis eorum non moritur et ignis non extinguitur;* [75] *Ite, maledicti, in ignem aeternum.* [76] Dicas nunc mihi, frater: Credis tu quae Christus tibi hodie dicit? credis gloriam paradisi? credis poenam inferni? Credendum etiam est quod necessaria sunt bona opera ad consequendam gloriam paradisi; quod propter unum letale peccatum homo a divina iustitia damnatur ad aeternas poenas inferni. Cur ergo peccata sequeris et vitia, non virtutes et bona opera, si salvari vis et consequi non poenas inferni, sed gloriam paradisi? Putas ne te sola fide salvandum?

sicut fides centurionis, quam Christus laudat, quia magna caritate ornata,

Laudat Christus fidem, sed vivam, non mortuam, *fides* enim *sine operibus* caritatis *mortua est*, sicut corpus sine anima; [77] laudat fidem, sed fidem centurionis multis virtutibus ornatam. Primo quidem caritate in servum infirmum, *qui erat illi pretiosus: Domine, puer meus iacet in domo paralyticus et male torquetur.* Magna profecto caritas; quid nanque amplius egisset si pater illi, non dominus fuisset? Diligebat illum tanquam filium, hinc puerum appellat et *puerum suum.* Haec autem caritas rara admodum est erga servos, quos peius tractant, ut plurimum, domini quam equos canesque suos, pretiosioraque sunt eis animalia hominibus, qui illis natura sunt fratres,

magna humilitate, magna spe et fiducia,

creaturae et filii Dei. Secundo magna humilitate ex vera cognitione suiipsius: *Domine, non sum dignus ut intres sub tectum meum.* Tertio magna spe et fiducia ex cognitione Christi: *Tantum dic verbo et sanabitur puer meus.* De hoc etiam seniores Iudaeorum referunt Christo, dum pro eo intercedunt: *Dignus est ut hoc illi praestes, diligit enim gentem nostram et synagogam ipse aedificavit nobis.* [78] Merito igitur Christus fidem hanc commendavit tot tantisque virtutibus ornatam atque fulcitam: pietate, humilitate, spe et gemina caritate.

quia ea sola fides hominem salvat quae cum caritate et pietatis operibus coniungitur.

Laudat Christus fidem centurionis, sicut laudavit fidem sanctae peccatricis: *Fides tua te salvam fecit, vade in pace.* [79] Sed non fuit fides illa nuda, nam: *Stans retro secus pedes* Domini *lacrimis coepit rigare pedes eius et capillis capitis sui tergebat et osculabatur pedes eius et unguento ungebat;* unde haec referens Christus Simoni dixit quod *dilexit multum.* [80] Haec est fides quae hominem salvat, quae

75) Mc 9, 43. 47. 76) Mt 25, 41. Vulg.: *Discedite a me, maledicti,* etc. 77) Iac 2, 26.
78) Lc 7, 4-5. 79) Ibid. vr. 50. 80) Ibid. vrr. 38. 47.

cum caritate et pietatis operibus coniuncta est; *quae vincit mundum: Haec est* enim *victoria quae vincit mundum, fides nostra;* [81] quae vincit diabolum: *Adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit quaerens quem devoret, cui resistite fortes in fide;* [82] *Sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere.* [83]

XI. Hinc diabolus fidem odio habet atque persequitur, sicut in *Apocalypsi* legimus quod persecutus est draco rufus, *habens capita septem et cornua decem,* mulierem quae peperit filium masculum. Ait enim quod mulier clamabat parturiens et cruciabatur ut pareret, quoniam draco stabat expectans ut, cum peperisset, devoraret filium eius. Sed peperit mulier filium masculum, qui *raptus est... ad Deum et ad thronum eius.* Propterea draco persequi coepit mulierem; sed datae sunt ei a Deo alae aquilae, ut fugeret in desertum. [84] Persequitur diabolus fidem vivam, *quae per dilectionem operatur.*[85] Hoc est quod mulier coelestis parere nititur filium et filium masculum, perfectae virtutis opus. Haec fides est a Christo laudata, quae *mulier* est, sed virgo incorrupta, sponsa Dei per gratiam et caritatem; visa in coelo per coelestem conversationem; habens sub pedibus lunam, spernens universa quae in mundo sunt propter Christum; *amicta sole,* Christi virtute induta: *Quicunque... in Christo baptizati estis, Christum induistis;* [86] *et in capite eius corona stellarum duodecim,*[87] perpetua contemplatio duodecim articulorum fidei; clamat parturiens ad Deum per sanctam ferventemque orationem; cruciatur ut pariat, quoniam draco expectat ut partum devoret: timendae sunt diabolicae tentationes ac fugiendae in desertum poenitentiae.

Hanc fidem diabolus maxime persequitur.

XII. Si talis est fides tua, frater, laudat Christus fidem tuam eique gloriam regni coelestis hodie promittit; sin autem: *Filii... regni eicientur in tenebras exteriores. Filii regni* sunt omnes habentes fidem; at qui fidem non habent vivam, qualis fuit centurionis, sed mortuam, qualis fuit hodie seniorum pro centurione intercedentium, *eicientur in tenebras exteriores. Non* enim *omnis qui dicit mihi: Domine, Domine, intrabit in regnum coelorum, sed qui fecerit voluntatem Patris*

sed hanc a nobis Christus exigit ut salvari possimus.

81) 1 Io 5, 4. 82) 1 Petr 5, 8-9. 83) Eph 6, 16. 84) Cf. 12, 3-14.
85) Gal 5, 6. Vulg.: *Per caritatem operatur.* 86) Ibid. 3, 27. 87) Apc 12, 1.

mei, qui in coelis est, ipse intrabit in regnum coelorum. [88] Sic ait Christus quod in die iudicii multi dicent ei : *Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus et in nomine tuo daemonia eiecimus et in nomine tuo virtutes multas fecimus?* [89] Sed: *Amen dico vobis, nescio vos;* [90] *Discedite a me, omnes operarii iniquitatis;* [91] *Si habuero omnem fidem... caritatem autem non habeam, nihil sum.* [92]

Vacandum ergo est bonis operibus propter Deum et ad consequendam aeternam gloriam,

Si fidem habes, o homo, conare, stude, satage ut etiam bona opera habeas, ut sicut bene credis, ita etiam bene vivas. Nam sicut legimus: *Sponsabo te mihi in fide et scies quia ego Dominus,* [93] ita etiam legimus : *Sponsabo te mihi in sempiternum, et sponsabo te mihi in iustitia et iudicio et in misericordia et... miserationibus.* [94] Operari, operari bona oportet, fratres mei, si salvari volumus ; nec tantum operari bona, sed etiam bene, ex caritate propter Deum. Hoc est enim rapi filium coelestis huius mulieris *ad Deum et ad thronum eius.* Propter Deum et propter consequendam gloriam coelestis paradisi vacandum est bonis operibus. Sic fides columna erit ducens nos ad terram promissionis ; columna non tantum lucidae nubis, sed etiam ignis ardentis ; [95] clarae nubis per cherubicam cognitionem Dei, ignis ardentis per seraphicum amorem ; columna in cuius medio erat Angelus Domini, princeps et ductor populi. [96] Sit semper cum fide in medio cordis nostri Spiritus Sanctus.

haec est enim vera sapientia, iuxta huius fidei documenta vitam instituere.

Nubes illa Aegyptiis tenebrosa erat, Hebraeis autem lucida ; sed his fuit causa salutis, illis autem causa perditionis. [97] Sic fides nostra infidelibus quidem stultitia videtur, nobis autem summa sapientia, quod Deus sit unus et trinus, Christus Deus et homo ; sed illis causa perditionis est, nobis autem causa salutis, si tamen semper columnae huius ductum sequamur nec, sicut Hebraei in deserto, Deum tentemus vel adorantes vitulum aureum, [98] vel aegyptias carnes concupiscentes, [99] vel terram promissionis renuentes adhibendo aures impiis detractoribus. [100] Sed viventes iuxta fidei sanctae institutum, servantes legem Dei ex caritate, *de corde puro... conscientia bona et fide non ficta,* [101] profecto coeleste regnum consequemur : *Recumbent*

88) Mt 7, 21. 89) Ibid. vrr. 22-23. 90) Ibid. 25, 12. 91) Lc 13, 27. 92) 1 Cor 13, 2. Vulg.: *Non habuero,* etc. 93) Os 2, 20. 94) Ibid. vr. 19. 95) Cf. Ex 13, 21. 96) Cf. ibid. 14, 19. 97) Cf. ibid. vrr. 20 sqq. 98) Cf. ibid. 32, 4-8; Dt 9, 16; Ps 105, 19-20. 99) Cf. Ex 16, 3; Nm 11, 4-5. 100) Cf. Nm 13, 28-14, 1-4. 101) 1 Tim 1, 5.

cum Abraham... Isaac et Iacob in regno coelorum. Haec felicissima ac beatissima est terra promissionis fluens lacte et melle, [102] bonorum omnium copiosissima abundantia ditissima et locupletissima : *Recumbent cum Abraham... Isaac et Iacob in regno coelorum.*

II. ALIA HOMILIA

Audiens autem Iesus miratus est et sequentibus se dixit : ... Non inveni tantam fidem in Israel. [1]

In hodierno Evangelio mirabilis virtus fides ostenditur quoad obiectum, quod est Christus Deus et homo;

I. Fidem hodie Christus Dominus noster admiratur, quoniam vere super omne miraculum fides mirabilis virtus est.

Quod si quid adhuc de fide [2] dicere libet quatenus ad praesens Evangelium spectat, tria nobis videnda sunt, videlicet fidei obiectum, subiectum et operatio. Quoad obiectum ait : *Cum introisset Iesus Capharnaum ;* [3] quoad subiectum : *Accessit ad eum centurio ;* [4] et quoad operationem : *Vade, et sicut credidisti fiat tibi.* [5] Obiectum fidei Christus est Deus et homo ; subiectum est homo ad Christum conversus ; et operatio est credere in Christum. Quoad primum ostendit sacrosanctum hodiernum Evangelium Christi tum humanitatem tum divi-

102) Cf. Ex 3, 8. 17; 13, 5; 33, 3; Lv 20, 24; Nm 16, 14.

1) Mt 8, 10. 2) Ms.: *Aliquid* adicitur. In margine haec adiecta fuerunt: « Mirabilis virtus fides est, quoniam ipsius obiectum Christus miraculum est: *Vocabitur nomen eius admirabilis, pele, miraculum.* Subiectum item fidei homo miraculum est naturae et gratiae: *Quid est homo quod memor es eius ?* Opus autem fidei est miracula operari, magno enim miraculo centurionis fides sanat hodie hominem morientem: *Sicut credidisti fiat tibi.* Quid vero horum trium mirabilius sit, discernere ac iudicare nescio: Christus, centurio, an paralyticus curatus. Non dico quid maius sit, sed quid mirabilius. Macrocosmos maior est procul dubio microcosmo, dubitatur tamen quodnam mirabilius Dei opus sit. Elephas est maior formica, sed non tamen mirabilius animal. Magnum miraculum Christus est Deus et homo; sed forte non minus homo sanctus, qui natura constat et gratia, homo fide et Spiritu Sancto plenus, qui in terra cum sit, conversatur in coelo, videtur animal terrenum et est Angelus coelestis, apparet totus caro et est totus spiritus, non amat quae videt et diligit quae non videt, cum praesentia obiecti moveat potentiam, qui in tribulationibus sit felix, in inferno fruatur gloria paradisi, rubus Moysi ardens non comburatur. Similiter de opere fidei dico. Paralyticus iste mundum totum designat. Conversio autem mundi ad Christum maximum profecto miraculum est, ut mundus crederet hominem crucifixum esse verum Deum et pro hac fide tuenda universa bona vitamque ipsam mille periculis exponeret, mille martyria sustineret. O miraculum! *Audiens Iesus miratus est* quod gentilis homo in ipsum crederet tanto cum fidei ardore ». 3) Mt 8, 5. Cf. Missale Rom. 4) Ibid. 5) Ibid. vr. 13.

nitatem : humanitatem, quia intravit Capharnaum, divinitatem, quia absens corpore, solo voluntatis nutu, uno temporis momento sanavit servum centurionis, qui animam agebat : *Et sanatus est puer in illa hora.* [6] Sic Christus Deus et homo obiectum est fidei : *Finis legis Christus ad iustitiam omni viventi.* [7] Ipse est serpens in deserto exaltatus, in quem respiciendum erat pro salute consequenda : [8] *Ut omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam aeternam.* [9] Utranque hanc in Christo naturam centurio hodie cognovit atque confessus est dicens : *Domine, non sum dignus ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo et sanabitur puer meus.* [10] Intrare sub tectum humanitatis est, sed verbo tantum operari miraculum est divinitatis opus.

quoad subiectum in centurione, in quo adeo perfecta est ut Christus ipse miretur;

Subiectum vero fidei homo est, sed positus in dignitate, homo centurio super homines constitutus, homo multis hominibus praepositus et praelatus. Homo suapte natura magnum mundi miraculum est, [11] sed homo fidelis miraculum est super omne naturae miraculum. Hinc Christus hodie miratur centurionem fidelem : *Audiens ... Iesus miratus est.* O magnum miraculum ! Christus *miratus est.* Si excellentissimus pictor aut summus sculptor videns picturam aliquam aut sculpturam vehementer miraretur, profecto admirandum valde opus illud ab omnibus existimaretur. David rex miratus fuit hominis magnitudinem ex eo quod Deus eius curam haberet et honoraret : *Quid est homo, quod memor es eius ? aut filius hominis, quoniam visitas eum ? Minuisti eum paulo minus ab Angelis, gloria et honore coronasti eum.* [12] Sed David homo erat et Deum potius quam hominem mirabatur. Hodie vero Christus verus Deus miratur hominis virtutem : *Audiens autem Iesus miratus est.*

quoad effectum quem operatur in homine, purgat enim animam ab omnibus vitiis et peccatis;

Quoad tertium, opus fidei considerandum nobis est. Fides quidem tres hierarchicos actus operatur in nobis ; purgat enim, illuminat atque perficit. Purgat cor nostrum : *Fide purificans corda eorum,* [13] inquit Apostolus; sic purgatur hodie curaturque servus centurionis a mortali infirmitate. Iacebat enim paralyticus et male torquebatur eratque moriturus ; at Christus ait : *Ego veniam et curabo eum,* et postmodum : *Vade, et sicut credidisti fiat tibi ; sanatusque est puer*

6) Ibid. 7) Rom 10, 4. Vulg.: *Omni credenti.* 8) Cf. Nm 21, 6-9. 9) Io 3, 15. 10) Mt 8, 8. 11) Mercurius Trismegistus *Asclepius*, cp. 3, pag. 482; Plato *De Legibus*, lib. 1, t. 2, pag. 645; Lud. Caelius *Lect. Antiq.*, lib. 2, cp. 17, col. 80-82. 12) Ps 8, 5-6. 13) Act 15, 9.

in illa hora, sanatus ab omni infirmitate. Sic fides purgat ab omnibus vitiis atque peccatis.

Illuminat; hinc Dominus, cum caecum Bartimaeum in Iericho illuminavit, dixit ei: *Respice, fides tua te salvum fecit.* [14] Illuminat autem mentis oculos, ut homo et Deum cognoscat et seipsum. Sic centurio hodie et Christum verum Deum et seipsum cognovit: *Domine, non sum dignus ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo et sanabitur puer meus; nam et ego homo sum.* [15] Deum autem cognoscit fides non tantum in sua maiestate, sed etiam in nostra humilitate; hominem vero non in humana tantum humilitate, sed etiam in divina maiestate. Hinc Christus Deus et homo fidei est obiectum. O fidei miraculum! Credere de Deo alta et de homine humilia arduum non est; sed de Deo humilia et de homine alta divinaque summe arduum est. Hoc autem opus est fidei. Hominis autem quadruplicem statum fides ostendit: innocentiae, culpae, gratiae et gloriae.

Illuminat mentis oculos ut homo et Deum et seipsum vere cognoscat,

Oh si Deus homini perfectam largiretur fidem, profecto multo maiorem sapientiam quam Salomoni tribueret ei! [16] Fides enim universa sacrae theologiae tum mysticae tum symbolicae mysteria continet omniaque arcana Dei, et quatenus naturae auctor est et fons gratiae et rex gloriae et quatenus Deus est.

in qua cognitione vera et perfecta sapientia consistit;

Perficit etiam fides hominem omnibus virtutibus; facit enim ut homo accedat ad Deum magna cum fiducia et confidentia, cognita Dei bonitate et clementia. Sic ait quod: *Accessit ad eum centurio: Accedite ad eum et illuminamini,* [17] *quoniam Deus lux est;* [18] sed etiam ignis [19] est, hinc accedentes etiam calefacit et in seipsum convertit per amorem: *Qui adhaeret Deo unus spiritus est* [20] cum eo.

perficit omnibus virtutibus faciens animam accedere ad Deum magna cum fiducia,

Nec tantum accessit, sed *rogans eum.* Facit fides ut homo in tribulatione positus recurrat ad Deum, ut instanter oret. Fides igitur causa est orationis et ut exaudiatur oratio: *Sicut credidisti fiat tibi;* causa est etiam dilectionis in proximum efficitque ut proximi salutem quaeramus: *Domine, puer meus iacet in domo paralyticus et male torquetur;* [21] causa est etiam verae humilitatis: *Domine, non sum di-*

instanti oratione,

14) Lc 18, 42. 15) Mt 8, 8. 16) Cf. 3 Rg 3, 9-12. 17) Ps 33, 6. 18) 1 Io 1, 5. 19) Ms.: *Etiam* bis ponitur. 20) 1 Cor 6, 17. Vulg.: *Qui adhaeret Domino,* etc. 21) Mt 8, 6.

vera humilitate et sincera pietate; causa est vitae aeternae

gnus ut intres sub tectum meum; causa multae in Deum pietatis: *Diligit ... gentem nostram et synagogam ipse aedificavit nobis;*[22] tandem fides causa est vitae aeternae; sic enim Christus admiratus fidem centurionis ait: *Amen dico vobis, quod multi ab oriente et occidente venient et recumbent cum Abraham... Isaac et Iacob in regno coelorum;*[23] fides enim viva, *quae per dilectionem operatur,*[24] meretur vitam aeternam.

iis etiam qui sine culpa Christum ignorantes in Deum credunt et legem naturalem servant.

Ea autem est fidei vis, ut nonnullis theologis visum sit quod, si quis in remotissimis terrae partibus natus, ubi Christus nunquam audierit, credat in Deum legemque naturalem servet vivens secundum rectum conscientiae dictamen, salvari in illa fide possit,[25] quoniam « Deus facienti quod in se est non denegat gratiam »;[26] quamvis ego credam quod Sanctum aliquem e paradiso mitteret ad baptizandum eum, sicut misit Philippum ad baptizandum eunuchum,[27] aut Angelum ad eum instruendum, sicut misit ad Cornelium centurionem.[28]

Tandem causa est omnium miraculorum et, quod maximum est, conversionis mundi ad Christum.

Super omnia autem haec fides miracula operatur. Sic fides centurionis meritorie sanavit hodie infirmum: *Sicut credidisti fiat tibi.* Sic fides operata est omnia miracula in Prophetis et Apostolis sanctisque aliis, et tandem, quod maximum omnium miraculorum est, universum mundum ad Christum convertit: *Multi venient ab oriente et occidente.* Forte enim non minus miraculum est credere Incarnationem quam fuerit Deum ipsum incarnari, pati et mori. Haec enim homini incredibilia videntur: hominem inter latrones tanquam scelestissimum crucifixum[29] Deum esse. Hoc fides mundo persuasit; admirandum miraculum!

II. *Audiens autem Iesus miratus est et sequentibus se dixit: ... Non inveni tantam fidem in Israel. Amen dico vobis, quod multi ... venient,* etc.

Accidit hodie centurioni sicut Sauli qui, cum asinas patris sui

22) Lc 7, 5. 23) Mt 8, 11. Vulg.: *Dico autem vobis*, etc. 24) Gal 5, 6. Vulg.: *Per caritatem operatur.* 25) Cf. S. Thomas Opusc. *De Veritate*, q. 14, a. 11; *In Secundum Librum Sentent.*, distinct. 28, q. unica, a. 4. 26) Axioma theologicum unanimi consensu a theologis acceptum, quod iam quoad sensum invenitur in S. Patribus. Ita S. Isidorus Pelusiota: « Qui enim omnia quae in se sita sunt adimplet, Deus ipse benigne annuit ». *Epistolae*, lib. 5, epist. 459, (P. G. 78, 1594). Cfr. Fr. Suarez *De Gratia*, lib. 4, cp. 12 sqq.; H. Hurter *Theologiae Dogmaticae Compendium*, vol. 3, *De Gratia*, pag. 65. 72. 27) Cf. Act 8, 26-40. 28) Cf. ibid. 10, 3 sqq. 29) Ms.: *Scelestissimus crucifixus.*

quaereret ac ob id ad Samuelem accessisset, regnum invenit unctusque fuit a Samuele in regem super universum Israel.[30] Sic cum centurio ad Christum accessisset solum quaerens salutem servi languentis ac morientis : *Domine, puer meus iacet in domo paralyticus et male torquetur,* qui erat moriturus, invenit coeleste regnum. Promisit enim ei Christus regnum coelorum, nec tantum ei, sed omnibus simili fide praeditis : *Multi venient ab oriente et occidente* et aquilone et austro *et recumbent cum Abraham... Isaac et Iacob in regno coelorum,* idest ex omnibus mundi partibus omnibusque populis et gentibus.

Felix ergo centurio hic qui accedens ad Christum regnum coelorum consecutus est.

Quicunque simili fide praediti erunt, assequentur gloriam regni coelestis. Ob id enim in *Apocalypsi* legimus quod coelestis civitas Ierusalem a qualibet mundi parte habet tres portas.[31] Sic Paulus ait quod Deus *vult omnes homines salvos fieri*[32] et quod omnes, qui fidem servaverint, gloriam regni coelestis consequentur : *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi ; in reliquo reposita est mihi corona iustitiae, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex ; non solum autem mihi, sed et iis qui diligunt adventum eius.*[33] Si igitur Dominus gloriam regni coelestis illis tantum promittit qui centurioni sunt similes, nam de aliis ait : *Filii... regni eicientur in tenebras exteriores,* necesse est, fratres mei, ut, si salvari volumus, fideli huic centurioni similes simus. Notemus hodie vitam, mores virtutesque ipsius ut similes ei, ut par est, fieri possimus. *Accessit,* inquit, *ad eum centurio rogans eum et dicens.*[34] Lucas ait quod prius audivit Christum venisse in Capharnaum : *Et cum audisset de Iesu, misit ad eum seniores Iudaeorum.*[35]

Hoc autem praemium consequentur qui eadem fide

iisdemque moribus et virtutibus praediti erunt.

III. Hoc primo necessarium est : aperire et adhibere aures divinis verbis, nam : *Fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi.*[36] *Cum audisset de Iesu,* credidit fidemque admirabilem concepit ; deinde *misit seniores Iudaeorum,* ut intercederent pro ipso, reputans seipsum indignum ut ad Christum accederet ad gratiam consequendam. Illis autem ad Christum corpore accedentibus, ipse spiritu accessit, accessit qui longe erat a Deo, spiritu factus est prope.[37] Elongari

Ad hoc autem primo necesse est aures praebere divinis verbis,

30) Cf. 1 Rg 9, 3-10, 1. 31) Cf. 21, 13. 32) 1 Tim 2, 4. Vulg.: *Omnes homines vult,* etc. 33) 2 Tim 4, 7-8. 34) Mt 8, 5-6. 35) 7, 3. 36) Rom 10, 17. 37) Cf. Eph 2, 13.

elongari a mundo et ad Deum accedere oratione, vera cordis poenitentia et humilitate,

necesse est a mundo et ad Deum accedere, elevari corde a terra et in coelum mente ascendere. *Accessit . . . rogans*, orationi operam dare. Primum autem quod rogare debemus, remissio est omnium peccatorum : *Domine, puer meus iacet in domo paralyticus et male torquetur. Domine*, spiritus meus *iacet*, infirmatur, destitutus est gratia sanitatis et est infirmitas gravis ; *iacet . . . paralyticus*, laborat dissolutione omnium membrorum, destitutus est omnibus viribus bene agendi ; *et male torquetur* tentationibus diaboli et vitiis ac concupiscentiis carnis. Rogare autem magna cum animi humilitate, ut omni gratia Dei indignos nos reputemus : *Domine, non sum dignus ut intres sub tectum meum ;* incumbere misericordiae operibus, sic enim centurio infirmum servum curavit ; praeditum esse gemina caritate : *Diligit enim gentem nostram et synagogam ipse aedificavit nobis.*

et operibus misericordiae incumbere.

Harum virtutum exemplar perfectissimum in centurione cernitur,

IV. Septem sunt quae de fideli isto centurione leguntur : audivit de Iesu, misit seniores Iudaeorum, accessit ad Iesum, rogavit humiliter Iesum, dixit ei : *Domine, puer meus*, etc.; *Diligit . . . gentem nostram, aedificavit nobis synagogam;* audivit per fidem, misit ex humilitate, accessit spiritu devotionis, rogavit magna cum fiducia et spe, dixit ex pietate, diligit ex caritate, aedificavit ex pia in Deum religione.

sicut etiam in omnibus Sanctis, quamvis homines similes nobis essent.

Et tamen homo erat : *Nam et ego homo sum sub potestate constitutus,* [38] homo erat similis nobis, sicut et omnes sancti homines fuerunt nobis similes. *Elias*, inquit Divus Iacobus, *homo erat similis nobis . . . et oratione oravit, et clausum est coelum annis tribus et mensibu sex.* [39] Et tamen quilibet nostrum peccatum vitiumque suum excusat dicens : homo sum fragili carne indutus, non possum esse perfectus. Sed etiam centurio homo fuit et omnis sanctus homo fuit, et tamen omnes virtute perfecti fuerunt ; imo quia homines sumus *ad imaginem et similitudinem Dei* conditi, [40] peccare non debemus. Omne enim peccatum est contra naturalem rationem, contra dictamen rectae rationis, unde per peccatum homo in bestiam vertitur quasi alter Nabuchodonosor. [41] Nihil igitur proderit nobis apud Deum ista causatio, sicut nec Adae profuit dicere : *Mulier quam dedisti*

38) Mt 8, 9. 39) 5, 17. Ex Lc 4, 25. 40) Gn 1, 26-27; 5, 1 ; 9, 6. 41) Cf. Dn 4, 22-30.

mihi,[42] nec Evae: *Serpens decepit me,*[43] quin minus damnati ad mortem de paradiso eicerentur.[44] Sic ait Christus hodie quod: *Filii... regni eicientur in tenebras exteriores,* quicunque non fuerint huic centurioni consimiles. Satagendum igitur nobis est, fratres, ut huic assimilemur, ut sicut similes ei sumus in natura, ita quoque in vita, in moribus, in virtutibus, in gratia Dei.

V. Specialiter vero patribusfamilias discendum ab isto centurione est quid illis agendum sit, cum aliquis vel filius vel servus in eorum familia spiritu vel corpore infirmatur: recurrant ad Christum; discendum quomodo bona temporalia facultatesque et divitiae sint expendendae: *Diligit... gentem nostram et synagogam... aedificavit nobis;* discendum quomodo tractandi sint servi, non enim infirmum servum hic a domo eiecit; discendum in quo consistat apud Deum vera nobilitas, quae honore et gloria digna sit, quoniam in virtutibus consistit; virtutem enim laudat Christus, hanc honorat. Homo enim propter imaginem et similitudinem Dei nobilissimum est omnium animalium, sed tunc vere similis Deo est, cum virtutibus praeditus est, nam vitiis peccatisque deditus diabolo potius quam Deo similis est. Hinc mali dicuntur *filii diaboli: Vos ex patre diabolo estis,*[45] iusti autem verique fideles *filii Dei.*[46] Haec summa nobilitas est, quae a vera vivaque fide emanat atque in vera, viva perfectaque fide utique consistit.

Specialiter vero centurio exemplar est virtutum patrisfamilias,

nam in sola virtute consistit vera animi nobilitas,

Hominem virtute praeditum Deus ab initio in paradiso collocavit, nobilissimo loco magnaque dignitate, sed virtute destitutum ob peccatum, tanquam omni nobilitate amissa, eum a paradiso eiecit.[47] Sic hodie ait quod similes centurioni, tanquam viri vere nobiles *recumbent cum Abraham... Isaac et Iacob in regno coelorum, filii autem regni* virtute destituti, tanquam ignobiles *eicientur in tenebras exteriores.*

et hanc virtutem Deus semper honoravit,

Sic sic, fratres mei, in virtute vera consistit nobilitas, huic omnis debetur honor, hanc semper honore, dignitate et gloria Deus affecit. Ob virtutem tulit Enoch de terra,[48] ob virtutem salvavit Noe cum

42) Gn 3, 12. 43) Ibid. vr. 13. 44) Cf. ibid. vrr. 15-24. 45) Io 8, 44.
46) Cf. Rom 8, 14-23; Gal 3, 26; 4, 6; 1 Thess 5, 5. 47) Cf. Gn 2, 8-15; 3, 17 sqq.
48) Cf. ibid. 5, 24; Eccli 44, 16; Hebr 11, 5.

ut patet in iustis Antiquae Legis,

universa familia sua in arca, [49] ob virtutem constituit Abraham patrem fidei summumque patriarcham, [50], ob virtutem liberavit Loth ab incendio Pentapolis, [51] ob virtutem dilexit Iacob, [52] virtutis merito constituit Ioseph principem Aegypti, [53] propter hanc Moysen fecit totius electi populi coryphaeum [54] et Aaron synagogae hierarcham, [55] David regem constituit, [56] Ezechiam de manu Sennacherib et a morte liberavit, [57] Danielem de lacu leonum, [58] tres pueros de fornace ignis ardentis, [59] et tandem in solius virtutis honorem ac gloriam paradisum in coelo creavit: *Recumbent* virtute praediti *cum Abraham... Isaac et Iacob in regno coelorum.* Ob virtutem Christus hodie centurionem hunc vere nobilem constituit suum equitem suaeque militiae magnum ducem effecit: *Multi venient.*

et hodie in centurione quem Christus admiratur et laudat.

VI. Si igitur vere nobiles esse volumus, fratres, virtuti operam demus ut simus nobilissimo huic centurioni vere similes; cogitemus quod homines sumus et quatenus homines *filii regni* sumus. Quid est *filii regni ?* Filii Dei heredesque regni coelestis. O summa nobilitas: *Ego dixi: Dii estis et filii Excelsi omnes!* Sed cavendum est quod sequitur: *Vos autem sicut homo,* sive *Adam, moriemini et sicut unus de principibus,* Lucifer, *cadetis,* [60] ob peccatum a summa nobilitate in summam ignobilitatem deiecti.

Fugiendum ergo peccatum est, causa summae ignobilitatis animae

Filii... regni eicientur in tenebras exteriores. In primo statu humanae naturae summa fuit nobilitas, in secundo vero summa ignobilitas. In primo enim dominus erat: *Dominetur piscibus maris et volatilibus coeli et bestiis universaeque terrae,* [61] propter Dei imaginem et similitudinem; at in secundo servus reperitur: *Servus meus iacet... paralyticus et male torquetur.* In secundo hoc statu, in quo homo servus est corruptionis, servus mortis, servus peccati, servus diaboli, si quid boni est, istud est quod per poenitentiam reparari potest ex gratia Christi: *Ego veniam et curabo eum.* Sic enim ex arbore Nabuchodonosor relictae sunt radices in terra, ut renasci

et miserrimae servitutis.

49) Cf. Gn 6, 8-9, 1-23. 50) Cf. ibid. 15, 6; Gal 3, 6. 51) Cf. Gn 19, 1-23. 52) Cf. Mal 1, 2-3; Rom 9, 13. 53) Cf. Gn 39, 6-41, 37-45. 54) Cf. Ex 7, 1; Eccli 45, 1-5. 55) Cf. Nm 3, 10. 56) Cf. 1 Rg 16, 12-13. 57) Cf. 4 Rg 19, 15-35; Is 37, 16-36. 58) Cf. Dn 6, 7-23; 14, 29 sqq. 59) Cf. ibid. 3, 23-51. 60) Ps 81. 6-7. Vulg.: *Sicut homines*, etc. 61) Gn 1, 26. Vulg.: *Praesit piscibus*, etc.

posset, sic ipse Nabuchodonosor ex rege factus bestia pristino statui restitutus fuit.[62]

Consideremus, fratres, in quonam statu nos modo sumus. In primo nanque statu certum est quod non sumus in paradiso terrestri, neque in quarto, in coelesti : *Recumbent cum Abraham ... in regno coelorum.* Quandiu vivimus, necesse est ut vel in secundo, vel in tertio simus, vel *iacet paralyticus,* vel *sanatus est puer in illa hora.* Si in tertio fuerimus, adveniente morte, ascendemus in coelum cum alis aquilae; at si in secundo mortui fuerimus, *erat* enim *moriturus,*[62a] heu, heu ! fratres, in inferno sepeliemur : *Filii ... regni eicientur in tenebras exteriores, ibi erit fletus et stridor dentium !*

Qui per poenitentiam virtutem peccato amissam non reparaverit, a coelesti regno eicietur

Paucissimis hisce verbis Christus inferni nobis poenas describit. Est autem, ut sacra docet theologia, inferni poena duplex : altera quidem est privatio omnium bonorum, altera vero perpessio omnium malorum summorumque cruciatuum. Sic epulo in inferno bonis omnibus adeo privatus est, ut nec guttam aquae a patre suo Abraham obtinere possit, et perpetuo cruciatus in flammis ininferno sepultus [iaceat].[63] Et quoad primum poenae genus ait Christus : *Mittentur in tenebras exteriores,* sive extimas et profundissimas ; tenebrae autem privatio sunt lucis, quae symbolum bonitatis est : *Vidit* enim *Deus lucem quod esset bona.*[64] Quoad alterum autem ait : *Ibi erit fletus et stridor dentium,* quae signa sunt extremi cruciatus. Has poenas in aeternum et ultra luet quisquis viva fide et gratia Dei destitutus ex hoc mundo abscesserit.

et ad inferni poenas in aeternum condemnabitur.

VII. *Non inveni tantam fidem in Israel. Amen dico vobis, quod multi ... venient et recumbent ... in regno coelorum, filii autem regni,* etc. His verbis Dominus vivis veluti coloribus depingit nobis gloriam paradisi poenasque inferni, et viam ostendit salutis nec non et viam perditionis.

Describit hodie Christus paradisi felicitatem,

Paradisi gloriam depingit. Est autem felicitas et beatitudo gloriae coelestis « status omnium bonorum aggregatione perfectus ».[65] Bona omnia autem quae in mundo desiderantur, sunt vel delectabilia ut voluptates, vel utilia ut divitiae, vel honorabilia ut digni-

quae est omnium bonorum perfecta possessio,

62) Cf. Dn 4, 7-30. 62a) Lc 7, 2. 63) Cf. ibid. 16, 19-30. 64) Gn 1, 4.
65) Boetius *De Consolatione Philosophiae*, lib. 3, (P. L. 63, 724).

tates atque virtutes. Omnia haec bona in coelo sunt. Propter primum bonorum genus vocat Christus coelestem gloriam *convivium regale;* ait enim, quod *recumbent.* Regni autem nomen summas secum affert divitias summosque honores; hinc paradisum Christus *regnum coelorum* vocat, idest maximum infinitumque et aeternum. Ubi autem omnia simul reperiuntur bona, ibi nil mali penitus esse potest.

et inferni supplicium, quod est aggregatio omnium malorum.

Sicut autem in paradiso omne reperitur bonum et nullum malum, ita in inferno, qui paradisi est opposita facies imagoque contraria, nullum bonum, sed omne malum; propterea vocat infernum Christus, ut diximus, *tenebras exteriores,* ubi *erit fletus et stridor dentium,* nam: *Vermis eorum non moritur et ignis non extinguitur.* [66]

Ostendit etiam viam coeli fidem esse, viam autem inferni infidelitatem,

Viam autem salutis et scalam coeli ostendit Dominus fidem esse, nam admiratus fidem centurionis, gentilis hominis, praedicit Gentium conversionem atque salutem; viam autem perditionis esse infidelitatem fideique defectum, nam, quia, inquit, *non inveni tantam fidem in Israel,* idest in populo Iudaeorum, ideo *filii regni,* ipsi Iudaei, *eicientur in tenebras exteriores.* Hoc autem vaticinio duplicem calamitatem Iudaeis praedixit Christus: temporalem in hoc mundo, quam in praesenti captivitate patiuntur, et aeternam in inferno; sicut et Gentibus vaticinando duo quoque praedixit: temporalem in hoc mundo vocationem ad fidem et gratiam Dei, et aeternam in coelo felicitatem. Haec autem Christus simul coniunxit ut, comperta veritate vaticinii in eo quod futurum in hoc mundo praedixit, certi essemus de veritate eorum quae in venturo saeculo futura prophetavit.

illa convertit et salvavit Gentiles, haec excaecavit et perdidit Iudaeos,

sicut Christus vaticinatus fuerat.

Nunc autem, o fratres, hisce oculis videmus veritatem vaticiniorum Christi, tum eius quod spectat ad nos Gentiles, tum eius quod spectat ad Iudaeos regni filios, quos praedixit eiciendos *in tenebras exteriores,* uti nunc sunt in praesenti captivitate, omni luce divinae gratiae veraeque fidei privati. Non est igitur quod dubitemus de futura fidelibus in coelo gloria et infidelibus in inferno poena. Felices ac ter quaterque beatos, qui ambulant per viam salutis: *Beati qui non viderunt et crediderunt!* [67] *Qui* enim *credit..., non iudicatur, qui autem non credit, iam iudicatus est.* [68]

66) Mc 9, 43. 45. 47. 67) Io 20, 29. 68) Ibid. 3, 18.

VIII. Dicetis : Deo gratias ! nos credimus fidemque per gratiam Dei habemus, ergo cum centurione salvi erimus. At salvifica fides, o fratres, necesse est ut sit viva, *quae per* dilectionem et *caritatem operatur.* Non enim in centurione otiosa fides fuit, sed operosa. Et o utinam non sit nunc tempus, de quo Dominus ait : *Cum venerit Filius hominis, putas inveniet fidem super terram?* [69] Fides quidem viva semper est cum caritate coniuncta, sicut vivum corpus cum anima. Sed de caritate Dominus ait : *Quoniam abundabit iniquitas, refrigescet caritas.* [70] Nunc autem abundavit iniquitas, ergo refriguit defecitque in multis caritas.

Sed, ne quis illudatur, fides non salvat nisi sit operosa et cum caritate coniuncta.

Ubi est enim hodie caritas centurionis, caritas dominorum erga servos, caritas erga amicos? *Diligit . . . gentem nostram;* caritas erga Deum? *Synagogam ipse aedificavit nobis.* Huic servus etiam, nedum subiecti milites, *pretiosus erat* eiusque tanquam filii curam gerebat. Nunc autem dominis non servi, sed equi et canes pretiosi sunt. Erat gentilis, et non tantum gentiles suos, sed etiam Iudaeos diligebat: *Diligit . . . gentem nostram,* favebat, fovebat, afficiebat beneficiis, gratum se omnibus exhibebat facultatesque suas in amicorum utilitatem in honoremque Dei expendebat : *Synagogam . . . nobis aedificavit.* Sed procul dubio in nobis haec refriguit caritas. Utinam non etiam fides cum caritate defecerit! Hinc enim tot sunt exortae in Ecclesia haereses magnaque zizaniorum copia in medio tritici. [71]

sicut fides centurionis.

IX. Si quis autem quidnam sit fides inspiciat, facile adducetur ut dicat fidem fere omnino defecisse in mundo : *Est autem fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium,* [72] basis est et fundamentum totius spiritualis aedificii, cui spes coelestium bonorum innititur, et argumentum fortissimum est ac demonstrativum certissime probans esse invisibilia bona quae credenda sunt, ut multo certius firmiusque esse credantur, quam si oculis viderentur manibusque attrectarentur. Sed ubi nunc est haec fides? Ait Christus quod dans eleemosynam *centuplum accipiet vitamque aeternam possidebit.* [73] Cur ergo non libentissime damus Christo ad usuras? Si princeps

Quia vero refriguit caritas, fides etiam deficit, quae est fundamentum vitae spiritualis.

69) Lc 18, 8. Vulg.: *Filius hominis veniens . . . in terra?* 70) Mt 24, 12. Sic legitur in veteribus editionibus Vulg. Cf. *Biblia Lovaniensis.* In posterioribus autem, iussu Clementis VIII recognitis, emendatum fuit: *Abundavit.* 71) Cf. ibid. 13, 24-25. 72) Hebr 11, 1. 73) Mt 19, 29. Vulg.: *Et vitam,* etc.

et propter terrenorum amorem coelestia contemnuntur.

aerarium aperiret talemque usuram proponeret, bone Deus, quisnam hominum denarios inutiles sibi domi reservaret? Ah! fratres mei, fides nostra eo devenisse hodie videtur ut eatenus intacta illibataque servetur, quatenus mere theorica est et cum proprio interesse nihil pugnat. Nam in mundo hodie, ubi cum proprio interesse fides pugnat, sicut arca Domini cum Dagone, abicitur fides, sicut Philisthaei abiecerunt arcam Domini, [74] ut suum sibi Dagonem servarent intactum atque illaesum. Sic fecit Ieroboam: ne regnum amitteret vitulos aureos erexit, abiecto vero cultu Dei. [75]

Hinc centurio iste contra christianos in iudicio surget et fide sua eos condemnabit;

Sed, o fratres, existimo quod sicut Dominus de Iudaeis ait: *Regina Austri surget in iudicio contra generationem istam et condemnabit..., quia venit a finibus terrae audire sapientiam Salomonis, et ecce plus quam Salomon hic,* [76] ita in die iudicii centurio iste contra nos insurget et nos fide sua tanquam incredulos et infideles condemnabit. Ipse enim nullum a Christo factum miraculum viderat, sed nonnullum forte factum audierat, nam ante hodiernum miraculum Divus Matthaeus unum tantum recenset a Christo factum miraculum, videlicet leprosi mundationem, [77] et tamen tanta in Christum fide praeditus fuit. Nos autem, innumeris auditis Christi miraculis et oculis quodammodo visis, incredulitatis vitio laboramus.

et quidem inexcusabiles erunt, quia in eadem conditione in qua ipsi pereunt, ille tot virtutibus fulsit,

O homo, o frater, dic mihi, quaeso: quid dices in iudicio? Nunc quidem multas causas praeteximus: homines sumus, non possumus esse perfecti; sumus in mundo, ubi innumerae sunt occasiones causaeque malorum. Sed centurio quoque homo erat, nam: *Et ego homo sum,* et in mundo erat, in civitate Capharnaum, et mille habebat occasiones malorum, quia miles erat militumque praefectus et centurio: *Habens,* inquit, *sub me milites,* [78] et tamen plenus fuit fide omnibusque virtutibus instructus. Si mundana nobilitas, si divitiae, si dignitates, si servi, si amici occasiones malorum vitiorumque praebent, hic fuit nobilis, dives, in dignitate constitutus, habens et servos et subditos et amicos, ut scias quod ubique homo, si velit, potest bene agere et per viam virtutis ambulare.

Fuit autem centurio iste veluti primitiae Gentium; sicut autem primitivis fructibus ceteri quoque, qui sequuntur, similes sunt, ita

74) Cf. 1 Rg 5, 2-7. 75) Cf. 3 Rg 12, 25-33. 76) Mt 12, 42. Vulg.: *Cum generatione ista,* etc. 77) Cf. 8, 2-3. Ms.: *Mundatio.* 78) Ibid. vr. 9.

nos centurioni huic similes esse oportet, si salvari volumus. Fuit centurio iste gentilis et tamen Christus non abiecit eum, quoniam Deus *vult omnes homines salvos fieri.* Hinc Petrus in conversione Cornelii centurionis ait : *In veritate comperi quia non est personarum acceptor Deus, sed in omni gente qui timet Deum et operatur iustitiam, acceptus est illi.* [79] Sic, inquam, centurio iste cum Deum timeret fideque plenus et iustitia esset, Christo acceptus fuit.

et ideo meruit esse primitiae Gentium, Christo valde dilectus.

X. *Amen dico vobis, quod multi,* etc.

Ostendit [80] Dominus quod fides est scala coeli sicut scala Iacob, [81] per quam tamen non omnes Angeli ascendebant, sed multi descendebant. Sic ait : *Multi... venient et recumbent* cum Sanctis, *filii*

Quamvis fides scala sit coeli, non omnes qui fidem habent salvantur.

79) Act 10, 34-35. Vulg.: *Qui timet eum,* etc. 80) In margine haec adiecta fuerunt: « In hodierno Evangelio proponitur nobis centurio, vir mirabili fide plenus tanquam alter Abraham, qui *credidit Deo et reputatum est illi ad iustitiam,* et tanquam alter Noe, vir *iustus atque perfectus,* profecto ut eum imitemur. Nam in omnibus artibus et disciplinis, licet supremum locum teneat inventio, unde artium et scientiarum inventores summique magistri summo habentur in pretio et honore, nihilominus maxima pars consistit in imitatione, ut discipuli et qui in quavis arte cupiunt perfectionis culmen adipisci, imitentur magistrorum virorumque in illa arte aut disciplina excellentium exempla sectenturque vestigia, servent praecepta. Sic discipuli discunt a magistris quamvis artem et disciplinam omnemque scientiam. Idem accidit in morali philosophia. Hinc Deus semper studuit fidelibus suis viros dare virtutibus exemplaribus refertos, quos pro virili imitari studerent. Hinc per Isaiam ait 51: *Respicite ad Abraham patrem vestrum et ad Saram* matrem vestram. Sic hodie proponitur nobis centurio tanquam virtutum exemplar; est enim Christi viva perfectaque imago. Duo sunt autem quae vel maxime requirere videtur exemplum aliquod artis, quod imitandum proponitur: primum ut sit perfectum sine defectu, alterum ut sit facile, non difficile admodum ad imitandum. Sic enim, ut ille ait:

« Omne tulit punctum qui miscuit utile dulci ».

Habet autem hodiernum exemplum ambas conditiones; nam perfectum est, virtutem enim eius miratur Christus, cum sapientis non sit mirari nisi res pro magnitudine et dignitate sit vere mirabilis; facile item, non enim proponitur nobis ad imitandum sanctissimus aliquis patriarcha aut propheta vel apostolus, nec aliquis Sanctorum, qui mirabiles potius videntur quam imitabiles, sed proponitur homo saecularis, qui semper inter homines versabatur, imo inter milites, de quibus Lucanus ait:

« Nulla fides pietasque viris, qui castra sequuntur
« Venalesque manus, ibi fas ubi maxima merces »;

et tamen perfectus fuit in virtute. Non ergo impossibile aut difficile est admodum secundum virtutem ducere vitam. Fuit hic virtute praeditus erga Deum, erga seipsum et erga homines. Erga Deum pius: *Synagogam . . . aedificavit ;* in seipso humilis et modestus: *Non sum dignus ;* erga homines iustus et magnae integritatis, superioribus subiectus: *Homo sum sub potestate constitutus ;* erga aequales caritate praeditus: *Diligit enim gentem nostram ;* erga inferiores prudens, iustus, fortis et benignus: *Dico huic : vade, et vadit, et alii : veni, et venit, et servo meo : fac hoc, et facit;* servus erat ei *pretiosus,* diligebat eum tanquam filium: *Puer meus iacet in domo paralyticus et male torquetur ;* prudens est in distribuendis officiis: non omnia uni, sed varia diversis, et alia militibus, alia servis; fortis et magnanimus, quoniam faciebat se revereri et obediri; iustus, quia nihil imperabat iniquum ». 81) Cf. Gn 28, 12-13.

autem regni eicientur in tenebras exteriores; illi ascendunt in coelum, isti in infernum descendunt. Quare fides veluti mare Rubrum est in quo, salvatis Hebraeis, perierunt Aegyptii. [82]

sed ii soli qui cum fide iustitiam sequuntur,

Filii autem regni. Quid est *filii regni?* Quos Dominus vocavit ad fidem et gratiam, quos Sacramentis coelestibus regeneravit atque nutrivit, quos regni coelestis heredes tanquam filios instituit, quibus dedit omnia necessaria ad salutem: *Filios enutrivi et exaltavi, ipsi autem spreverunt me. Cognovit bos possessorem suum et asinus praesepe domini sui; Israel autem me non cognovit... populus meus non intellexit;* [83] ideo *filii... regni eicientur in tenebras exteriores.* Hoc item est quod Regius Vates docet; iustis enim perpetuam felicitatem promittit: *Beatus vir, qui non abiit,* etc. *Et erit tanquam lignum quod plantatum est,* etc. [84] *Iustus autem ex fide vivit.* [85]

sicut centurio qui, gentilis cum esset, iustitiam secundum naturalem legem sequens,

Talis fuit hodie centurio: *non abiit in consilio impiorum* idololatrarum, gentilis cum esset, nec stetit *in via peccatorum* et male agentium, quales solent esse milites, unde ait ille:

« Nulla fides pietasque viris, qui castra sequuntur »; [86]

nec sedit *in cathedra pestilentiae,* irridendo virtutum sectatores Deique cultores, *sed in lege Domini voluntas eius;* [87] gentilis erat, naturalem tantum legem habebat, hanc perfectissime studuit observare; hinc ait: *Omnia quaecunque faciet prosperabuntur.* [88] Laudatur a Christo et dignus aeterna gloria declaratur ob fidei meritum. Sed: *Non sic impii, non sic, sed tanquam pulvis quem proicit ventus a facie terrae, ideo non resurgunt impii in concilio nec peccatores in congregatione iustorum* [89] consistent, ut recumbant *cum Abraham... Isaac et Iacob in regno coelorum;* sed *filii regni* facti filii satanae ob infidelitatem et perfidiam *eicientur in tenebras exteriores,* quoniam: *Novit Dominus viam iustorum et iter impiorum peribit,* [90] *quaeretur peccatum* eorum *et non invenietur,* [91] peribunt omnia opera eorum, non prosperabuntur. Videmus in centurione isto impletum id quod idem Regius Vates [dicit]: *Beatus qui intelligit,* sive prospicit, *super egenum,* sive infirmum, *in die mala liberabit eum Dominus; Dominus conservabit eum et vivificabit eum et beatum faciet eum in terra et non tradet*

a Christo laudari meruit dignusque aeterna gloria declarari ob fidei meritum.

82) Cf. Ex 14, 19-30. 83) Is 1, 2-3. 84) Ps 1, 1-3. 85) Rom 1, 17.
86) Lucanus *De Bello Civili,* lib. 10, vr. 407. Ms.: *Pietasque nulla his,* etc. 87) Ps 1, 2.
88) Ibid. vr. 3. 89) Ibid. vrr. 4-5. Ex hebraico. 90) Ibid. vr. 6. 91) Ps 10, 15.

eum in animam inimicorum eius. [92] Prospexit enim hic super infirmum servum suum; hinc Dominus beatificavit eum dignumque vitae aeternae declaravit.

III. ALIA HOMILIA

Amen dico vobis, quod multi venient ab oriente et occidente et recumbent cum Abraham ... Isaac et Iacob, etc. [1]

In centurione evangelico proponitur typus christiani: qui fidem illius imitatus fuerit salvabitur; secus condemnabitur.

I. Proponitur nobis in hodierno Evangelio imago ad vivum et naturale hominis qui dignus sit salute aeterna. Docet enim Christus quod omnes qui centurioni similes fuerint, consecuturi sint vitam aeternam; dissimiles vero, licet sint *filii regni*, eiciendi sunt *in tenebras exteriores.* [2] Docet Christus quod multi sint salvandi et quod etiam multi damnandi ex omni hominum genere. Nos igitur vel de numero eorum qui salutem consecuturi sunt necesse est esse, vel de numero eorum qui eiciendi sunt *in tenebras exteriores.* Si fuerimus similes centurioni, salvi erimus; si vero dissimiles, procul dubio damnabimur. Contemplemur ergo divinam hanc imaginem. Telarium est natura humana, colores sunt virtutes, pictor Deus, penicillus lingua Christi nec non et linguae seniorum et magnatum Iudaeorum, quos ipse ad Christum misit, pluribus enim penicillis utuntur pictores.

Virtus centurionis laudatur a Christo et ab hominibus, quia vera animi nobilitas in sola virtute consistit.

Laudatur autem hodie centurio tum a Christo tum a senioribus Iudaeorum; a Christo de fide mirabili: *Non inveni tantam fidem in Israel;* [3] a senioribus: *Dignus est ut hoc illi praestes, diligit enim gentem nostram et synagogam ipse aedificavit nobis.* [4] Telarium huius imaginis est valde nobile ex tela nobilissima: *Nam et ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites.* [5] Homo hic nobilis valde erat triplici nobilitate: naturali, quia homo militaris, quia centurio, dux militum, et supernaturali ratione virtutum divinarum.

92) Ps 40, 2-3. Vulg.: *Conservet ... vivificet ... faciat ... tradat,* etc.

1) Mt 8, 10-11. Vulg.: *Dico autem vobis, quod multi ab oriente et occidente venient,* etc.
2) Ibid. vr. 12. 3) Ibid. vr. 10. 4) Lc 7, 4-5. 5) Mt 8, 9.

Triplex est enim nobilitas: naturalis, qua una natura nobilior est altera, ut aurum argento, coelum elementis, sol luna, sic homo nobilissimum est omnium animalium; acquisita ob virtutes heroicas; et gratis data, qualis est eorum qui nobilitantur ob favores principum. Sic Deus nonnisi nobiles salvare vult et coelesti civitate donare, non quidem nobiles mundana nobilitate, quae tantum carnis et sanguinis nobilitas est, qui, ut plurimum, animis viles sunt et ignobiles, nonnisi terrena affectantes, nec nisi carnis oblectamenta quaerentes, qualis est nostri temporis nobilitas vitiis et ignorantia plena, ludis, otio et crapulis lasciviisque dedita, quibus sanguinis nobilitas a maioribus ob virtutes heroicas acquisita nil aliud est nisi speculum manibus gestatum, quo possint videre deformem propriae faciei turpitudinem; non hanc nobilitatem quaerit Christus, sed nobilitatem animi et spiritus, quae in scientiis et virtutibus consistit.

quae hominem dignum facit regni coelestis.

II. Ostenditur autem centurio iste nobili spiritu, acri et perspicaci iudicio praeditus, vir magni ingenii et rationalis discursus, nam: *Cum audisset de Iesu,* inquit Lucas, *misit ad eum seniores Iudaeorum* [6] dicens: *Domine, puer meus,* etc., cum audisset famam nonnullorum miraculorum, quae Christus fuerat operatus. Contigit enim hoc miraculum initio praedicationis Christi, et puer iste secundo loco curatus a Christo est, ante hunc enim nonnisi leprosus curatus a lepra legitur in montis descensu. [7] Cum ergo centurio famam miraculi huius audisset, ab effectu devenit in cognitionem causae. Hoc opus, inquit, est supernaturale, ergo a causa supernaturali et divina; homo ergo iste non merus est homo, divina praeditus est virtute et potestate. Divina autem virtus omnia potest; ergo potest etiam servum meum, quamvis animam agat, a mortali hac infirmitate curare. Et si divina praeditus virtute est, ergo non tantum praesens corpore, sed etiam absens poterit miraculum istud facere.

Ostenditur centurio hic perspicaci iudicio praeditus, quia ex mirabilibus, quae de Christo audierat, arguit eum esse verum Deum

Deinde audite discursum quem facit: *Tantum dic verbo et sanabitur puer meus; nam et ego homo sum,* etc.; [8] hoc est: Si ego, qui nonnisi homo sum et homo homini etiam subiectus servusque imperatoris Romanorum, possum tamen multa non solum per meipsum,

et quidem omnipotentem dominum naturae creatae;

6) 7, 3. 7) Cf. Mt 8, 2-3. 8) Ibid. vrr. 8-9.

sed etiam per milites mihi subditos servosque obire et solo iussu perficere, quanto magis tu, qui supra humanam divina es praeditus natura et nemini subiectus es, sed omnium dominus, solo iussu poteris quidquid libuerit facere? Si dicas morbo ut recedat, recedet; si sanitati ut veniat, veniet; si servo meo ut statim sanus surgat, statim surget. Hos spiritus nobiles, qui taliter circa divina opera discurrant et philosophentur, requirit Christus.

Nobilis etiam fuit centurio virtutibus antequam ad Christum converteretur et in Christum crederet. Tres virtutes quam maxime nobilem virum decet habere: religionem erga Deum, dilectionem et humanitatem erga servos et suae potestati subiectos, et humilem quandam modestiam erga omnes, maxime vero superiores. Talibus praeditus fuit centurio. Religione quidem, nam aiunt: *Diligit... gentem nostram et synagogam ipse aedificavit nobis.* Honorare debet vir nobilis viros religiosos divino servitio dedicatos, et bonam partem divitiarum suarum expendere ad honorem Dei aedificando, reparando vel ornando ecclesias. Praeditus fuit humanitate et dilectione erga servum, nam, ut Lucas ait, *erat ei pretiosus,* [8a] idest carus, diligebat eum tanquam filium. Proh pudor! nobilium nostri saeculi ubi haec est humanitas et caritas erga servos? Carus fuit ei servus sanus et carus infirmus, domi eum retinuit infirmum et curam eius egit ac si filius ei fuisset. Tandem modestia et humili submissione. Elucet modestia ipsius in petitione: *Domine, puer meus iacet in domo paralyticus et male torquetur.* [9] Modestissime insinuat desiderium animi sui, nec explicite petit; postea vero manifestius: *Domine, non sum dignus ut intres sub tectum meum.* [10] Sic fuit centurio iste nobilissimus eques et amabilissimus, omnibus numeris absolutus. Talem animi nobilitatem Christus requirit. Sic nobile telarium elegit ad pingendum in eo imaginem hominis qui dignus sit vita aeterna.

praeditus etiam magnis virtutibus, praesertim religione erga Deum,

amore erga subiectos,

modestia erga omnes.

III. Ad salutem consequendam, praeter naturales has moralesque virtutes, quae in ethnico etiam homine reperiri possunt, sicut in centurione reperiebantur adhuc gentili, requiruntur supernaturales virtutes et dona Spiritus Sancti, quae omnia Christus unico verbo

Talem animi nobilitatem Christus a nobis requirit

8a) 7, 2. Vulg.: *Illi erat pretiosus.* 9) Ibid. vr. 6. 10) Ibid. vr. 8.

complectitur dicens: *Non inveni tantam fidem in Israel.* Loquitur Christus non de fide informi et mortua, sed de fide viva, *quae per dilectionem et caritatem operatur,* [11] nam: *Fides sine operibus mortua est.* [12]

cum supernaturalibus virtutibus, quae ex fide viva oriuntur sicut colores ex radio;

Septem colores requiruntur ad componendam imaginem hanc. Sed sicut unus simplex radius solis in nube plures colores efficit mira et pulcra varietate, sicut videmus in iride, sic, quamvis septem virtutes et dona Spiritus Sancti requirantur ad componendam imaginem divinae similitudinis in anima, unus tamen radius fidei vivae, qui a sole iustitiae [13] in animam emanat, quasi in nubem roridam et specularem optimeque dispositam efficit varietatem omnium virtutum.

fides enim vera et supernaturalis anima est totius vitae spiritualis et omnia operatur quae ad salutem spectant.

Sicut una simplex anima in corpore humano omnes exercet vires animae vegetalis, sensilis et rationalis totumque corpus vivificat et singulas partes ipsius tenet in motu et operatione perpetua, sic una fides, quae non solum sit a Spiritu Sancto, sed cum Spiritu Sancto, totam vivificat animam omnesque potentias ipsius tenet in motu sanctarum operationum, et sic animam salvat: *Fides tua te salvum fecit,* [14] dixit Christus Bartimaeo; *Fides tua te salvam fecit, vade in pace,* [15] dixit peccatrici sanctae.

Haec fides lucet in centurione evangelico,

Sed sicut cum dicimus quod homo est animal rationale, capax disciplinae, intelligitur homo non fictus sed verus, non mortuus sed vivus, ita fides, quae salvare dicitur animam, viva intelligenda est. Centurio autem hic non solum fide supernaturali praeditus fuit, sed magna fide; hinc Christus miratus fuit non quod ignoraret fidei magnitudinem, cum ipse fidem largitus fuerit, Dei enim donum est, sed miratur ut ostendat quod vere mirabilis erat. Quamvis enim Christus adhuc talem non fuerit in communi populo fidem expertus, tamen non propterea miratur, sed ut ostendat quod magna fides centurionis suapte natura mirabilis erat.

adeo magna et singularis, ut ipse Christus miretur.

Quaedam enim et scimus et miramur: scimus quod apes faciunt mel, miramur tamen, et si videmus opus aliquod excellentissimi pictoris aut sculptoris, in quo magna et vere mirabilis ars elucet, non possumus non mirari. Hinc legimus septem mundi miracula apud ethnicos. [16] Si rhetor, composita oratione in laudem alicuius principis

11) Gal 5, 6. 12) Iac 2, 20. 26. 13) Cf. Mal 4, 2. 14) Mc 10, 52. 15) Lc 7, 50. 16) Cf. C. Iulius Hyginus *Fabulae*, fab. 223, pag. 46.

vel praelati, det eam puerulo felicis ingenii et memoriae ut discat recitetque coram principe in concione, puer vero feliciter recitet orationem illam multa cum gratia et elegantia, cum laude omnium, laetabitur et mirabitur magister felicitatem et promptitudinem ingenii, memoriae et animi in puerulo tam tenerae aetatis; sic Christus miratur hodie fidem centurionis: *Non inveni tantam fidem in Israel.*

Haec autem fides in paucis hodie invenitur;

Sed, bone Deus, ubi est fides nostra? Si cum centurione credimus, cur non una cum eo ad Christum in necessitatibus nostris recurrimus, vel per nos ipsos vel, si indignos nos reputamus, per sacerdotes et sacros ministros servosque Dei? Nos quidem credimus, sed fides haec nostra, qua credimus, vel mortua est vel gravi somno lethargoque oppressa, ut mortua potius dicenda sit quam viva. Non vidit hic Christum miracula facientem, sed audivit; an et nos non audimus? non legimus? Fratres mei, fides viva est via salutis, scala coeli, porta paradisi. Unusquisque cor suum examinet.

ideo omni conatu incumbendum est bonis operibus,

Non tamen desperandum nobis est, si tali tantaque fide nos destitutos videamus, sed pro virili incumbendum est bonis operibus, sicut faciebat centurio hic, etiam antequam in Christum crederet, sicut etiam faciebat alius ille centurio nomine Cornelius, quem in *Actis Apostolorum* legimus,[17] hi enim bonis operibus meruerunt a misericordia Dei gratiam salutarem; et quamvis militaris ars multis sit plena periculis non minus animae quam corporis, neuter tamen horum iussus est militiam relinquere, ut sciamus quod nulla est ars reipublicae necessaria et utilis adeo periculis animae exposita, in qua homo, si virtutem diligat, salvari non possit.

in omni quippe conditione vitae virtus et sanctitas possibiles sunt.

Omnes christianos centurioni huic similes esse oportet.

IV. Est centurio iste fidelium omnium exemplar, quoniam tales necesse ut sint omnes Christi fideles. Dedit Deus Moysi exemplar tabernaculi,[18] et Davidi archetypum templi;[19] Christus autem hodie proponit archetypum exemplar Ecclesiae. Est exemplum omnium fidelium ac veluti speculum virtutum, quae in christiano homine requiruntur. Sicut enim ad ingressum divini tabernaculi posita fuerunt multa specula,[20] sic sunt in Ecclesia omnes Sancti, in quorum vita nos contemplari possumus vultum animarum et conscientiarum no-

17) Cf. 10, 1-31. 18) Cf. Ex 25, 8-26, 1 sqq. 19) Cf. 2 Rg 7, 1-17. 20) Cf. Ex 38, 8.

strarum. Centurio autem hodiernus singulare est speculum virtutum omnium, quae ad salutem necessariae sunt. Sicut Iacob ante oves posuit virgas diversicolores, ut similes parerent agnos, [21] ita Deus in Ecclesia Sanctos exemplaribus heroicisque virtutibus ornatos praeditosque, ut fideles similes eis fierent. Centurio autem hodiernus virga est mira virtutum varietate ornata; hinc in hodierno Evangelio nobis proponitur.

Christus hodie fidem laudat, quia est causa bonorum omnium in mundo spirituali.

V. *Audiens autem . . . miratus est.* Sicut Deus lucis auctor : *Dixit . . . Deus : Fiat lux,* cum tenebrae essent *super faciem abyssi,* factam lucem veluti cum admiratione contemplatus fuit, hoc enim est illud: *Vidit Deus lucem quod esset bona :* [22] *vidit,* intuitus est, contemplatus est eam, eo quod esset dignum spectaculum ; sic hodie Christus auctor fidei miratus eam : *Audiens . . . miratus est.* Fides autem lux mundi est. Laudavit Deus lucem et Christus fidem ; *divisit* Deus *lucem a tenebris,* [23] Christus fidem ab infidelitate et fideles ab infidelibus: *Multi . . . venient et recumbent . . . in regno coelorum, filii autem regni eicientur in tenebras exteriores.* Fides lux est, purgans, illuminans et perficiens mundum ; purgat ab erroribus et vitiis : *Fide purificans corda eorum.* [24]

21) Cf. Gn 30, 37-41. 22) Ibid. 1, 2-4. 23) Ibid. 24) Act 15, 9.

FERIA SEXTA CINERUM

I. Sicut a fonte viventium, dulcium limpidarumque aquarum nonnisi dulces claraeque aquae emanant, ita a Deo Optimo Maximo nonnisi bona procedunt: *Vidit... Deus cuncta quae fecerat et erant valde bona.*[1] Bonam fecit terram, bonam aquam, bonum aerem, bonum coelum, solem, lunam, astra; sic bonam sanctamque dedit legem: *Lex quidem bona et mandatum sanctum.*[2] Et sicut Deus totus caritas et amor est, ita legem dedit amoris et caritatis plenam: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo* et *proximum tuum sicut teipsum; in his duobus mandatis universa lex pendet et Prophetae;*[3] sic: *Plenitudo... legis est dilectio;*[4] *Qui... diligit proximum legem implevit;*[5] sic praecepit hodie Christus ut proximum diligamus non tantum amicum, sed etiam inimicum: *Diligite inimicos vestros.*[6] Praeceptum utique non impossibile, sed perfectae caritatis, quae hominem Deo simillimum efficit: *Qui solem suum oriri facit super bonos et malos et pluit super iustos et iniustos.*[7]

Divina lex caritate plena est, quia Deus,

totus caritas cum sit, caritatem praecepit.

Audistis quia dictum est antiquis: Diliges proximum tuum et odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico, etc.[8]

II. Apparuit[9] Deus Moysi in igne,[10] quoniam ignis divinae naturae hieroglyphicum est: *Deus noster ignis consumens est.*[11] Quid sit au-

1) Gn 1, 31. 2) Rom 7, 12. Vulg.: *Lex quidem sancta*, etc. 3) Mt 22, 37-40. 4) Rom 13, 10. 5) Ibid. vr. 8. 6) Mt 5, 44; Lc 6, 27. 7) Mt 5, 45. 8) Pericope huius diei Mt 5, 43-6, 1-4. Cf. Missale Rom. Sic legitur in Missali Rom. iussu S. Pii V edito (a. 1570) et a Clemente VIII recognito (a. 1604). In posteriore autem, iussu Urbani VIII recognito, vox *antiquis* expuncta fuit. 9) In margine haec adiecta fuerunt: « In secundo die creationis mundi non legimus: *Vidit Deus quod esset bonum*, quod in omnibus aliis diebus legimus, quoniam divisionem odit Dominus et unitatem maxime diligit. Quoniam vero amor animorum unio est, odium vero divisio, hinc Deus amorem praecepit, non odium; item, quia *Deus caritas est*, in Divinis Scripturis dictus est *ignis*. Natura autem ignis est omnia homogenea similariaque corpora divisa unire. Si enim in fornacem mittantur plura metallorum frusta, ignis in unam massam omnia liquefacta counit. Sic hodie Christus praecipit ut etiam inimici diligantur, quoniam similes nobis sunt in natura, quamvis animo sint divisi ». 10) Cf. Ex 3, 2. 11) Dt 4, 24; Hebr 12, 29.

Deus legem dedit de medio ignis,

tem Deum ignem esse declarat Divus Ioannes dicens: *Deus caritas est.* [12] Sicut autem ab igne nonnisi igneus calor emanat, non autem frigus quod calori ignique contrarium est, sic a Deo, qui totus caritas est, nonnisi amor, benevolentia, dilectio; sic divina lex tota caritas est. Hinc Deus ipse de medio ignis legem dedit; sic enim legimus: *Totus... mons Sinai fumabat, eo quod descendisset Dominus... in igne,* [13] et: *Locutus... est Dominus ad vos de medio ignis,* [14] et: *Facie ad faciem locutus est nobis* Dominus *de medio ignis;* [15] hinc populus ait: *Ultra non audiam vocem Domini... et ignem hunc maximum amplius non videbo, ne moriar.* [16] Sic lex emanat de medio ignis divinae caritatis; quare ipsa quoque tota ignea est. Moyses enim ait: *In dextera eius ignea lex. Dilexit populos, omnes Sancti in manu illius sunt, et qui appropinquant pedibus eius accipient de doctrina illius.* [17]

quia ignis symbolum est caritatis;

Et Christus, qui legem non venit solvere, sed adimplere: [18] *Ignem,* inquit, *veni mittere in terram, et quid volo nisi ut accendatur?* [19] nisi ut ardeat? Ignis autem symbolum est caritatis: *Fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus aemulatio, lampades eius lampades ignis atque flammarum. Aquae multae non poterunt extinguere caritatem.* [20] Hinc Spiritus Sanctus in igne descendit. [21] Hic ignis est ille, quem Dominus super altare suum semper ardere voluit: *Ignis... semper ardebit super altari meo, quem nutriet sacerdos subiciens ligna... per singulos dies;* [22] hic est ignis, quo purgavit Seraph labia Isaiae; [23] hic igneus currus Eliae, [24] hic igneus thronus Dei: *Thronus eius flammae ignis, rotae eius ignis accensus; fluvius igneus rapidusque egrediebatur a facie eius;* [25] hic ignis positus ante ianuam paradisi, [26] ignis quem manu portabat Abraham pergens ad sacrificandum filium suum Isaac. [27]

ideo etiam praecepit ut ignis super altari semper arderet,

Ignis ergo caritas est; igitur lex ignis lex est caritatis: *Finis... praecepti est caritas de corde bono... conscientia pura et fide non ficta;* [28]

12) 1 Io 4, 8. 16. 13) Ex 19, 18. 14) Dt 4, 12. 15) Ibid. 5, 4. 16) Ibid. 18, 16. 17) Ibid. 33, 2-3. 18) Cf. Mt 5, 17. 19) Lc 12, 49. 20) Ct 8, 6-7. *Non poterunt* legitur in veteribus editionibus Vulg. In posterioribus autem, iussu Clementis VIII recognitis, emendatum fuit: *Non potuerunt.* Cf. *Biblia Lovaniensis*; Fortunatus Fanensis *Praefatio in S. Bibliis.* 21) Cf. Act 2, 2-3. 22) Lv 6, 12. Vulg.: *In altari semper ardebit,* etc. 23) Cf. Is 6, 6-7. 24) Cf. 4 Rg 2, 11. 25) Dn 7, 9-10. 26) Cf. Gn 3, 24. 27) Cf. ibid. 22, 6-7. 28) 1 Tim 1, 5. Vulg.: *De corde puro et conscientia bona,* etc.

Plenitudo... legis est dilectio. Hinc ait hodie Christus : *Audistis quia dictum est antiquis : Diliges proximum tuum.* Amorem semper praecepit Deus, nunquam odium. Non enim legimus in Scripturis Divinis: *Odio habebis inimicum tuum ;* imo antequam detur praeceptum diligendi proximum, praecipitur ne frater odio habeatur: *Non oderis fratrem tuum in corde tuo ;* [29] omnes autem homines natura fratres sumus, omnes ex eodem patre eademque matre nati. Imo praecepit Dominus signa dilectionis erga inimicos ostendi dicens : *Si occurreris bovi inimici tui aut asino erranti, reduc ad eum,* et *si videris odientis te asinum sub onere, non pertransibis, sed sublevabis cum eo.* [30]

semper enim amorem praecepit non tantum erga fratres, sed etiam erga inimicos.

Quare istud : *Odio habebis inimicum tuum,* δευτέροσις [31] erat, traditio et doctrina Pharisaeorum, [32] a populo tamen communiter recepta, quoniam non videbatur expresse contra legem, cum nullibi in lege praecipiatur manifeste inimicorum dilectio, sed potius, e contra, voluit lex omnes alienigenas gentes, propter idololatriae periculum, pro inimicis haberi, unde legimus praeceptum : *Cave ne unquam cum habitatoribus terrae illius iungas amicitias, quae sint tibi in ruinam... Ne ineas pactum cum hominibus illarum regionum,* [33] et : Cum tradiderit Dominus Deus tuus gentes in manu tua, *percuties eas usque ad internecionem ; non inibis cum eis foedus, nec misereberis earum, neque sociabis cum eis coniugia.* [34] Omnes igitur gentes alienigenae erant Hebraeis tanquam publici hostes legalesque inimici, tanquam populi alienae religionis, imo contrariae. Quare legalis ista et communis inimicitia veluti paries erat dividens Hebraeos a Gentibus. Sic P a u l u s ait : *Ipse... est pax nostra, qui fecit utraque unum, et medium parietem maceriae solvens, inimicitias in carne sua, legem mandatorum decretis evacuans, ut duos condat in semetipso in unum novum hominem faciens pacem, et reconciliet ambos in uno corpore Deo per crucem, interficiens inimicitias in semetipso.* [35]

Falsa autem Pharisaeorum interpretatione odium inimicorum Deus praecepisse putabatur,

quia mandaverat alienigenas gentes pro inimicis haberi, ob periculum idololatriae pro populo hebraeo.

Quare haec praecipua videtur esse hodie Christi intentio: inimicitiam hanc legalem ac publicam tollere, ut sicut omnes salvaturus advenerat, ita omnes reconciliaret et ex omnibus gentibus unum

Hanc autem legalem inimicitiam Christus hodie de medio tollit

29) Lv 19, 17. 30) Ex 23, 4-5. Vulg.: *Si videris asinum odientis te,* etc.
31) Ms.: *Deuterosis.* 32) Cf. Io. De La Haye *Biblia Maxima Versionum,* vol. 13, h. l.; Corn. a Lapide *Comment. in Matt.,* h. l. 33) Ex 34, 12-15. 34) Dt 7, 2-3.
35) Eph 2, 14-16.

praecipiendo omnium inimicorum dilectionem.

ovile constitueret.[36] Hinc in parabola hominis descendentis ab Ierusalem in Iericho declaravit etiam samaritanum alienigenam proximum esse,[37] et in hodierno Evangelio, causam reddens cur a fidelibus suis requirat ut inimicos etiam diligant, ait : *Si enim diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? Nonne et publicani hoc faciunt? Et si salutaveritis fratres vestros tantum, quid amplius facitis? Nonne et ethnici hoc faciunt?*[38] Omnes Israelitae consuetissimo sermone *fratres* dicuntur ; discipulis ergo suis, qui omnes Israelitae erant, iussit non tantum Israelitas fratres suos diligere, sed etiam Gentiles, qui communes et publici hostes habebantur. Ait ergo : *Audistis quia dictum est antiquis : Diliges proximum tuum,* idest hebraeum *et odio habebis inimicum tuum,* idest gentilem, cui secundum legem inimicitiae et odii signa potius quam amoris erant exhibenda; *Ego autem dico vobis : Diligite inimicos vestros.*

Hinc apparet imperfectionem legis mosaicae.

III. Lex Moysi imperfecta erat, *neminem ... ad perfectum adduxit lex. Hebraeis* 7 : *Reprobatio,* inquit, *fit prioris mandati, propter infirmitatem eius et inutilitatem, neminem enim ad perfectum adduxit lex;*[39] et 8 dicitur : *Nam si illud prius* Testamentum *culpa vacasset, non utique secundi locus inquireretur.*[40] Hinc ignis, de cuius medio lex data fuit, non erat clarus et purus, sed caliginosus. Sic enim legimus: *Accessistis ad radices montis, qui ardebat usque ad coelum erantque in eo tenebrae et nubes et caligo, locutusque est Dominus ad vos de medio ignis ;*[41] quod quidem divino mysterio legis imperfectionem designabat, ad quam perficiendam venturus erat Christus, sicut sol factus fuit a Deo post primam lucem ad clariorem perfectioremque diem efficiendum.[42]

Ideo hanc legem Christus non tollit, sed perficere vult,

Ob id Dominus in prima sua concione habita in monte ad discipulos suos, cum legis evangelicae primas docuisset theses primariaque iecisset fundamenta ac veluti principia posuisset, in quibus universa lex evangelica virtute continetur : *Beati pauperes spiritu,* etc.,[43] ne putaretur novae legis praedicatione veterem omnino velle destruere, ait : *Nolite putare quoniam veni solvere legem aut Prophetas : non veni*

36) Cf. Io 10, 16. 37) Cf. Lc 10, 30-37. 38) Mt 5, 46-47. 39) Vr. 18. Vulg.: *Praecedentis mandati . . . nihil enim,* etc. 40) Ibid. vr. 7. 41) Dt 4, 11-12. 42) Cf. Gn 1, 5-12. 43) Mt 5, 3; Lc 6, 20.

solvere, sed adimplere;[44] hoc est: Non veni destruere legem, sed perficere.

Quoniam vero, teste Divo Paulo: *Qui... proximum diligit legem implevit*, et: *Plenitudo... legis est dilectio*, propterea Christus praeceptum dilectionis proximi, – quod in lege est secundum maximumque post primum dilectionis divinae: *Diliges proximum tuum sicut teipsum*,[45] haec enim lex est naturalis, ut Dominus ait: *Omnia... quaecunque vultis ut faciant vobis homines, et vos facite illis; haec est enim lex et Prophetae*,[46] – perficere voluit, ut iustitia suorum fidelium abundaret supra iustitiam scribarum et Pharisaeorum; ait enim: *Nisi abundaverit iustitia vestra plusquam scribarum et Pharisaeorum, non intrabitis in regnum coelorum;*[47] idest: Nisi divinam legem multo perfectius servaveritis.

ut iustitia fidelium suorum supra Pharisaeorum iustitiam abundaret,

Iustitia Pharisaeorum erat non occidere, iustitia autem fidelium Christi nec irasci quidem contra proximum, nam: *Qui irascitur... reus erit iudicio*, etc.;[48] iustitia Pharisaeorum non moechari, iustitia autem christianorum nec videre quidem mulierem ad concupiscendum eam;[49] iustitia Pharisaeorum lex talionis et contrapassi sive repassionis, iustitia autem christianorum lex caritatis et patientiae, mansuetudinis et humilitatis; iustitia Pharisaeorum diligere amicum, iustitia autem christianorum diligere etiam inimicum.[50] Sic perfecit Dominus praeceptum istud: *Diliges proximum tuum sicut teipsum*, et quoad actum dilectionis et quoad obiectum. Quoad actum, ut nemini malum inferamus aut appetamus, ut nulla in nobis sit malivolentia, ira, odium, sed benevolentia, pax, amor, quod in nobis est; quoad obiectum vero, ut per proximum quemcunque hominum intelligamus, sive amicum sive inimicum, cuiuscunque sit generis, status, conditionis, etiamsi nobis infensissimus sit corde, lingua, manibus, odio, calumniis, persecutionibus. Vult nos minime *vinci a malo*, sed vincere *in bono malum*,[51] sicut Apostolus ait: *Maledicimur et benedicimus, persecutionem patimur et sustinemus, blasphemamur et obsecramus.*[52] Sic iubet Dominus ut inimicorum odium

quae circa externos tantum actus versabatur, dum iustitia christiana internas animi virtutes praecipue contemplatur.

Hoc specialiter patet in praecepto Christi de inimicorum dilectione.

44) Mt 5, 17. 45) Ibid. 22, 37-39. 46) Ibid. 7, 12. 47) Ibid. 5, 20. 48) Ibid. vr. 22. 49) Cf. ibid. vr. 28. 50) Cf. ibid. vrr. 38 sqq. 51) Rom 12, 21. 52) 1 Cor 4, 12-13.

amore rependamus, calumnias orationibus, persecutiones beneficiis : *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, et orate,* etc. [53]

Inimicus diligendus est, quia homo cum sit et imago Dei, vere proximus est.

IV. Sed quia praeceptum istud maximi momenti est et animalibus hominibus, non sapientibus quae Dei sunt, [54] impossibile videtur, declarandum nobis est. Inimicus quidem ideo diligendus est quia homo est, ad imaginem et similitudinem Dei ab ipsomet Deo formatus. [55] Haec est enim ratio ob quam praecepit Deus ne temere effundatur sanguis humanus : *Quicunque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius, ad imaginem quippe Dei factus est homo.* [56] Inimicus ergo non magis nobis diligendus est quam quivis alius homo; omnis enim homo, ut eiusdem consors naturae, proximus utique et frater noster est.

Amor, quem Christus praecipit, non tantum negativus est, excludens omnem malevolentiam,

Amor igitur, quo omnes homines tenemur diligere, primo quidem necesse est ut omne odium, malivolentiam et iniustam iram excludat, non tantum a manu et lingua sed etiam a corde, non tantum ab effectu sed etiam ab affectu et animo. Sic enim quis amare aliquem dicitur ac bene ei velle, quia non odit vel male vult, sicut aquam, quae frigida non est, calidam esse dicimus, et quicquid malum non est, dicimus esse bonum. Ad huius ergo praecepti observantiam hoc primum summe necessarium est, ut inimico neque effectu malum quodvis inferamus laedendo lingua vel manu in persona, substantia, honore, fama aut quibusvis aliis bonis praesentibus vel futuris, neque animo affectuque malum vel corporale vel spirituale, temporale vel aeternum cupiamus.

sed etiam positivus, praecipiens benevolentiam affectu et effectu.

Et hic quidem amor potius est negativus malivolentiae, quam benivolentiae affirmativus. Christus autem praecipit non tantum non odisse, sed etiam diligere; non tantum non male agere aut velle, sed etiam bene et velle et agere. Amor igitur affirmativus et positivus est vel particularis vel universalis : particularis, uti est inter singulares amicos, et ad hoc non obligat Christus, quia non tenemur omnes homines particulariter diligere et cum singulis amicitias inire; sufficit ergo universali amore inimicum diligere.

Adhuc amor est vel effectus vel affectus : effectus est benefacere,

53) Mt 5, 44. 54) Cf. 1 Cor 2, 14. 55) Cf. Gn 1, 26-27; 5, 1. 56) Ibid. 9, 6.

affectus bene velle. Utrunque praecipit Christus : *Diligite... benefacite... orate*, [57] non autem in particulari, nisi in tempore necessitatis et cum adest facultas praestandi particulare beneficium ; ab universalibus autem non possunt excludi nec beneficiis nec orationibus. Sic enim Deus *solem suum oriri facit super bonos et malos pluitque super iustos et iniustos*, [58] a generalibus beneficiis non excludit inimicos suos.

Non mandat tamen omnibus singulis benefaciendum, nisi cum necessitas urgeat et adsit facultas;

Amor item iste affectus vel sensualis est vel rationalis : sensualis, qualis est amor concupiscentiae ; rationalis, qualis est amor amicitiae et virtutis. Non astringit nos Christus ad primum amorem, sed ad secundum, ut bona quaevis proximi tanti faciamus, quanti pendimus et existimamus nostra.

nec praecipit affectum sensualem sed rationalem

Iste item amor alius est corporalis, terrenus et mundanus, alius spiritualis, coelestis et divinus, et hunc praecipue Christus requirit, ut coelestia aeternaque, spiritualia et divina bona proximis appetamus. Et hoc quidem quoad actum amoris.

et spiritualem, ut coelestia bona praecipue proximis appetamus.

V. Quoad obiectum vero non mandat Christus ut diligas inimicum quatenus inimicum, sed mandat ut quaeras eum, qui tibi est inimicus, in amicum convertere odiumque et inimicitiam in amorem et amicitiam commutare mirabili virtutis alchimia, quae lutum in aurum optimum divina arte et ratione facillime convertit. Inimicus vero ideo inimicus est tibi quia tu illum laesisti, vel quia ille te laesit. Si tu illum laesisti, teneris utique tu quaerere reconciliationem. Sic docet Christus : *Si... offers munus tuum ad altare et ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum ante altare et vade prius reconciliari fratri tuo, et tunc veniens offeres munus tuum.* [59] Tu debes quaerere reconciliationem, quia tu reus es delicti, tu damnum intulisti, tu debitor es Deo, tibiipsi et proximo tuo : Deo, quia divinam legem transgressus fuisti ; tibiipsi, quia animam tuam perdidisti, teipsum damnasti ; proximo tuo [60], quia eum turbasti eiusque animam contra te in iram, odium et inimicitiam concitasti, inferens iniuriam damnumque in personam, substantiam, honorem, famam et similia. Quare venenum illi propinasti, veneno

Inimicus diligendus est non qua inimicus, sed ut amicus fiat.

Si ipse sit persona laesa, quaerenda ab eo est reconciliatio;

57) Mt 5, 44. 58) Ibid. vr. 45. Vulg.: *Et pluit*, etc. 59) Ibid. vrr. 23-24.
60) Ms.: *Proximum tuum*.

odii, quod homini summe letiferum est, illum infecisti. Si ergo salvare vis animam tuam, necesse est ut reconciliationem quaeras, ut tu te illi inclines humiliesque et pacem petas iustamque satisfactionem exhibeas; hoc enim nedum caritas, sed iustitiae lex requirit.

si autem ipse sit laedens, et iniuria futura, praecaveri potest; si iniuria praesens, licet defendi ab iniustitia, et si praeterita, iuste compensari,

Si vero ille tibi iniuriam intulit, ille ignem accendit irarum et odiorum fomitem ministravit, tunc vel iniuria praesens est actualisque illatio damni, vel praeterita aut futura. Si futura est, potes teipsum caute ab inimico custodire iniuriamque effugere, sicut David se gessit erga Saul; [61] si praesens est, potes teipsum defendere et vim vi repellere, inculpata tamen tutela, [62] quae de iure naturae est, nisi velis propter Deum patienter ferre cum sanctis Christi martyribus, ut sit anima tua *sicut lilium inter spinas.* [63] Si vero praeterita est iniuria et damni illatio et compensari potest secundum iustitiae aequitatem, si vis iniuriam omnem omneque damnum remittere, in tua est potestate ac libera voluntate opusque est summa laude dignum; si vero remittere nolis, potes coram iudice ius tuum prosequi, omni tamen rancore odioque deposito, ad ius tuum, salva conscientia salvisque legibus, tutandum, ut damnum tibi secundum aequitatem compensetur, ut requirit iustitia, ut delictum puniatur ad Dei gloriam, in exemplum aliorum, ad servandam legum iustitiam, et pro salute etiam saltem animae ipsius inimici. Si autem illatum damnum compensari non potest, tunc tenetur remittere, ne dicatur ei: *Serve nequam, omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me; nonne ergo oportuit et te misereri conservi tui, sicut et ego tui misertus sum?* [64]

vel coram iudice ius proprium sine ullo odio prosequi, nisi tamen quis velit patienter tolerare; si vero compensatio impossibilis sit, remittendum est ex caritate,

Sed, proh dolor! quot similes habet hic hodie! Dimiserat eum rex et debitum dimiserat ei decem millium talentorum, quoniam rogaverat eum: *Patientiam habe in me et omnia reddam tibi;* inveniens tamen *unum de conservis suis, qui debebat ei centum denarios.... tenens suffocabat eum dicens: Redde quod debes,* cum infelix ille rogaret: *Patientiam habe in me et omnia reddam tibi.* [65] Sic itaque Dominus praecipit diligendos esse inimicos: *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos et orate pro persequentibus et calumniantibus vos.*

non ut nequam servus qui, magno debito a domino sibi remisso, parvum conservo remittere noluit.

61) Cf. 1 Rg 20, 1-21, 1 sqq. 62) Axioma iuridicum: *Vim vi repellere omnes leges et omnia iura permittunt, tamen cum moderamine inculpatae tutelae. Decretales* Gregorii IX, lib. 5, tit. 12, *de homicidio*, cp. 18. Cf. Ios. Ferrari *Summa Institut. Can.*, tit. 25, t. 1, pag. 280. 63) Ct 2, 2. 64) Mt 18, 32-33. 65) Ibid. vrr. 24-29.

VI. Bone Deus, qualem caritatem requirit Christus a nobis! *Fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus aemulatio; lampades eius lampades ignis atque flammarum. Aquae multae non poterunt extinguere caritatem, nec flumina obruent illam. Aquae multae,* quae intrant usque ad animam, sunt inimicitiae et odia, et tamen ait: *Diligite inimicos,* non unum tantum, sed omnes, *benefacite his qui oderunt vos.* Vult ut caritas superet omnes inimicitias, omnia odia; nec tantum haec, sed etiam omnes persecutiones et calumnias. Haec sunt *flumina,* persecutiones, quales sustinuit David a Saul; calumnias et falsorum criminum impositiones, quales sustinuit Ioseph ab iniqua domina; [66] persecutiones et calumnias, quales Christus a synagoga sustinuit, ob quas crucifixus fuit, et tamen in cruce oravit pro inimicis: *Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.* [67] Stephanus quoque persecutiones et calumnias falsasque criminationes passus a Iudaeis fuit, et tamen pro eis moriens oravit, dum lapidibus obrueretur: *Domine, ne statuas illis hoc peccatum.* [68] Hoc enim perfectae ac vere divinae caritatis est opus: *Diligite inimicos,* diligite ex caritate.

Haec est caritas quam Christus requirit, quae omnia odia superat omnesque persecutiones.

Haec autem bona arbor est, quae facit fructus bonos et non potest malos fructus facere: [69] *Fructus autem spiritus,* idest divinae caritatis divinique amoris et gratiae, *est caritas,* idest dilectio, *gaudium, pax, patientia,* etc. [70] Hinc subiungit Christus: *Benefacite.* Arbor cognoscitur a fructibus, causa ab effectibus, fons a rivo, sol a radio, ignis a calore: *Benefacite,* Deus enim dat *velle et perficere pro bona voluntate.* [71] Declarat hoc praeceptum Christi D i v u s P a u l u s dicens: *Nolite esse prudentes apud vosmetipsos, nulli malum pro malo reddentes, providentes bona non tantum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus. Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habete, non vosmetipsos defendentes, carissimi, sed date locum irae; scriptum est enim: Mihi vindictam* et *ego retribuam, dicit Dominus. Sed si esurierit inimicus tuus, ciba illum; si sitit, potum da illi; hoc enim faciens carbones ignis congeres super caput eius. Noli vinci a malo, sed vince in bono malum.* [72] Hoc idem docuit S a-

Haec est vera caritas quae bona pro malis reddit,

sicut docent etiam D. Paulus et Salomon.

66) Cf. Gn 39, 7-20. 67) Lc 23, 1-34. Vulg.: *Dimitte illis, non enim sciunt,* etc.
68) Act 7, 54 sqq. 69) Cf. Mt 7, 17-18. 70) Gal 5, 22. 71) Phil 2, 13.
72) Rom 12, 16-21. Vulg.: *Pacem habentes . . . mihi vindicta, ego* etc. *Et* lect. cod. *Vindictam* legitur in veteribus editionibus Vulg. Cf. *Biblia Lovaniensis,* h. l.

lomon: *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum; si sitierit, da illi aquam... prunas enim congregabis super caput eius, et Dominus reddet tibi.* [73]

Inimicus diligendus est, a) quia instrumentum Dei est pro spirituali bono patientis,

VII. *Ut sitis filii Patris vestri, qui in coelis est, qui solem suum oriri facit super bonos et malos et pluit super iustos et iniustos.* [74] Adducit Christus multas rationes ad persuadendam nobis inimicorum dilectionem, opus istud perfectae caritatis, praeterquam quod praeceptum est tum legis naturalis tum legis divinae tum etiam evangelicae, quae tota caritas et amor est. Et huius quidem rei in Divinis Scripturis multae rationes redduntur. Unam reddit rex David, qui, cum fugeret a facie filii sui Absalom cum exercitu suo, Semei, de cognatione Saul, coepit multis iniuriis ipsum impetere et lapides contra eum mittere. Quem cum Abisai, filius Sarviae, vellet occidere, prohibuit eum David dicens: *Dimittite eum ut maledicat* mihi, *Dominus enim praecepit ei ut malediceret David. Et quis est qui audeat dicere quare sic fecerit?... Dimittite eum ut maledicat* mihi, *iuxta praeceptum Domini, si forte respiciat Dominus afflictionem meam et reddat mihi Dominus bonum pro maledictione hac, die hodierna.* [75] Sic etiam Beatus Iob quicquid a diabolo et malis hominibus passus fuit, a Dei manu accepit dicens: *Si bona suscepimus de manu Domini, mala* autem *quare non sustineamus?* [76] *Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit, ita factum est.* [77] Si enim Deus nollet, neque omnes mundi homines, quamvis tibi inimicissimi, neque omnes daemones inferni possent tibi vel in minimo capitis tui capillo damnum inferre. Sic Deus apud Isaiam vocat Assur regem *virgam furoris sui.* [78] Hanc eandem causam Christus reddidit Petro dicens: *Calicem, quem dedit mihi Pater, non* vis ut *bibam illum?* [79] Sic saepe Deus utitur inimico tanquam virga ad percutiendum.

sicut docuit David a Semei iniuriatus

et Iob a diabolo et ab hominibus impetitus et ipse Christus;

b) quia dilectione inimicus in amicum convertitur;

Aliam rationem reddit Salomon: *Si esurierit inimicus tuus, ciba eum; si sitierit, da illi aquam... prunas enim congregabis super caput ipsius, et Dominus reddet tibi,* sive pacificabit tibi. Et hanc

73) Prv 25, 21-22. 74) Mt 5, 45. 75) 2 Rg 16, 5-12. Sic legitur in veteribus editionibus Vulg. In posterioribus autem, iussu Clementis VIII recognitis, *die* expunctum fuit. Cf. *Biblia Lovaniensis*, h. l. 76) 2, 10. Vulg.: *De manu Dei... quare non suscipiamus?* 77) Ibid. 1, 21. 78) Cf. 10, 5. 79) Io 18, 11. *Vis ut* lect. cod.

eandem reddit Divus Paulus iisdem verbis; sicut enim ignis ligna convertit in ignem, sic amor gignit amorem benefaciendo, sic beneficiis affectus inimicus deponit odium et in amorem convertit.

Aliam rationem assignat Divus Paulus: *Nulli malum pro malo reddentes... sed date locum irae; scriptum est enim: Mihi vindictam* et *ego retribuam, dicit Dominus*. Quis est potentior ad sumendum vindictam de inimicis: Deus an homo? Promittit tibi Deus, o homo, quod ipse vindictam sumet de inimicis tuis, quia omnia potest et omnia novit suoque tempore et loco quaecunque vult operatur. Quid si rex tibi diceret: Relinque mihi vindictam, sumam eam ego de inimicis tuis: non fideres verbis regis? Fide ergo verbis Dei.

c) quia cum remittis Deus de malo vindictam sumet et virtutem praemiis afficiet;

Aliam rationem assignavit Christus ad consequendam peccatorum remissionem: *Si*, inquit, *dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet... vobis Pater vester coelestis delicta vestra; si autem non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra.* [80] Hoc docuit Christus in praeclara illa parabola decem millium talentorum; [81] *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur;* [82] *Dimittite et dimittemini... mensuram bonam et confertam et coagitatam et supereffluentem dabunt in sinum vestrum.* [83] O homo, debitori libenter dimitteres parvum debitum, si tibi a tuo creditore dimitteretur magnum; dimitteres unum ut tibi dimitterentur centum aut mille.

d) quia qui proximo remittit, a Deo remittetur.

VIII. At vero [84] in sacrosancto hodierno Evangelio Christus multas quidem et efficacissimas rationes adducit. Et prima quidem est, quoniam praecepit Deus diligere proximum: *Diliges proximum tuum sicut teipsum.* Proximus autem omnis homo est ratione naturae communis et ratione divinae imaginis et similitudinis. Hinc prae-

In hodierno vero Evangelio plures aliae afferuntur rationes huius praecepit:

80) Mt 6, 14-15. 81) Cf. Ibid. 18, 24-35. 82) Ibid. 5, 7. 83) Lc 6, 37-38.

84) In margine haec adiecta fuerunt: « *Diliges proximum tuum sicut teipsum.* Causa praecipua, ob quam diligendus est homo, haec est: quoniam *ad imaginem Dei* formatus est ab ipsomet Deo. Hanc Deus ipse in *Genesi* reddidit: *Non effundes humanum sanguinem, ad imaginem quippe Dei factus est homo.* Nunc, quaeso, dicas mihi: Si in hac civitate esset crucifixi imago in templo, quam certissima esset fides, quod non artificis alicuius manu pictoris vel sculptoris facta esset, sed ipsiusmet Christi manu divino miraculo, casu autem aliquo crucifixus ille super te cadens rumperet tibi caput, tu, quaeso, dicas mihi, quid faceres? Num contra divinam illam imaginem irascereris? Num, quia te laedit, ira in terram proiectam confringeres? Esses tam impius? Minime, sed reverenter eam levares. Sed homo viva Dei imago est ipsiusmet manu facta: *Manus tuae*, Domine, *fecerunt me et plasmaverunt me totum* ».

a) quia inimicus proximus est ratione naturae;

cepit Deus ne occidatur homo, quoniam *ad imaginem... Dei factus est.* At inimicus tuus est homo *ad imaginem et similitudinem Dei* sicut et tu ; ergo est proximus et frater tuus ; diligendus igitur est iure tum naturali tum divino: naturali, quia est frater tuus, tibi similis, eiusdem naturae consors, creatura Dei sicut et tu ; divino, quia praecipit Deus.

b) quia Christus est Deus verus qui hoc praecipit,

Secunda ratio est : *Ego autem dico vobis : Diligite inimicos vestros.* Diabolus, inquit, suadet ut inimicum odio habeas ; ego autem, vivus et verus Deus, praecipio ut diligas inimicum tuum. Cui tibi magis obediendum est : Deo an diabolo ? Responde, o homo, qui cum christianum te esse profitearis, inimicos tamen tuos mortali odio prosequeris atque persequeris, [85] responde, inquam, cui magis obtemperandum est : diabolo an Christo ? an Deo vero ?

et quidem sua auctoritate

Ego autem dico vobis. Ostendit Dominus divinam auctoritatem suam, sicut Absalom praecipiens servis suis ut occiderent Amnon fratrem, propter stuprum sororis Thamar : *Ego,* inquit, *sum qui praecipio vobis, roboramini.* [86] Sic Christus hodie : *Ego autem dico vobis : Diligite inimicos.* Praecepit Assuerus ut Aman, magnus princeps, acciperet Mardochaeum, quem summo odio prosequebatur, indutumque regalibus vestimentis et impositum super equum regis duceret cum tali honore et pompa per universam civitatem tenens equum eius, et clamans diceret : *Hoc honore dignus est quemcunque rex honorare voluerit.* [87] Aman autem, quamvis talis ac tantus princeps esset talique ac tanto odio Mardochaeum prosequeretur, eo quod ipsi condignum non exhiberet Mardochaeus honorem, nihil tamen praetermisit eorum quae rex praecepit, sola regis auctoritate motus. Sic Christus rex coeli et terrae, verus Deus, auctoritate praecipit : *Ego autem dico vobis ;* et nos quidem tantopere movet hominis regis auctoritas, et nihil movebit auctoritas Christi ?

et sub interminatione aeternae mortis;

Si princeps tuus tibi sub mortis et publicationis omnium bonorum tuorum interminatione praeciperet ut inimicum nihili laederes aut pacem inires, o homo, quid ageres ? Dic mihi, quid ageres ? Velles tu potius privari et bonis et vita, quam pacis foedus inire et cum inimico conciliari ? Non utique. Et tamen praecipit Christus, prae-

85) Ms. : *Persequeris atque persequeris.* 86) 2 Rg 13, 22-28. 87) Est 6, 6-11. Vulg.: *Condignus . . . voluerit honorare.*

cipit Deus sub eadem interminatione, privationis, inquam, omnium bonorum et vitae, sub poena mortis aeternae, quam incurrunt omnes qui divina transgrediuntur mandata, et tu divina haec iussa contemnis, divinam auctoritatem spernis, flocci ac nihili pendis? Et diabolo magis quam Christo obediens ac morem gerere volens, christianum te esse profiteris? Sic cum Adamo serpentis antiqui vocem magis audis quam Dei, invitoque Deo, vetitum vis comedere pomum? [88]

Tertia ratio est: *Si enim diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? Nonne et publicani hoc faciunt?* Sicut, inquit, iis qui in stadio currunt proponitur bravium, quod datur ei qui velocius currens primus pervenit ad metam meliusque cucurrit, et iis qui in agone contendunt et certant proponitur corona in honorem victoriae praemiumque certaminis; [89] sic diligentibus inimicos magnum est a Deo praemium in coelo paratum. [90] Sicut Saul praemium

c) quia maximum praemium promittitur servatoribus, idest paradisus;

88) Cf. Gn 3, 6. 89) Cf. 1 Cor 9, 24-26. 90) In margine haec adiecta fuerunt: « Apud Lucam legimus: *Diligite inimicos vestros . . . et erit merces vestra multa et eritis filii Altissimi.* O merces vere magna et infinita! Nam: *Si . . . filii, et heredes.* Quid maius vel excogitari potest quam esse filium summi Dei? Magna est promissio et efficacissima. Multi inimicos persequuntur et quaerunt occidere, quoniam timent sibi ab inimicis. At si propter Deum diligas inimicos et, quod ex te est, velis cum eis pacem habere, promittit tibi Deus paternam protectionem, sese obligat protegere te atque defendere ab omnibus inimicis visibilibus et invisibilibus tanquam pater amantissimus dilectissimum filium. Addit autem Christus: *Ut sitis filii*, sive eritis filii, *Patris vestri, qui in coelis est;* quod quidem omnipotentiam Dei designat, nam Deum esse in coelis est Deum esse ubique per potentiam, praesentiam et essentiam: *Coelum et terram ego adimpleo.* Ubique ergo et semper te Deus protegere et defendere poterit paterna protectione. Ex his etiam verbis: *Qui in coelis est*, alia elicitur ratio satis efficax ad revocandum animum a vindicta de inimicis sumenda. Si videres inimicum tuum in praesentia principis tui vel in domo ipsius, tu ob reverentiam principis non auderes illum coram eo aggredi et armis petere coram principe vel in domo ipsius, ob respectum principis, ne ipsi principi iniuriam faceres. Hoc est quod Christus hic ait quod Deus in coelis est, idest ubique praesens est. Mundus hic domus est Dei, palatium summi regis. Tu ergo in domo principis, praesente principe, in oculis eius te de inimico tuo ulcisceris? Dei praesentiam nihil vis revereri? An infidelis es ut non credas ubique Deum esse praesentem? Assuerus contra Aman iratus fuit, arbitratus quod vellet reginam Esther occidere, quoniam vidit eum in lecto reginae prostratum: Adhuc, inquit, *praesente me, in domo mea* vult illam opprimere. Sic Deus dicere tibi potest: Praesente me, in domo mea vis inimicum tuum occidere? Meam non revereris praesentiam? Praeterea, cum hic divina ostendatur potentia: *Qui solem suum oriri facit*, etc., ostenditur quod potest Deus quam facillime vindicare te de inimicis tuis, si tu illi relinquas vindictam, nam ait: *Mihi vindictam, et ego retribuam.* Si vindicavit Hebraeos de Aegyptiis, Moysen de Pharaone, Davidem de Saule, Absalone, Siba et omnibus inimicis suis, Eliam de Iezabele et Achab, Ezechiam de Sennacherib, Danielem de satrapis Persarum et Medorum, Mardochaeum de impio Aman, et ante hos omnes vindicavit Ioseph de fratribus, Iacob de Laban, Isaac de Ismaele, Abel de Cain; Deus igitur et potest et vult vindicare electos suos, quos tanquam filios carissimos diligit, ab omnibus inimicis, sicut Christum vindicavit de Iuda et Iudaeis: *Mihi vindictam, et ego retribuam*, sicut David sumpsit vindictam de rege Ammonitarum ob

magnum proposuit percutienti gigantem philisthaeum : *Virum . . . qui percusserit eum, ditabit rex divitiis multis et filiam suam dabit ei et domum patris sui faciet absque tributo in Israel,* [91] et sicut David proposuit praemium percutienti iebusaeum : *Omnis qui percusserit iebusaeum in primis erit princeps et dux;* [92] sic Deus magnam mercedem promisit diligentibus inimicum : *Merces vestra magna est in coelo.* [92a] Praemium enim paradisus est, universa gloria coeli, vita in aeternum beata.

maxima ergo stultitia esset divinum hoc praemium spernere, diaboli suggestionibus obediendo,

Qui autem mentis insania ductus et a diabolo excaecatus divinum hoc praemium spernit, gloriam filiorum Dei, similis mihi videtur vilissimo mancipio, qui abiens cum domino suo, viro quidem nobilissimo, invadatur ab inimico, qui dominum primo multo gravius percutiat quam servum illum vilissimum, post acceptam vero iniuriam, dominus quidem non solum requisitus, sed etiam requirens et offerens, velit facere pacem, cupiens pacifice vivere ; servus autem nullo modo velit dicens indignum sibi esse iniuriam talem remittere, non sese vindicare, praecipiat illi dominus et nolit, roget suoque moveat exemplo et nolit ; tandem promittat ei se illum libertate multisque bonis donaturum, imo in filium adoptaturum instituturumque heredem, et adhuc obstinatissimus vilissimusque animus nolit, dignus ut sub verberibus et flagellis turpissimam illam animam emittens vitam claudat. Sic accidit, o homo, quotiescunque tu ab inimico laesus et iniuria affectus invasusque fuisti. Deus, qui tuus est Dominus, cuius tu vilissimus servus es, primo ac principaliter fuit offensus : *Tibi soli peccavi,* [93] et Deus quidem principaliter offensus vult, vult, offert, requirit pacem. Tibi autem praecipit hodie, persuadet, rogat quodammodo, promittit mercedem : *Ut sitis filii Patris vestri, qui in coelis est;* et recusas ? Et dicis indignum esse ?

Dei praeceptum transgrediendo;

Quarta ratio est : *Si salutaveritis fratres vestros tantum, quid amplius facitis ? Nonne et ethnici hoc faciunt?* Non vultis, inquit, vos ethnicis meliores esse ? Arbor plantata in horto optimeque culta non

iniuriam illatam legatis suis regnumque universum illius destruxit. Facillimum autem Deo est te vindicare, quoniam ipse est *qui solem . . . oriri facit* et pluviam mittit, quae quidem potissimae causae sunt omnium temporalium bonorum, sanitatis etiam et vitae ».

91) 1 Rg 17, 25. Vulg.: *Divitiis magnis . . . patris eius*, etc. 92) 1 Par 11, 6.

92a) Mt 5, 12. Vulg.: *Copiosa est in coelis.* 93) Ps 50, 6.

debet uberiores fructus facere quam ea quae in silva inculta agrestis nata est? Vitis bene culta, potata, fossa, custodita, non producet meliorem uvam agrestibus vitibus? Ager cultus, aratus, fossus, seminatus, purgatus a lapidibus et spinis non afferet copiosiorem messem quam incultus et minime seminatus? Nullum melius ac perfectioris virtutis opus fideli et barbaro homine? Ah res indigna! Nihil igitur vis ut prosit tibi Baptismus, nihil fides, nihil Evangelium Christi, nihil Sacramenta, nihil Sanguis, nihil passio, nihil mors, nihil gratia Christi et Dei, nihil praedicatio misericordiae et iustitiae Dei, nihil fides paradisi atque inferni pro virtutum praemio vel peccati vitiorumque punitione? Ah, frater, non exhorrescunt aures tuae, audito quod infideli nihili velis melior esse?

d) quia Christi fideles meliores infidelibus oportet esse;

Quinta ratio est: *Ut sitis filii Patris vestri, qui in coelis est, qui solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super iustos et iniustos.* Filios, inquit, decet imitari patrem, eius mores, eius virtutes, eius vitam, eius exempla sequi. Vos, inquit, per fidem et gratiam Baptismi estis filii Dei, ergo Deum necesse est imitari. Sed Deus diligit non tantum amicos, sed etiam inimicos, benefacit non tantum bonis et iustis, qui sunt eius amici atque dilecti, sed etiam malis et iniustis, qui Dei inimici sunt: *Solem suum oriri facit... et pluit,* quae beneficia sunt et opera divinae providentiae, non tantum super fideles suos, sed etiam super infideles, cum tamen possit facere ut fidelibus tantum, non infidelibus, oriatur sol, sicut in Aegypto fecit ut oriretur Hebraeis et non Aegyptiis.[94] Et Deum quidem inimicis suis beneficia ista praestare experimur sensu, videmus oculis, et nos non imitamur? *Si filii Abrahae estis, opera Abrahae facite.*[95]

e) quia filios decet imitari Patrem qui etiam inimicis benefacit.

O christiani, nos volumus potius diaboli quam Dei filii esse? Diabolum potius quam Deum imitari? Malis dicit Christus: *Vos ex patre diabolo estis et desideria patris vestri vultis facere;*[96] omne autem odium et rancor a diabolo est. Vide, vide, christiane, hodie quid eligas, cuius filius esse velis. Deus pro salute omnium fecit oriri *solem suum,* nasci Christum pro salute omnium, *pluit* salutarem gratiam Spiritus Sancti, quae coelestis est pluvia terram cordis nostri fecundans et fructificare faciens. *Sic... Deus dilexit mundum,*[97] ini-

rancor autem et odium ex diabolo est et filium diaboli constituit;

94) Cf. Ex 10, 23. 95) Io 8, 39. 96) Ibid. vr. 44. 97) Ibid. 3, 16.

micum suum, mundum, qui *totus in maligno positus est :* [98] *Cum inimici essemus* misit Filium suum ad reconciliandum nos Deo per gratiam. [99]

f) quia iniurias dimittere et iniuriantes diligere impossibile non est,

Sexta tandem ratio : *Estote* et *vos perfecti, sicut et Pater vester coelestis perfectus est;* [100] *Estote . . . misericordes, sicut . . . Pater vester* coelestis *misericors est.*[101] Diligere, inquit, inimicos eisque benefacere non opus impossibile est, sed perfectae virtutis, perfectae misericordiae, perfectae caritatis. Quaecunque autem suapte natura similia sunt, similia utique operari possunt. Homo autem suapte natura Deo similis est ; similia igitur operari potest. Deus diligit et benefacit inimicis ex perfecta sua misericordia et caritate ; ergo et homo id facere potest. Quod Ioseph fecit cum fratribus, [102] David cum Saule, [103] Stephanus cum lapidantibus, [104] Christus cum crucifigentibus : [105] *Estote . . . perfecti, sicut . . . Pater vester coelestis perfectus est.* Naturale est desiderium in patrum cordibus ut filii ipsis vita, moribus et virtu-

nec indignum,

tibus assimilentur. Sic Deus quoque desiderat ut perfecti in omnibus virtutibus et maxime in caritate simus similes Deo, qui totus *caritas est.* [106] Tu autem, o frater, dicis indignam animi vilitatem esse non sumere de inimicis vindictam, iniurias non septuplo ulcisci, parcere inimicis, iniurias dimittere ? Opus perfectae virtutis tu dicis animi vitium esse ? Ponis bonum in malum, lucem in tenebras, dulce in amarum ? [107] Sed si indignum est honoris praeiudicium iniurias dimittere et parcere inimicis, Deus, qui honoris sui zelantissimus est :

imo est opus perfectae virtutis et verae animi nobilitatis.

Honorem meum alteri non dabo, [108] non dimittet tibi peccata tua, non parcet tibi, sicut et tu inimico non parcis : *Sic . . . Pater meus coelestis faciet vobis, si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris.* [109] In hoc elucet perfecta misericordia et caritas Dei quod inimicos diligit, eis benefacit, parcit, dimittitque peccata et gratiam largitur vitamque aeternam.

98) 1 Io 5, 19. 99) Rom 5, 10. 100) Mt 5, 48. 101) Lc 6, 36. 102) Cf. Gn 45, 1 sqq. 103) Cf. 1 Rg 24, 1 sqq. 104) Cf. Act 7, 59. 105) Cf. Lc 23, 34. 106) 1 Io 4, 8. 107) Cf. Is 5, 20. 108) Ibid. 42, 8; 48, 11. Vulg.: *Gloriam meam,* etc. 109) Mt 18, 35.

II. ALIA HOMILIA

Audistis quia dictum est antiquis: Diliges proximum tuum et odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis: Diligite, etc. [1]

I. Cum nos, teste Sacro Eloquio, ad *imaginem et similitudinem Dei* [2] conditi simus, requirit a nobis hodie Dominus ut Deo virtutibus simus quam similes sicut luna soli. Hinc ait: *Estote... perfecti, sicut et Pater vester coelestis perfectus est.* [3] Apud Lucam legimus: *Estote... misericordes, sicut et Pater vester* coelestis *misericors est.* [4] Loquitur ergo de perfectione caritatis, nam: *Deus caritas est.* [5] Hinc divina lex tota in caritate consistit: *Finis... praecepti est caritas de corde puro et conscientia bona et fide non ficta;* [6] *Plenitudo... legis est dilectio;* [7] *In his duobus mandatis universa lex pendet et Prophetae: Diliges Dominum Deum tuum* et *proximum tuum sicut teipsum.* [8] Hinc Christus hodie praecipit ut propter Deum diligamus inimicos: *Ut sitis,* inquit, *filii Patris vestri, qui in coelis est.* [9]

Christus hodie caritatem praecipit, quia *Deus caritas est* et eius lex in caritate consistit.

Caritas finis est et forma evangelicae legis, virtutum omnium excellentissima, ut lux inter colores, sol inter planetas, aurum inter metalla. Haec mihi videtur praefigurata in prima luce, quam Deus condidit et *vidit... quod esset bona.* [10] Sicut enim sine luce hic mundus frustra fuisset creatus a Deo, nihil enim iucunditatis nihilque utilitatis haberet, sic mysticus Ecclesiae mundus sine caritate nil valet. Sic docet Apostolus: *Si linguis hominum loquar et Angelorum..., si habuero prophetiam et noverim mysteria omnia et omnem scientiam et... omnem fidem, ita ut montes transferam, caritatem autem non habeam, nihil sum. Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, et si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, caritatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* [11]

Caritas est forma legis evangelicae,

Sicut autem lux forma est et origo omnium colorum, ita caritas virtutum, secum enim omnes virtutes affert: *Caritas patiens est,*

quia origo est omnium virtutum et causa iustificationis,

1) Mt 5, 43. Cf. supra, not. 8 praec. hom., pag. 167. 2) Gn 1, 26; 5, 1; 9, 6. 3) Mt 5, 48. 4) 6, 36. 5) 1 Io 4, 8. 16. 6) 1 Tim 1, 5. 7) Rom 13, 10. 8) Mt 22, 37-40. Ordine inverso affert hos vrr. 9) Ibid. 5, 45. 10) Gn 1, 4. 11) 1 Cor 13, 1-3. Vulg.: *Ita ut montes transferam, caritatem autem non habuero*, etc.

benigna est, etc.[12] Haec mihi esse videtur firmamentum dividens inter aquas superiores et inferiores,[13] inter iustos et iniustos, caritas enim est quae iustificat. Haec *lignum vitae,*[14] vitam enim homini aeternam confert; haec est arca Noe,[15] haec altare Abrahami, super quo filium immolavit;[16] haec puteus aquarum viventium Isaac, quem *latitudinem* appellavit;[17] haec scala Iacob,[18] haec aureus scyphus Ioseph,[19] haec rubus ardens Moysi,[20] haec virga Aaron educens de lapide aquas,[21] haec *Rationale* summi sacerdotis aureaque lamina,[22] haec candelabrum aureum in tabernaculo Domini mensaque panum propositionis,[23] haec divinum propitiatorium,[24] haec manna coeli,[25] haec arca Dei in medio Iordanis faciens stare fluminis cursum,[26] haec gladius Gedeonis,[27] haec favus mellis Samsonis,[28] haec cithara David,[29] haec thronus Salomonis,[30] haec currus Eliae,[31] haec baculus Elisei,[32] haec tandem vivum templum Dei, nam: *Qui manet in caritate, in Deo manet et Deus in eo;*[33] *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus.*[34]

Ideo multis figuris in S. Scriptura significata,

Sed, ut iuxta sacrosanctum hodiernum Evangelium de caritate loquamur, haec nos filios Dei constituit: *Ut sitis,* inquit, *filii Patris vestri, qui in coelis est;* haec nos perfecte Deo similes facit: *Estote . . . perfecti, sicut et Pater vester coelestis perfectus est;* haec sola apud Deum mercedem aeternam habet: Sine caritate, inquit, *quam mercedem habebitis?*[35] et haec nos hominibus excellentiores reddit: Si enim naturali tantum amore amicis tantum signa amicitiae exhibueritis, *quid amplius facitis? Nonne . . . publicani . . . et ethnici,* gentiles, qui fidem Dei non habent, *hoc faciunt?*[36]

et quia nos Deo similes facit et aeterna mercede dignos.

II. In summa autem sex mihi esse videntur quae de caritate in sacrosancto hodierno Evangelio habemus: primum, quod est speciale Dei mandatum: *Ego autem dico vobis: Diligite;* secundum, quod causa

Sex praecipuae rationes

12) Ibid. vr. 4. 13) Cf. Gn 1, 7. 14) Cf. ibid. 2, 9; 3, 22. 15) Cf. ibid. 6, 13 sqq. 16) Cf. ibid. 22, 8 sqq. 17) Cf. ibid. 26, 22. 18) Cf. ibid. 28, 12-13. 19) Cf. ibid. 44, 2-17. 20) Cf. Ex 3, 2. 21) Cf. ibid. 17, 5-7; Nm 20, 8-11. 22) Cf. Ex 28, 4 sqq.; 39, 8-18. 23) Cf. ibid. 25, 23-39; 40, 20-23. 24) Cf. ibid. 25, 17-22; 40, 16-19. 25) Cf. ibid. 16, 13-15. 26) Cf. Ios 3, 14-16. 27) Cf. Idc 7, 14-20. 28) Cf. ibid. 14, 8. 29) Cf. 1 Rg 16, 16-23. 30) Cf. 3 Rg 10, 9-19. 31) Cf. 4 Rg 2, 11-12. 32) Cf. ibid. 4, 29-31. 33) 1 Io 4, 16. 34) Io 14, 23. 35) Mt 5, 46. 36) Ibid. vrr. 46-47.

est bonorum operum, maxime orationis et eleemosynae: *Benefacite his qui oderunt vos, et orate;*[37] tertium, quod nos filios Dei facit: *Ut sitis filii Patris vestri;* quartum, quod magnam habet apud Deum mercedem, sine caritate [autem] nulla bona opera mercedem habent apud Deum: *Quam mercedem habebitis?* quintum, quod nos a peccatoribus et infidelibus secernit: *Nonne et publicani... ethnicique hoc faciunt?* qui caritate destitutus est tanquam infidelis apud Deum reputatur; et sextum, quod nos Deo similes perfecte facit: *Estote... perfecti, sicut et Pater vester coelestis perfectus est.* Sex ista nobis explicanda sunt.

quibus caritas erga inimicos praecipitur in hodierno Evangelio.

Et quoad primum quidem, Christus ait: *Hoc est praeceptum meum, ut diligatis invicem sicut dilexi vos. Maiorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis;*[38] cum prius dixisset: *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem,*[39] quod quidem mandatum in primitiva Ecclesia sic servabatur, ut dicat Lucas in *Actis Apostolorum* quod: *Multitudinis... credentium erat cor unum et anima una.*[40] Amor in animo nostro est tanquam rex in regno, cui obediunt quemque omnes animi affectus, passiones motusque sequuntur. Hinc Dominus a nobis amorem exigit, amor quippe in animo est sicut cor et caput in corpore; hinc universa lex Christi in amore consistit.

a) Quia est praeceptum Christi;

Quoad secundum, caritas est arbor bona, quae fructus bonos facit et non potest fructus malos facere,[41] arbor plantata in ripa fluminis paradisi faciens *fructus duodecim per menses singulos;*[42] *fructus autem spiritus*, idest habitus caritatis, *est caritas*, idest amor, *gaudium, pax, patientia*, etc.[43] Sicut autem sine caritate nihil valet totius legis observantia omniumque virtutum opera, ita caritas virtutes omnes exercet, sicut anima in corpore omnes sensus membraque omnia.

b) quia ex caritate prodeunt omnes aliae virtutes;

Quoad tertium, Saul proposuit praemium: *Qui percusserit philisthaeum, ditabit eum rex divitiis multis filiamque suam dabit... et domum suam faciet absque tributo in Israel.*[44] Hinc David accensus fuit ad descendendum in singulare certamen contra gigantem.[45]

c) quia caritas constituit hominem filium Dei et coheredem Christi;

37) Ibid. vr. 44. 38) Io 15, 12-13. 39) Ibid. 13, 34. 40) 4, 32. 41) Cf. Mt 7, 17-18. 42) Apc 22, 2. 43) Gal 5, 22. 44) 1 Rg 17, 25. Vulg.: *Qui percusserit eum ditabit rex divitiis magnis et filiam... et domum patris eius*, etc. 45) Cf. ibid. vrr. 27-32.

David etiam factus rex proposuit praemium percutienti iebusaeum : *Qui percusserit iebusaeum... erit princeps et dux*, sicut factus fuit Ioab, percusso iebusaeo.[46] At Christus ait : Qui caritate praeditus inimicum dilexerit, erit filius Dei. Quid maius excogitari potest ? Filius Dei, heres Dei, frater et coheres Christi ?[46a]

d) quia caritati promittitur magna merces ;

Quoad quartum, merces caritatis magna est, quoniam vita aeterna est infinitaque gloria paradisi : *Ego protector tuus sum et merces tua magna nimis*,[47] dixit Dominus Abrahamo, cum seipsum vitae periculo exposuit pro liberando Loth de manu inimicorum.[48] Sola caritas meretur apud Deum aeternam mercedem ; sine caritate nulla opera bona mercedem habent apud Deum, quamvis illustrissima essent. Hinc qui caritatem non habet, apud Deum ut ethnicus est, etsi multa opera bona faciat : *Nonne et ethnici hoc faciunt ?*

e) quia caritas iustificat et sanctificat, f) imo deificat hominem.

Quoad quintum, ipsa est signum *thau*,[49] quo omnes electi Dei signati sunt, ipsa est enim quae hominem iustificat atque sanctificat, imo, quid dico? hominem deificat: *Estote... perfecti sicut... Pater vester coelestis ; Ego dixi : Dii estis et filii Excelsi omnes.*[50] Sic per caritatem divinae efficimur naturae consortes,[51] sicut ignitum ferrum ignis naturam participat.

Hinc apparet perfectio legis Christi supra legem Moysi.

III. Divinum tabernaculum tribus erat partibus distinctum,[52] sicut in mundo hoc tres sunt principales partes : terra, coelum et empyreum ; ita Ecclesia Dei tres habuit status sub tribus legibus : naturae usque ad Moysen, divinae usque ad Christum et christianae usque ad finem mundi. Lex naturae fuit bona atque perfecta, lex Moysi melior atque perfectior, lex evangelica optima et perfectissima. Lex naturae fuit sicut aurora consurgens, lex Moysi sicut luna plena et lex Christi sicut sol lucens ; hinc Ecclesia dicitur : *Sicut aurora consurgens, pulcra ut luna, electa ut sol.*[53]

Lex naturae bona et perfecta erat,

Lex Moysi fuit perfectior quam lex naturae, sicut coelum terra nobilius et secunda pars divini tabernaculi sacratior sanctiorque prima ac infima, in qua non erat nisi altare holocaustorum et vasa aquae qua sacerdotes lavabantur.[54] At in secunda superiori erat al-

46) 1 Par 11, 6. 46a) Cf. Rom 8, 17. 47) Gn 15, 1. 48) Cf. ibid. 14, 13-16. 49) Cf. Ez 9, 4-6. 50) Ps 81, 6. 51) 2 Petr 1, 4. 52) Cf. Ex 26, 1-27, 1 sqq.; S. Thomas *S. Theolog.*, 1a 2ae, q. 102, a. 4 ad 4. 53) Ct 6, 9. 54) Cf. Ex 38, 1-8; 40, 27-30.

tare incensi, quod non aeneum erat sicut altare sacrificiorum, sed aureum erat; item aureum candelabrum et aurea mensa panum sanctorum. [55] Fuit, inquam, sub lege Moysi multo sanctior Dei cultus, clarior cognitio et abundantia verbi Dei, cum tempore legis naturae non consisteret cultus divinus, nisi in sacrificiis quibusdam.

melior autem et perfectior lex Moysi,

Sed quo lex Moysi perfectior fuit lege naturae, eo lex Christi perfectior est lege Moysi, sicut multo nobilior est paradisus hoc visibili coelo. Et tertia supremaque pars tabernaculi multo sacratior sanctiorque erat secunda; hinc *sancta sanctorum* dicebatur, quo solus summus sacerdos et semel tantum in anno poterat introire. [56] Tanto lex Christi perfectior est lege Moysi quanto Christus ipse maior est Moyse. Lex Moysi nobilis quidem fuit, sancta et bona, sed legi Christi comparata luna est soli collata. Illa quidem lata fuit a Deo Moysi per manus Angelorum, *in dispositione Angelorum,* [57] per Moysen autem tanquam per mediatorem populo; haec autem data mundo ab eodem Deo, non quidem Deo exercituum ac ultionum, [58] sed a Deo Patre *misericordiarum et* Deo *totius consolationis;* [59] non per Angelos, sed per Filium; non per mediatorem purum hominem, sed per Christum, qui Deus et homo est, homo deificatus, homo in persona factus Deo aequalis. Hoc est quod Christus hodie ait: *Ego autem dico vobis, ego* verus Deus, verus Filius Dei, homo deificatus.

sed optima et perfectissima lex Christi.

Lex Moysi bona sanctaque erat quoad materiam, quoad praecepta tum moralia tum caeremonialia tum iudicialia, et quoad ea quae docebat credenda, speranda, diligenda, agenda, fugienda, timenda; sed in omnibus erat nonnulla imperfectio, habebat quasdam maculas, sicut luna; permittebat enim pluralitatem uxorum, permittebat libellum repudii, [60] permittebat usuram cum extraneis, [61] permittebat odia contra exteras gentes; [62] quoad moralia et quoad caeremonialia erat tota carnalis, nonnisi in carnalibus sacrificiis et oblatione corporalium rerum Deum colebat; quoad iudicialia nimis erat rigida atque severa, semper mortem comminando. Imperfecta quoad fidem, quia Deum unum non autem trinum praedicabat; im-

Lex Moysi bona et sancta erat, sed multis imperfectionibus inquinata;

55) Cf. ibid. 37, 10-26; 40, 22-25. 56) Cf. Lv 16, 2 sqq. 57) Act 7, 53.
58) Cf. Ps 93, 1. 59) 2 Cor 1, 3. 60) Cf. Dt 24, 1-3. Lex mosaica non expresse polygamiam permittebat, sed tantum tolerabat, quae et Patriarcharum exemplo veluti auctoritate quadam fulciebatur, sed nulla lege constituta erat. 61) Cf. ibid. 23, 19-20.
62) Cf. ibid. 7, 1-16.

perfecta quoad spem, quia temporalem non aeternam felicitatem promittebat; imperfecta quoad caritatem, quia lex erat timoris potius quam amoris; [63] imperfecta quoad legalem iustitiam, quia virtutum quidem moralium et politicarum opera, non autem purgatoriarum, animi purgati, heroicarum et exemplarium opera praecipiebat; [64] imperfecta quoad timorem, quia temporalia non aeterna mala timenda proponebat; imperfecta quoad fugienda, quia externa tantum vitia et peccata, ut plurimum, non autem interna fugienda mandabat.

lex autem Christi perfectissima est in praeceptis,

IV. Lex autem evangelica quoad omnia haec perfectissima est. Habemus hodie tria praeceptorum genera: *Diligite... benefacite... orate. Diligite,* haec sunt praecepta moralia: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo... diliges proximum tuum sicut teipsum; in his duobus mandatis,* etc.; [65] ut diligamus Deum, sed super omnia mundi bona ac propter seipsum tantum; ut diligamus proximum sicut nos ipsos, non tantum amicos, verum etiam inimicos. *Benefacite:* haec sunt iudicialia praecepta, ut non requiramus *oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu,* [66] sed ut dimittamus iniurias et pro malis bona reddamus. *Orate:* haec sunt praecepta caeremonialia: *Spiritus est Deus, et eos, qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare; veri adoratores* sunt qui adorant *Patrem in spiritu et veritate;* [67] *Oportet semper orare.* [68]

in virtutibus et in praemiis;

Lex perfecta quoad fidem, perfecta quoad spem, perfecta quoad caritatem; credit omnia quae credenda sunt, sperat omnia quae speranda sunt, diligit omnia quae diligenda sunt. Perfecta quoad iustitiam in agendis et fugiendis, quoniam omne perfectae virtutis opus vel praecipit vel consulit et malum nullum admittit: *De omni verbo otioso, quod locuti fuerint homines, reddent rationem... in die iudicii.* [69] Perfecta quoad timorem, praecipit enim ut Deum non homines timeamus, aeternaque mala non temporalia: *Timete eum qui potest et animam et corpus mittere in gehennam,* [70] sicut praecipit

63) Cf. Rom 8, 15. 64) De hac virtutum distributione in morales, politicas, purgatorias, animi purgati, cf. Lud. Caelius *Lect. Antiq.*, lib. 7, cp. 1, col. 314. 65) Mt 22, 37-40. 66) Dt 19, 21. 67) Io 4, 23-24. Ordine inverso affert hos vrr. 68) Lc 18, 1. 69) Mt 12, 36. Vulg.: *Omne verbum otiosum*, etc. 70) Ibid. 10, 28. Vulg.: *Perdere in gehennam.*

super omnia speranda esse coelestia ac sempiterna bona : *Lex Domini immaculata, perfecta, convertens animas, testimonium Domini fidele, sapientiam praestans parvulis.* [71]

Perfecta est lex evangelica quoad materiam, quoniam praecipit dilectionem absque omni odio, semper et omnibus bene agere, nunquam alicui male, semper orare Deumque *in spiritu et veritate* adorare et ab oratione nunquam deficere. [72] Perfecta etiam quoad formam. Forma legis iustitia est politica atque moralis. Et lex quidem Moysi bona sanctaque quoad hanc partem fuit; ait enim : *Iuste quod iustum est exequeris.* [73] Sed illius legis iustitia sanctitasque externa potius erat quam interna; lex autem evangelica non tantum externam, sed principaliter internam iustitiam quaerit, ut sit vera et non ficta hypocritiaque iustitia ; hinc ait hodie : *Attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis ; alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum, qui in coelis est ... Te autem faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua.* [74] Sic in omnibus bonis operibus rectam, puram sanctamque requirit intentionem, ut bona quae facimus, ad Dei gloriam, non nostram, faciamus.

quoad materiam et formam,

Perfecta quoad finem. Finis legum humanarum est pax et quieta tranquillitas reipublicae. Et lex quidem Moysi nonnisi terrenam temporalemque promittebat felicitatem in terra promissionis ; [75] lex autem evangelica non terrenam et temporalem, sed coelestem et aeternam felicitatem promittit. Hinc hodie Christus : *Diligite ... benefacite ..., orate ... ut sitis filii Patris vestri, qui in coelis est ;* quod *si ... filii, et heredes ;* [76] et iterum : *Alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum, qui in coelis est ; Merces vestra magna est in coelis ;* [77] *Thesaurizate ... vobis thesauros in coelo ;* [78] *Habebis thesaurum* magnum *in coelo.* [79]

quoad finem

Perfecta quoad scopum, qui differt a fine sicut in militia victoria a corona. Scopus humanarum legum est ut iustitia servetur; scopus legis mosaicae fuit ut sancte viveretur : *Sancti eritis, quoniam ego*

et quoad scopum, qui est imitatio Christi,

71) Ps 18 (hebr. 19), 8. 72) Cf. Lc 18, 1. 73) Dt 16, 20. Vulg.: *Persequeris.* 74) Mt 6, 1-3. 75) Cf. Ex 23, 24-26; Dt 4, 40; 5, 33; 6, 1-3. 17-18; 8, 1 sqq. 76) Rom 8, 17. 77) Mt 5, 12. Vulg.: *Copiosa est in coelis.* 78) Ibid. 6, 20. 79) Ibid. 19, 21; Mc 10, 21; Lc 18, 22.

sanctus sum' Dominus Deus vester; [80] sed scopus legis evangelicae proponitur hodie a Christo: *Estote ... perfecti, sicut et Pater vester coelestis perfectus est.* Lex Moysi Deum proponebat virtutum exemplar, et bene quidem, quoniam in Deo vitium reperiri non potest: *Deus lux est et tenebrae in eo non sunt ullae.* [81] Sed necesse est ut exemplar pateat oculis, alioquin imitari quis illud non potest. Non pictor, non sculptor, non scriptor, non fabricator, non quivis artifex poterit unquam exemplar imitari quod nunquam viderit. Et *Deum* quidem *nemo vidit unquam,* [82] *sed nec videre potest,* quoniam *lucem inhabitat inaccessibilem.* [83] Lex autem evangelica proponit exemplar non tantum infallibile, sed etiam visibile, quoniam Deum hominem factum imitandum proponit.

divini exemplaris visibilis et imitabilis omnium virtutum;

Perfecta tandem lex est evangelica quoad instrumenta necessaria ad assequendum scopum finemque consequendum. Haec autem sunt Sacramenta gratiae, quae gratiam conferendo omnibus digne accedentibus eos iustificant atque sanctificant. Lex Moysi habebat sacramenta, sed non conferebant gratiam suapte natura, non delebant peccata; hinc lex illa dicta est a Paulo *littera occidens,* [84] nam: Si quis peccaverit, inquit, *morte moriatur,* [85] non delebat peccatum, sed occidebat peccatorem. Lex autem evangelica est spiritus vivificans, delet enim omnia peccata, confert gratiam Spiritus Sancti iustificantem et sanctificantem ipsumque dat Spiritum vivificantem.

perfectissima tandem quoad media ad consequendum finem.

V. Sic per omnem modum perfecta est evangelica lex, et perfecta adeo ut, si omnium hominum sapientissimorum congregaretur generale concilium ad componendam legem pro regimine reipublicae omnibus numeris absolutam, nunquam possent perfectiorem legem vel imaginari et in idea formare, nec Angeli in coelo, si id vellent, possent unquam efficere; imo, quid dico? ego quidem existimo quod nec Deus ipse possit perfectiorem legem statuere. Huius enim principalis auctor et conditor, mediator et dator, imo praedicator et doctor est ipse Christus, homo divinus, unigenitus Filius Dei, verus Deus, sapientiae et scientiae infinitae infinitaeque maiestatis, aucto-

Adeo autem perfecta est ut nec ipse Deus aliam meliorem excogitare potuisset.

80) Lv 19, 2; 1 Petr 1, 16. 81) 1 Io 1, 5. 82) Ibid. 4, 12. 83) 1 Tim 6, 16. Ordine inverso affert hunc vr. 84) Cf. 2 Cor 3, 6. 85) Ex 21, 14-17; 22, 19; 31, 14; Lv 20, 2 sqq.; 24, 16-18.

ritatis et dignitatis. Huius materia: diligere ex toto corde, benefacere omnibus, semper orare, amplius esse non potest quod vel praecipiatur vel consulatur. Forma: perfecta iustitia, perfecta sanctitas, gratia Spiritus Sancti, quae ab ipso Spiritu Sancto separari non potest, sicut nec radius a sole, nec lux ab igne. Finis: gloria paradisi, ipsequemet Deus, gloria filiorum Dei : *Ut sitis filii Patris vestri, qui in coelis est.* Scopus altissimus : *Estote... perfecti, sicut et Pater vester coelestis perfectus est.* Instrumenta ac media assequendi scopum et consequendi finem sunt Sacramenta plena gratia infinita ex infinito merito passionis Christi, inter quae unum est Sacramentum quod aequale est ipsi Deo, sacramentum Eucharistiae, in quo totus est Christus verus homo et Deus. O lex summae, maximae, infinitae perfectionis : *Lex Domini immaculata,* תְּמִימָה [86], *perfecta, convertens animas,* מְשִׁיבַת נָפֶשׁ, [87] *quietans animam,* quia non est quid amplius desiderari possit; *testimonium Domini fidele,* omni fide omnique stabili veritate plenum; *sapientiam praestans parvulis, praeceptum* enim *Domini lucidum illuminans oculos.* [88]

eius enim auctor Christus est verus Deus, eius forma Spiritus Sanctus,

eius scopus divina perfectio et media ad eum assequendum Sacramenta gratiae infinitae.

VI. Si igitur, fratres, divina haec Christi lex talis tantaeque est perfectionis, quamnam, quaeso, a nobis vitae morum virtutumque perfectionem requiret? *Nisi abundaverit iustitia vestra plus quam scribarum et Pharisaeorum, non intrabitis in regnum coelorum.* [89] Scribas et Pharisaeos Dominus dicit perfectos omnes mosaicae legis observatores ; et, inquit, nisi vos illis multo perfectiores fueritis, salutem aeternam minime consequemini. Ratio enim exposcit ut, quoniam multo lucidior est sol ipsa luna, dies sit multo clarior multoque splendidior nocte. Sic Dominus ait quod : *Cui multum datum est, multum repetent ab eo.* [90] Qui multum semen iacit in terram, multam utique messem expectat, et qui multam pecuniam dedit ad usuram, multum lucrum desiderat. Sic multam a nobis vitae perfectionem Christus expectat : *Estote... perfecti, sicut et Pater vester coelestis perfectus est.*

Sub lege ergo perfectissima virtutes perfectissimae esse debent,

In Deo duplex praecipue perfectio est : altera quidem intellectus, quo Filium gignit, altera voluntatis, qua spirat una cum Filio

perfectissima fides

86) Ms.: *Themimah.* 87) Ms.: *Mescibath naphes.* 88) Ps 18 (hebr. 19), 8-9.
89) Mt 5, 20. 90) Lc 12, 48. Vulg.: *Quaeretur ab eo.*

Spiritum Sanctum; perfectio cognitionis et perfectio amoris. Lex evangelica quoad haec duo specialiter dicitur *perfecta: Lex Domini perfecta* quoad voluntatem, quia *quietans animam*, quoad intellectum, quia *sapientiam praestans parvulis*. Hoc praecipue attendit, ut per fidem Deum perfecte cognoscamus et per caritatem perfecte amemus.

et caritas tum erga Deum tum erga proximum, etiam inimicum,

Praecipuissime tamen caritatis perfectionem attendit, ut in hac simus Deo similes tanquam filii patri: *Estote ergo... perfecti, sicut et Pater vester coelestis perfectus est* diligendo et benefaciendo tum amicis tum inimicis, in hoc enim maxime elucet perfectio caritatis, misericordiae et bonitatis Dei. Requirit a nobis Christus caritatem perfectam: *Fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus aemulatio, lampades eius lampades ignis... Aquae multae non poterunt extinguere caritatem nec flumina obruent illam.* [91] Requirit caritas ut non tantum diligatur Deus propter seipsum et proximus amicus in Deo, sed etiam inimicus propter Deum; nam qui non vult diligere inimicum propter Deum, non longe est a maxima impietate ut Deum etiam odio habeat; si enim quis omnem, qui damnum infert, impatiens iniuriae vult odio habere, facile Deum etiam oderit mala infligentem et immittentem in punitionem peccatorum. Propterea requirit caritas ut cum B e a t o I o b de manu Domini omnia tum bona tum mala recipiamus: *Si bona suscepimus de manu Domini, mala quare non suscipiamus?* [92] *Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit ita factum est.* [93] Nam Dominus etiam est qui dat inimicos; legimus enim: *Convertit cor eorum ut odirent populum eius;* [94] et ipse *induravit... cor Pharaonis* ut affligeret populum electum; [95] et sicut ad probationem electorum suorum voluit Deus esse daemones tentatores, inimicos spirituales, ita etiam inimicos corporales et visibiles; et sicut illi permittuntur tentare, ita isti odio habere et persequi.

qui enim inimicum odit Deum ipsum facile oderit mala infligentem in poenam peccatorum.

91) Ct 8, 6-7. Cf. supra, not. 20 praec. hom., pag. 168. 92) 2, 10. Vulg.: *De manu Dei*, etc. 93) Ibid. 1, 21. 94) Ps 104, 25. 95) Ex 10, 20-27; 11, 10.

III. ALIA HOMILIA

Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos et orate pro persequentibus et calumniantibus vos, ut sitis filii Patris vestri, etc. [1]

Inimicus diligendus est, a) quia caritas nos similes Deo reddit,

I. Sicut inter innumeras plantas, quae ex terrae visceribus exortae in coelumque ramos expandentes manus veluti extendunt ad accipiendas referendasque coelestes gratias, una reperitur, heliotropium dicta, quoniam motu suo solem ab ortu usque ad occasum consequitur tanquam naturae patrem, sic inter omnes mundanas creaturas unus reperitur homo, qui Deum sequi et imitari potest, quoniam factus est *ad imaginem et similitudinem Dei,* [2] ad imitandum divinas virtutes, ut Deo similis sit. Hoc a nobis hodie Christus requirit, ut caritate Deo similes simus ac sicut Deus *solem suum oriri facit super bonos et malos pluitque super iustos et iniustos,* [3] sic nos tum amicos tum inimicos diligamus beneficiisque afficiamus. Decet enim ut filius patrem imitetur, miles ducem et discipulus magistrum sequatur. Deus autem Pater noster est, Christus vero dux et magister noster.

modo supernaturalis sit;

Diligite inimicos vestros. Vult Dominus ut odium inimicorum nostrorum superemus. Sed contrarium nonnisi a contrario expellitur: ignis non extinguitur igne sed aqua, frigus non expellitur nivis frigore sed ignis calore. Amor autem et odium contraria sunt. *Diligite inimicos vestros,* ut ex inimicis amicos faciatis; sic enim ignis combustibilia quaeque, non tantum arida, sed etiam viridia et humentia in sui naturam convertere quaerit. Caritas autem divinus coelestisque est ignis qui combussit ligna Eliae, quamvis super ea ter magnam effuderit copiam aquarum, quo dignosceretur divina plane virtus ignis coelestis insignique illo miraculo universus Israel verum Deum agnosceret, [4] terrenus enim ignis non potuisset ligna illa sic perfecte uno momento absumere. Sic non potest naturalis amor inimicos diligere, sed supernaturalis requiritur. Si qua autem in hac vita gratiae et caritatis certitudo haberi potest, eam dilectio

1) Mt 5, 44-45. 2) Gn 1, 26-27; 5, 1; 9, 6. 3) Mt 5, 45. Vulg.: *Et pluit super,* etc.
4) Cf. 3 Rg 18, 29-38.

inimicorum, quam hodie Christus praecipit, vel maxime affert. Cum enim naturalis amor praeceptum istud servare minime possit, si vero servetur, signum est supernaturalem divinumque adesse amorem: *Gloria* autem *nostra haec est: testimonium conscientiae nostrae;* [5] et qui propter Deum diligit inimicum eumque beneficiis afficit, certus hinc esse potest quod Deum plus quam se diligat.

b) quia ad hoc impellit vera caritas in Deum, ut quaeratur salus proximi;

Et quidem ipsa caritatis in Deum natura exigit ut inimicos diligamus. Quid enim est caritas erga Deum? Ardens desiderium ut sanctificetur nomen Dei, glorificeturque ab omnibus Deus, ut adveniat regnum Dei destruaturque regnum peccati et diaboli, ut fiat ab omnibus voluntas Dei, non autem voluntas satanae. [6] At profecto inimicus tuus quandiu talis est, utique in peccato vivit, inimicus etiam Dei est, non facit voluntatem Dei sed diaboli, non servit Deo sed satanae, non glorificat Deum nec diligit vere nec laudat Deum. Ergo si tu vere diligis Deum, necesse est ut diligas etiam proximum quaerasque salutem animae ipsius, ut convertatur ad Deum in veritate. Hinc Christus eos qui inimicos suos diligere nolunt, ait publicanis nihilo meliores esse, idest perditissimis peccatoribus, imo nec ethnicis, idest Gentilibus atque idololatris, quoniam qui inimicos propter Deum diligere minime vult, seipsum magis diligit quam Deum suumque honorem Deo praefert propriumque honorem tanquam deum colit, quare apud Deum vere idololatra est.

c) quia persecutio malorum bonos in virtutibus progredi facit,

Diligite inimicos vestros. Terra bona quo fructus uberiores afferat stercoratur sicque pinguior et feracior redditur; sic iustus, acceptis iniuriis malisque ab inimicis affectus, proficit in virtute, quoniam *tribulatio patientiam operatur,* [7] *patientia autem opus perfectum habet.* [8] Dat iustis Deus inimicos ad virtutis exercitium; propterea non omnes Chananaeos e terra promissionis delevit. [9]

d) magnam mercedem consequi

Diligite inimicos vestros, quoniam *beati eritis,* inquit, *cum maledixerint vobis* homines *et persecuti vos fuerint..., gaudete et exultate, quoniam merces vestra multa est in coelo.* [10] Inimicorum iniuriae lapides sunt pretiossimi, infiniti valoris in coelo; inimici igitur nostri nos ditant: *Diligite inimicos vestros,* quoniam nolentes summis vos beneficiis afficiunt: *Virtus enim in infirmitate* et adversitate *perfi-*

5) 2 Cor 1, 12. 6) Cf. Mt 6, 9-10. 7) Rom 5, 3. 8) Iac 1, 4. 9) Cf. Ex 23, 29-30; Dt 7, 22. 10) Mt 5, 11-12. Vulg.: *Beati estis... copiosa est in coelis. Homines* lect. cod.

citur.[11] Non est compertum quid magis necessarium mundo sit: ignis an aqua, utrunque enim elementum summe necessarium esse videtur, quamvis contraria sint; ita nec facile iudicari posse autumo an homini, quo magis in virtute proficiat, amicus magis an inimicus necessarius et utilis sit. Amor quidem, quamvis perspicacissimus sit et vigilantissimus ad perquirenda bona dilectis, saepe tamen caecus est ad videnda vitia, inimicus vero centum habet oculos Argi;[12] quare qui inimicum habet, profecto bonorum morum optimum magistrum habet severumque censorem malorum. Occasione igitur inimici homo caret a malis, iustius vivit, prudenter se gerit vitamque irreprehensibilem ducere studet, ne habeat inimicus unde eum accuset. Sic David prudentissime se gerebat dum a Saul persecutionem gravissimam pateretur.[13]

et a culpis cavere;

Diligite inimicos vestros, quoniam, quamvis inutiles videantur et perniciosi, utiles tamen sunt, sicut vulpes, lupi, tigrides, ursi inutilia et perniciosa videntur animalia, venatores tamen haec diligentissime perquirunt, quoniam, etsi inutiles sunt eorum carnes, pelles tamen bonae, valde utiles et pretiosae sunt. Nihilque est in mundo hoc quod sit omnino inutile; etiam viperae et serpentes utiles sunt ad componendam contra venena theriacam. Inimici quidem inutiles videntur pro corpore et temporalibus bonis, utiles tamen sunt pro anima bonisque aeternis comparandis. Sic mercator habens apothecam plenam multis mercibus, insipiens haberetur si potius vellet merces vilissimo pretio hominibus suae nationis vendere, quam carissimo pretio hominibus alterius nationis dicendo: Nolo vendere merces nisi hominibus nationis meae. Sapiens enim mercator ditari cupiens, omnibus emere volentibus vendit et multo libentius iis qui carius emunt et melius solvunt. Omnis homo mercator est: apotheca est cor, merces amor; sed si amor iste nonnisi amicis venditur, vilissime venditur, nam ait: *Si... diligitis* tantum *eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis?*[14] *Diligite inimicos vestros... et erit merces vestra multa, et eritis filii Altissimi, qui benignus est super ingratos et malos.*[15]

e) quia inimici sunt veri benefactores spirituales

pro aeternis bonis comparandis;

11) 2 Cor 12, 9. Vulg.: *Nam virtus*, etc. 12) Cf. Ovid. *Amorum*, lib. 3, eleg. 4, vrr. 19-20; C. Iul. Hyginus *Fabulae*, fab. 145, pag. 35; Lud. Caelius *Lect. Antiq.*, lib. 18, cp. 6, col. 973. 13) Cf. 1 Rg 18, 10-15. 14) Mt 5, 46. 15) Lc 6, 35. Vulg.: *Quia... benignus*, etc.

f) quia et Deus inimicis parcet,

Ut sitis filii Patris vestri, qui in coelis est. Haec principalis est ratio, qua Christus persuadet inimicorum dilectionem : *Ut sitis filii,* idest imitatores veri – sic enim legimus filios Prophetarum [16] et filios artificum: Qui *fuit pater canentium cithara et organo,* – [17] ut sitis veri imitatores Dei Optimi Maximi, nam :

« Componitur orbis
Regis ad exemplum, nec sic inflectere sensus
Humanos edicta valent ut vita regentis;
Mobile mutatur semper cum principe vulgus ». [18]

Sed unde constat quod Deus diligit inimicos ? *Qui solem suum oriri facit,* etc., imo qui mundum creavit, terram, coelum, solem, lunam et stellas *in ministerium cunctis gentibus,* [19] non tantum bonis, sed etiam malis, fidelibus et infidelibus, idololatris et blasphemis. Qui autem potest oriri facere solem et pluere, imo qui potuit mundum ex nihilo creare, posset utique punire omnes inimicos suos, si vellet, quoniam *in coelis est,* ubique est, maximus est, omnipotens est, novit omnia, potest omnia, semper et ubique praesens est. Ergo ex caritate non punit, non afficit malis, imo beneficiis magnis afficit. An putatis Deum non habere honoris sui rationem ? *Honorem meum alteri non dabo.* [20] Sed pluris facit virtutem quam honorem, hinc ex caritate non ulciscitur suas iniurias. Regis autem et principis exemplum potenter movere solet. Si rex pedes iret, an non erubescerent servi equitare ? Cum rex David fugiens persecutionem filii sui Absalom, pedes incederet, sic eum universus exercitus sequebatur ; [21] et nos nihil movet Dei exemplum ?

imo benefacit, cum posset de eis vindictam sumere;

Diligite inimicos vestros. Hoc est proprium legislatoris nostri Christi dogma et singulare mandatum ; nullus enim ante Christum eorum qui populis legem tulerunt, tale dedere mandatum, nec Moyses quidem. Quare nostrum est hoc tueri dogma et hoc maxime profiteri. Sicut qui philosophiae antesignanis vel Platoni vel Aristoteli sunt addicti, magistrorum placita acerrime tueri satagunt et sustinere, sic nos christiani hoc maxime profiteri deberemus ob Christi honorem, ut inimicos diligere beneficiisque afficere pro viribus sa-

g) quia hoc est Christi singulare praeceptum,

16) Cf. 3 Rg 20, 35; 4 Rg 2, 3. 5; 4, 38. 17) Gn 4, 21. 18) Claudianus *De Quarto Consulatu Honorii Augusti,* vrr. 299-302. 19) Dt 4, 19. 20) Is 42, 8 ; 48, 11. Vulg.: *Gloriam meam,* etc. 21) Cf. 2 Rg 15, 16-30.

tageremus, pro malis bona rependendo ac vincendo in bono malum.[22]

Diligite inimicos vestros. Tanquam alter Moyses Dominus hodie videtur velle de petra durissima aquas educere.[23] Quamvis enim cor nostrum fons sit amoris, erga inimicos tamen petra durissima est. Sed virga Moysi potuit de petra aquas educere; multo magis igitur virtus crucis Christi a nobis has aquas poterit obtinere. Et sicut Moyses eductos de Aegypto Hebraeos post transitum maris Rubri duxit ad aquas Mara *amaritudinis*, quas tamen, immisso ligno, divinitus ex amarissimis dulcissimas fecit,[24] sic Christus nudius tertius eduxit nos de Aegypto, de servitute carnis et peccati; heri nos per mare Rubrum transire fecit, ubi, salvatis Hebraeis, perierunt Aegyptii:[25] *Multi venient ab oriente... et recumbent... in regno coelorum; filii autem regni eicientur in tenebras exteriores;*[26] hodie nos ad aquas Mara amarissimas ducit praecipiens ut inimicos diligamus beneficiisque afficiamus. Sed dulces has aquas facit lignum crucis Christi, ipsemet Christus crucifixus.

quod si durum videatur, exemplum Christi facile reddet;

Diligite inimicos vestros. Non unam tantum legis tabulam, sed ambas et integras voluit Dominus intra arcam reponi;[27] ita Dominus in sacrosancto hodierno Evangelio requirit a nobis geminum praeceptum caritatis tum erga proximum: *Diliges proximum tuum*, tum erga Deum: *Attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus*, sed *sit eleemosyna tua in abscondito, et Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi;*[28] vult ut benefaciamus, sed ad gloriam Dei, non pro vana gloria mundi et honore humano ut honorificemur ab hominibus. Qui diligit Deum et non proximum unam tabulam ponit in arca et saepe confractam, si non bene faciat propter Deum, sed propter mundi gloriam; qui autem diligit proximum, sed amicum tantum, non inimicum, alteram ponit tabulam, sed confractam. Deus vero ambas requirit integras: ut Deum diligamus propter seipsum, proximum vero amicum in Deo et inimicum propter Deum.

h) quia amor Dei inseparabilis est a dilectione inimicorum

II. *Diligite inimicos.* Requirit a nobis Christus perfectam caritatem. Voluit intra arcam reponi vas manna plenum usque ad sum-

Ex hac perfecta caritate multa bona oriuntur;

22) Cf. Rom 12, 21. 23) Cf. Ex 17, 6-7; Nm 20, 8-11. 24) Cf. Ex 15, 22-25. 25) Cf. ibid. 14, 23-28. 26) Mt 8, 11-12. 27) Cf. Ex 25, 16. 21; 40, 18; Dt 10, 5. 28) Mt 6, 1. 4.

ex odio, e contra, multa mala,

mum.[29] Qui non diligit inimicum propter Deum, non habet cor plenum caritate; Deus autem totum cor requirit. Una cum tabulis legis posita fuit in arca virga divinae virtutis, qua fiebant miracula, quia sine virtute divina non potest servari divina lex. Virga autem illa magnó miraculo, arida cum esset siccaque, non tantum viruit et floruit, sed etiam fructus fecit, produxit amygdala;[30] nec immerito amygdala, non autem persica aut alios fructus id genus. Amygdalum enim offert dentibus orique insuavem duramque corticem, deinde suavem bonumque nucleum. Sic est virtus caritatis. Praecipit ut diligamus inimicos, durum est et insuave, sed si fiat, hinc nascitur amicitia, fit homo ex inimico amicus: ecce fructus suavis. Vitium autem sicut persicum est, prius dat fructum mollem atque suavem, sed deinde nucem asperam, duram, insuavemque cum amarissimo nucleo. Si inimicum odio prosequaris malisque afficias vindicando iniurias, hinc mille sequuntur mala et saepe omnium bonorum, honoris et vitae ipsius amissio: ecce amaritudo infinita, quae modicum dulcedinis subsecuta est.

odium enim hominem constituit filium diaboli;

Diligite inimicos vestros. Docet sacrosanctum hodiernum Evangelium quod qui renuit inimicos propter Deum diligere, eligit potius diaboli filius esse quam Dei, potius damnum perpetuae mortis in inferno quam mercedem aeternae vitae in paradiso, potius cultor idolorum esse ut Gentiles, quam cultor veri Dei ut fideles, potius similis esse diabolo quam Deo. Absit, absit a nobis, fratres, talis tantaque in nosmetipsos impietas, ut magis velimus esse filii, socii servique diaboli quam Dei.

hoc autem est opus salutaris iustitiae,

Diligite inimicos vestros. Praeceptum istud videtur mihi esse sicut virga Moysi, quae in terram proiecta conversa fuit in colubrum; sed per caudam accepta iterum facta est virga.[31] Videtur praeceptum istud horribile primo aspectu, sed si a fine consideretur, profecto videbitur praeceptum esse salutaris iustitiae.

Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros. Divinae maiestatis suae imperio urget nos Christus ad diligendos inimicos. Quem autem non movet divinae maiestatis imperium num homo censendus est? Persequebatur impius Laban Iacob ira magna percitus ut eum

29) Cf. Ex 16, 33; Hebr 9, 4. 30) Cf. Nm 17, 2-9. 31) Cf. Ex 4, 2-4.

occideret, sed quia apparens ei Deus in somnis iussit ne quid mali illi faceret, quamvis idololatra esset nec Deum verum cognosceret, abstinuit tamen ab omni iniuria. [32] Te autem virum christianum non movebit Christi imperium, qui Christum tanquam verum Deum adoras et colis? Multo peior eris homine idololatra? Esau magno odio in Iacob furebat, nil tamen mali ei fecit ne patrem suum contristaret molestiaque afficeret. [33] Reverentia patris retinuit impium Esau ne Iacob, quem mortaliter oderat, occideret, et te non retinebit respectus et reverentia Dei, cuius filius est inimicus tuus sicut et tu, fraterque tuus est?

ad quod impellere nos debet imperium Christi, qui Deus noster est.

III. *Diligite inimicos vestros.* Videtur carnalibus hominibus dominicum istud praeceptum servari difficillimum et impossibile. At quomodo impossibile censendum est id quod multi homines facere potuerunt? Hoc fecit Iacob erga Esau, [34] Ioseph erga fratres suos, [35] David erga Saul, [36] Stephanus erga Iudaeos; [37] hi autem omnes nonnisi homines erant. Certissimum autem est quod Deus homini impossibilia minime praecipit; hinc Christus ait: *Tollite iugum meum super vos et discite a me, quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris; iugum enim meum suave est et onus meum leve.* [38] Suave et leve est iugum Christi, sed humilibus imitatoribus Christi; superbis autem, quibus abscondit Deus mysteria sapientiae suae, quae parvulis revelavit, [39] asperum est et grave.

Quod alii facere potuerunt sub lege antiqua, eo magis fieri potest sub lege Christi,

Quod si naturae viribus impossibile videtur diligere inimicos, non est impossibile viribus gratiae divinae. Sed accidit nobis hac in re sicut accidit Gedeoni, cui cum in humana specie apparuisset Angelus Domini, iussit ei ut pro sacrificio Domini poneret supra petram carnes hoedinas et panes azymos. Quod cum fecisset Gedeon, tunc Angelus Domini tetigit virga, quam manu tenebat, carnes et panes eduxitque de petra ignem, qui universa consumpsit in ictu oculi, in flammaque illa Angelus in coelum ascendit atque disparuit. [40] Est procul dubio cor nostrum erga inimicos lapis durus ac frigidus, sed *Angelus magni consilii*, [41] Christus Deus in humana forma iubet ut super hanc petram

qui gratia sua nos adiuvabit ut hoc praeceptum observare possimus,

32) Cf. Gn 31, 24-29. 33) Cf. ibid. 27, 34-44. 34) Cf. ibid. 33, 1-15. 35) Cf. ibid. 44, 1-45, 1 sqq. 36) Cf. 1 Rg 24, 1 sqq. 37) Cf. Act 7, 60. 38) Mt 11, 29-30. 39) Cf. Lc 10, 21. 40) Cf. Idc 6, 14-21. 41) Is 9, 6. Ex Translat. Septuaginta.

eritque sacrificium nostrum Deo gratissimum.

ponatur sacrificium. Est autem amor erga inimicos sacrificium Deo gratissimum. Hoc tantum nobis faciendum est : habeamus voluntatem liberam ut in omnibus obediamus Deo, dicamus : Domine, tu praecipis ut diligamus inimicos nostros ; age, volumus, proponimus hoc nos facturos, ut tibi morem geramus ; sed nos non possumus ex lapide flammas ignis educere. Christus ipse virga divinae virtutis suae tanget lapideum cor nostrum et ex eo flammas ignis educet. Sic enim etiam Angelus ille, qui in humana figura apparuit parentibus Samsonis suasitque ut Deo sacrificium offerrent, positis supra petram carnibus sacrificii, ex petra illa magno miraculo eduxit flammam ignis totumque sacrificium consumpsit simulque cum flamma Angelus in coelum ascendit, [42] quod quidem designat necessarium esse Spiritum Sanctum ut sacrificia nostra Deo sint grata, et quod Christus ipse futurus erat sacrificium Deo offerendum, uti nunc in Sacramento altaris offertur.

dummodo bona voluntate ipsi obtemperemus.

Ad exequendum igitur hoc divinum mandatum id nobis faciendum est, ut, quod ex nobis est, prompta voluntate obediamus Deo velimusque in omnibus obedire, nam ut perficere possimus ipse vires suppeditabit et gratiam. Cum enim Deus aliquid faciendum praecipit, simul dat quae necessaria sunt ad exequendum praeceptum, sicut si rex mittat exercitum ad expugnandam aliquam civitatem, providet necessaria omnia.

Veri inimici implacabili odio persequendi, non hi visibiles sunt,

IV. *Diligite inimicos vestros.* Amor suapte natura dulcis est et suavis, odium vero insuave et amarum. Nos tamen palato male affecto similes sumus, cui dulcia videntur amara. Sic insuavis et amarus videtur amor inimicorum, dulce autem et suave odium. Gratissimum erat audire : *Odio habebis inimicum tuum.* [43] Sed, age, si naturali rationi consonum tibi videtur inimicos odio prosequi et persequi, dicas mihi : quisnam censetur tibi inimicus ? Qui odit et malo animo me persequitur malumque mihi desiderat et inferre satagit et quaerit. Bene, sed, si ut in amicitia accidit, ita etiam in inimicitia accidat, ut sicut reperiuntur amici veri et etiam ficti falsique, qui veri sunt inimici, ita etiam reperiantur veri et ficti inimici, qui fingant et simulentur se inimicos, vere autem sint amici, quosnam magis odio

42) Cf. Idc 13, 6-21. 43) Mt 5, 43.

haberes ? Veros inimicos. Et si ex veris inimicis quidam te parvo odio prosequerentur parvamque iniuriam inferre quaererent, alii vero acerrimo odio maximoque in te affecti omnibus viis et modis insidiarentur tibi bonisque tuis, honori et vitae tuae domusque et familiae tuae, quos iudicas maiori odio habendos ? Utique posteriores.

sed invisibiles, idest daemones, qui maxima et infinita mala animae et corpori inferre satagunt,

Nunc autem vide, homo : tu non habes inimicos tantum corporeos et visibiles, habes etiam incorporeos et invisibiles, non tantum homines sed etiam daemones : *Non est nobis colluctatio,* etc.; [44] quos putas acriores inimicos ? Si non insanis, daemones dices, qui acerrimo in nos odio sunt perpetuo armati, qui, si permitteret Deus, multo peius te tractarent quam Iob sanctum tractarunt. [45] Inimici corporales sunt ficti potius inimici quam veri ; et si veri sunt, nonnisi parvum malum inferre tibi possunt ; et sunt potius chirurgi qui infirmum ex ordine protomedici feriunt ferro et igne. Daemones autem maxima, infinita aeternaque mala inferre quaerunt et animae et corpori. Cur hos non acri odio persequeris ? Cur morem geris ? Cur obedis et servis consentiendo tentationibus, suggestionibus eorum ?

et mundus, qui ad vitia alliciens animas perdere conatur;

Mundus etiam acerrimus inimicus est salutis nostrae propter superbiam, avaritiam et luxuriam, quibus animas nostras perdere satagit suadens ut contra Dei mandata operemur. Cur hunc non odio habes ? Caro etiam nostra inimicissima est salutis nostrae, quoniam *concupiscit adversus spiritum,* [46] nec nisi perditionem nostram quaerit; et tamen fovemus serpentem hunc in sinu nostro, diligimus acerrimum salutis nostrae inimicum. Imo, si verus inimicus odio habendus est, neminem magis odisse debet homo quam seipsum, nam « nemo vere laeditur nisi a seipso ». [47] Nullum potest esse in mundo maius malum peccato, quod omnium est causa malorum et infinita aeternaque damna homini adfert. Descende, homo, mente et cogitatione in infernum, interroga epulonem illum damnatum [48] aut quemvis alium, quoniam innumerabiles ibi reperies quasi arenam maris, interroga, inquam, ut dicat tibi cur damnatus sit, quam ob causam talia tantaque mala patiatur. Dicet utique : ob peccatum meum. Sed non est peccatum nisi voluntarie. Homo igitur sibiipsi infinita mala infert, ini-

et nos ipsi, qui mala nostra voluntate peccando, in causa sumus perditionis nostrae.

44) Eph 6, 12. 45) Cf. Iob 1, 13-2, 1-8. 46) Gal 5, 17. 47) Adagium Diogeniani. Cf. P. Mannuccius *Adagia,* col. 1297. Est etiam titulus libelli S. Io. Chrysostomi, (P. G. 52, 460). 48) Cf. Lc 16, 19 sqq.

micus est et proditor propriae salutis veluti alter Iudas.[49] Odio igitur habeat homo scipsum tanquam acerrimum propriae salutis inimicum, si vitam salutemque cupit.

Opera bona coram Deo facienda sunt, ut ipsi soli placeamus,

V. *Cum* autem *facis eleemosynam . . . nesciat sinistra tua,* etc.;[49a] Cavete *ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini,* etc. Cherubim in sancto sanctorum operiebant alis suis divinum propitiatorium.[50] Omne opus bonum Dei donum est et Dei gratiam meretur; sed abscondendum pro viribus est, ut secretum sit et soli Deo placere cupiamus. Animalia divina apud Ezechielem manus habebant, sed sub alis absconditas;[51] manus autem opera significant. Seraphim apud Isaiam alis suis abscondebant caput et pedes suos; sex enim habentes alas, duabus velabant caput suum et duabus pedes, duabus autem volabant;[52] hoc autem significat quod non omnia opera nostra publice et coram hominibus facienda sunt, sed illa tantum quae necessaria sunt, alia autem abscondenda sunt, ut soli Deo pateant. Qui seraph est, qui divina caritate ardet, faciem operit ne cognoscatur, nam per faciem homo agnoscitur; amat nesciri et pro nihilo reputari;[53] abscondit etiam pedes, internas virtutes, maxime vero timorem Domini filialem et spem atque fiduciam in Deum tanquam in patrem. His enim veluti pedibus animus ad Deum graditur proficiendo de virtute in virtutem, donec videatur *Deus deorum in Sion.*[54] Spiritualis autem profectus abscondendus est tanquam thesaurus, nam depraedari desiderat qui iter faciens per deserta latronibus plena, thesaurum publice portat.[55] Mundus hic plenus est daemonibus, hi sunt latrones qui spoliaverunt hominem descendentem ab Ierusalem in Iericho.[56]

non coram hominibus, nisi quando necessarium sit.

Exemplo David docemur quid nobis agendum sit,

VI. *Diligite inimicos vestros,* etc. Animales homines,[57] qui non sapiunt quae sunt spiritus Dei,[58] sed pecudum more vivunt, divinum hoc mandatum impossibile, nedum difficillimum, existimant; sed

49) Cf. Mt 27, 5; Act 1, 16-18. 49a) Mt 6, 2-3. 50) Cf. Ex 37, 7-9. 51) Cf. 1, 5-8. 52) Cf. 6, 1-2. 53) S. Bonaventura *Alphabetum Religiosorum*, iuxta veterem editionem vaticanam, Romae 1596, pag. 564. Postea vero opusculum hoc inter spuria ipsius S. Doctoris amandatum fuit. *Cf.* S. Bonaventurae *Opera Omnia* t. 8, *Prolegomena* cp. 3, pag. CIX.
54) Ps 83, 8. 55) Cf. S. Gregorius M. *Hom. 11 in Evang.*, (P. L. 76, 1115).
56) Cf. Lc 10, 30. 57) Ms.: *Animalibus hominibus.* 58) Cf. 1 Cor 2, 14.

si impossibile esset, nullus hominum servare potuisset, quod tamen servavit Paulus, [59] servavit Stephanus, servaverunt Iacob in Esau, Ioseph in fratres, David in Saulem et Absalonem. Et David quidem, cum fugeret persecutionem gravissimam Absalonis, Spiritu Sancto afflatus *Psalmum* composuit, qui ordine tertius est in *Psalmorum* libro tituloque insignitus est : *Psalmus David cum fugeret a facie Absalom filii sui,* [60] in quo quidem *Psalmo* docet Sanctus Vates quid agendum sit iis qui gravem ab inimicis persecutionem patiuntur, sicut ipse gravissimam patiebatur a filio. Fuit plane persecutio illa gravissima, quoniam absque ulla causa pater persecutionem mortalem sustinebat a filio quem impense diligebat, quem nihil laeserat, cui crimen fratricidii remiserat in gratiamque pristinam receperat, [61] et tamen illum videt contra se infernalibus furiis armatum, ut ipsum simul et regno et vita privaret, congregato ex universo Israele copiosissimo exercitu, [62] tanquam acerrimus inimicus. Quaenam vel excogitari potest gravior et acerbior persecutio ?

cum gravem persecutionem ab inimicis patimur:

Nunc videamus quid sanctus rex faciat : fugit a facie filii persecutoris, prudenter declinat immanem persecutionem ; sic Iacob fugit a facie Esau, [63] sic saepe David fugit et declinavit persecutionem Saul. Secundo, tribulationem persecutionis accipere de manu Dei ; sic enim fecit idem David cum fugeret a facie Absalom : occurrit ei servus inimicus, Semei de domo Saul, regemque multis iniuriis affecit ; persequebatur enim illum proiciendo in eum terram et lapides ac vocando *virum sanguinum* et *virum Belial,* [64] idest crudelem tyrannum, inimicum Dei et hominem diaboli. Rex autem patienter ferebat, cumque servi regis vellent vindictam de eo sumere, prohibuit dicens : *Dimittite eum ut maledicat, Dominus enim praecepit ei . . ., dimittite eum ut maledicat iuxta praeceptum Domini.* [65] Sic sanctus Iob de manu Domini omnia suscepit, [66] sic Christus : *Calicem, quem dedit mihi Pater, non* vis ut *bibam illum ?* [67] Qui ex iudicis sententia a ministro iustitiae vel equuleo torquetur vel flagellis caeditur vel ad patibulum et extremum supplicium ducitur, si vir sanae mentis

a) prudenter declinanda persecutio, si possibile sit, *b)* sed accipienda simul de manu Domini,

quia inimicus instrumentum Dei est;

59) Cf. Rom 9, 3. 60) Cf. Textus Vulgatae. 61) Cf. 2 Rg 13, 23-14, 1 sqq.
62) Cf. ibid. 15, 1 sqq. 63) Cf. Gn 27, 43-28, 1-5. 64) Cf. 2 Rg 16, 5-7.
65) Ibid. vrr. 10-11. 66) Cf. Iob 1, 21; 2, 10. 67) Io 18, 11. Cf. supra, not. 79 primae hom. huius Feriae, pag. 176.

est, non irascitur contra ministrum iustitiae, scit enim quod ille ex iudicis mandato agit, quaecunque agit. Sic ait David: *Dominus praecepit illi* tanquam iudex ministro iustitiae. Tertio, in *Psalmi* initio dicens: *Domine, quid multiplicati sunt qui tribulant me,* etc., [68] ostendit quod ei qui incidit in tribulationem persecutionis faciendum est sicut ei qui incidit in infirmitatem: perquirendae sunt morbi causae ut, illis remotis, salutem consequatur. Sic examinanda diligenter est conscientia et videndum si qua est causa in nobis talis tantaeque tribulationis; nam Deus persecutionem illam Davidi permisit propter peccatum adulterii et homicidii. [69] Sic « nulla nocet adversitas si nulla dominetur iniquitas ». [70] Quarto, inventa causa tribulationis peccato aliquo, placandus nobis Deus est sperandumque in divina misericordia: *Tu autem, Domine, susceptor meus es, gloria mea et exaltans caput meum;* [71] orandus est Deus ut liberet nos ab omni tribulatione: *Voce mea ad Dominum clamavi, et exaudivit me de monte sancto suo.* [72] Sic mitigantur et soporantur animi passiones ut vix sentiant persecutionis acerbitatem, ita ut ardeat rubus et non comburatur [73] et iuvenes fideles in medio fornacis flammas non sentiant. [74]

c) causas persecutionis si quae sint perquirere,

d) et si aliquod peccatum ex parte nostra inveniatur, Deus primo placandus est et rogandus ut liberet nos a tribulatione,

Soporatur Ionas in maxima tempestate [75] et dormit Christus in navi, quae periclitatur in mari: [76] *Ego dormivi et soporatus sum, et exsurrexi, quoniam Dominus suscepit me;* [77] nullam passus sum laesionem ab inimicis, etsi tanquam dormiens nihil contra eos agerem vel machinarer; spes enim firma in Deo aufert ab animo timorem omnem omnium quamvis potentissimorum inimicorum: *Non timebo millia populi circumdantis me.* [78] Hinc alibi ait: *Dominus illuminatio mea et salus mea; quem timebo? Dominus protector vitae meae; a quo trepidabo?... Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum; si exurgat adversum me proelium, in hoc ego sperabo.* [79]

et firmiter in eo confidendum;

Quod, iniuriis acceptis ab inimicis, quieto animo vindictam minime quaeramus vel appetamus, sed relinquamus Deo; ipse vindictam sumet de inimicis nostris: *Quoniam tu percussisti omnes adversantes mihi, in maxilla dentes peccatorum contrivisti.* [80] Sic miraculo sumpsit

e) non vindictam de inimicis appetere sed Deo relinquere,

68) 3, 2. 69) Cf. 2 Rg 11, 1 sqq. 70) S. Gregorius M. *Liber Sacramentorum*, (P. L. 78, 57); Missale Rom. Feria Sexta post Cineres, Postcommunio. 71) Ps 3, 4. 72) Ibid. vr. 5. 73) Cf. Ex 3, 2. 74) Cf. Dn 3, 49-50. 75) Cf. Ion 1, 4-5. 76) Cf. Mt 8, 24; Mc 4, 38. 77) Ps 3, 6. Vulg.: *Quia Dominus*, etc. 78) Ibid. vr. 7. 79) Ps 26, 1-3. 80) Ps 3, 8. Ex hebraico.

vindictam de Absalone, quem capillis suspendit in quercu tribusque lanceis ipsius cor per manum Ioab transverberavit; [81] sic: *Domini est salus, et super populum tuum benedictio tua.* [82] Quare docet in *Psalmo* isto Sanctus Vates modum quo servandum sit divinum praeceptum, praecipue dicens quod Dominus est qui dat virtutem ad servandum; hoc est enim: *Ego dormivi et soporatus sum, et exsurrexi, quoniam Dominus suscepit me,* sive *sustentavit me,* [83] virtutem dedit mihi nedum ne inimicos odio haberem, sed ut diligerem. Et fructus ostendit observantiae huius mandati, quae est consolatio in medio tribulationis et salus ab omnibus inimicis. Sic Christus hodie praemia promittit diligentibus inimicos: *Ut sitis filii,* etc., pater enim filios salvare cupit et consolari, non perire per manus inimicorum.

qui virtutem dabit ut praeceptum hoc adimpleamus et mercedem pro meritis retribuet.

81) Cf. 2 Rg 18, 14-15. 82) Ps 3, 8. 83) Ibid. vr. 6. Ex hebraico.

SABBATO POST CINERES

Tribulatio probat electorum virtutem,

I. Sunt iusti in hoc mundo sicut aurum optimum, cuius tum veritas tum perfectio igne, mallei incude ab aurifice in fucina probatur. Sic Deus tentavit Abraham, [1] sic tentavit Iob, [2] sic omnes electos suos. Haec est navis quae hodie in medio mari iactatur magnis fluctibus. [3] Sic semper Ecclesia in mundo hoc passa est persecutionum procellas, sicut et ipse Christus et etiam eius Sanctissima Mater Maria Virgo, cum a sancto Simeone dictum fuit : *Tuam ipsius animam pertransibit gladius.* [4]

sed et gaudium parat, sicut cernimus in Beatissima Virgine.

Sed sicut post tenebras oritur lux, post noctem dies, post hiemem ver, sic iustis post tribulationes succedunt gaudia. Christus, post passionem et mortem, resurrexit in gloria ad vitam sempiternam ; [5] sic Beatissima Virgo, post vitae huius miserias, ad paradisi gloriam assumpta fuit ; [6] sic navis evangelica hodie, post procellas per totam noctem perpessas, adventante die fruitur magna tranquillitate ex praesentia, gratia et virtute Christi. [7]

Cum sero esset factum, erat navis in medio mari et Iesus solus in terra. Et vidit discipulos suos laborantes, etc. [8]

II. Video hodie arcam Noe in medio aquarum diluvii fluctuantem, [9] video navim Ionae in mari periclitantem, [10] video navim

1) Cf. Gn 22, 1-2. 2) Cf. Iob 1, 4-2, 1 sqq. 3) Cf. Mt 14, 24. 4) Lc 2, 35. 5) Cf. ibid. 24, 26. 6) « In Sacris Litteris, ait alibi S. Auctor, nihil aperte legimus de transitu B. Virginis nec de gloriosissima ipsius in coelum assumptione ». *Mariale. In Assumptionem*, sermo secundus, pag. 590. Sed « Ecclesia, ex divina inspiratione et afflatu Spiritus Sancti mota fuit ad celebrandam... mirabilem gloriosamque assumptionem B. Virginis in coelum in anima simul et corpore, cum tamen nihil horum legatur in Scripturis Sanctis ». Ibid. *In Conceptionem Immaculatam*, sermo 11, pag. 498. 7) Cf. Mc 6, 51. 8) Pericope huius diei Mc 6, 47 sqq. Vulg.: *Et videns. Et vidit* lect. cod. 9) Cf. Gn 7, 17-18. 10) Cf. Ion 1, 4.

Navis evangelica fluctibus agitata figura est Ecclesiae

Salomonis navigantem.[11] *Erat navis in medio mari*, non sicut arca foederis Domini in medio Iordanis fluminis, cuius tunc aquae in durissimam glaciem conversae erant factaeque veluti montes crystalli,[12] sed : *Erat navis in medio mari*, ait Marcus ;[13] *Navicula... in medio mari iactabatur fluctibus, erat enim contrarius ventus*, inquit Matthaeus ;[14] *Mare autem, vento magno flante, exurgebat*, inquit Ioannes.[15] Navis autem haec Sanctam Ecclesiam designat, quae est arca Noe, arca salutis, extra quam vera salus esse non potest.[15a]

et ipsius Christi,

Aliquando autem in Divinis Scripturis symbolo ac hieroglyphico navis ipse Christus designatur, veluti cum Salomon ait : *Tria mihi difficilia sunt et quartum penitus ignoro : viam aquilae in coelo, viam colubri super petram, viam navis in medio maris et viam viri in adulescentula.*[16] Ubi quattuor proponit praepostero ordine mirabilia Christi mysteria : *viam aquilae in coelo*, mysterium ascensionis Christi in coelum; *viam colubri super petram*, mysterium resurrectionis, cum Christus, dimisso veteri mortalitatis spolio, renovatus surrexit immortalis ; *viam navis in medio maris*, mysterium passionis, *et viam viri in adulescentula :* וְדֶרֶךְ גֶּבֶר בְּעַלְמָה,[17] *viam viri in virgine*. Navis est Christus iactata fluctibus in passione ; haec est navis Ionae quae periclitabatur in mari.

sed etiam Beatissimae Virginis,

Sed adhuc etiam Sanctissima et Beatissima Virgo in Sacris Litteris *navis* est appellata. Salomon enim fortem illam mulierem tantopere collaudatam *navim* appellat dicens : *Facta est velut navis institoris de longe portans panem suum.*[18] Laudes autem illae nonnisi Sanctissimae Virgini vere convenire possunt, nam ait : *Multae filiae congregaverunt* sibi *divitias, tu supergressa es universas ;*[19] sola Virgo omnes animas vincit spiritualibus divitiis virtutum et meritorum coelestium.

quae specialiter etiam figurata fuit per navim Salomonis.

In huius mulieris, quam prius *virginem* Matrem Christi dixerat, laudem canticum componit viginti duorum versuum iuxta viginti duas litteras hebraici alphabeti,[20] singulos versus incipiens a singulis

11) Cf. 3 Rg 9, 26 sqq. 12) Cf. Ios 3, 13. 13) 6, 47. 14) 14, 24. 15) 6, 18. 15a) Cf. Denzinger-Bannwart *Enchiridion Symbolorum*, n. 430. 468. 714. 16) Prv 30, 18-19. Ex hebraico. 17) Ms.: *Vederech geber bahalmah.* 18) Prv 31, 14. Vulg.: *Quasi navis*, etc. 19) Ibid. vr. 29. 20) Cf. Textus Hebraicus vrr. 11 sqq.

litteris, ut ostenderet quod Beata Virgo omnes implevit virtutum numeros omnique laude digna est. Hanc *navim* vocat : *Facta est velut navis mercatoris, de longe portans panem suum.* Haec est navis Salomonis de qua legimus : *Classem*, hebraice *navim, fecit rex Salomon in Asiongaber, quae est iuxta Ailath in litore maris Rubri, in terra Idumaeae; misitque Hiram in classe,* sive *navi illa servos suos viros, nauticos et gnaros maris cum servis Salomonis. Qui cum venissent in Ophir, sumptum inde aurum quadringentorum viginti talentorum detulerunt ad regem Salomonem.* [21] Navis quae, peracta trium annorum navigatione una cum navi Hiram, attulit Salomoni aurum, argentum, dentes elephantorum, sive ebur, simias et pavos. [22] Haec autem nisi mysteriis plena essent, non utique tanta cum diligentia, Spiritu Sancto dictante, Divinis Litteris demandata essent.

Sicut enim navis illa facta fuit in litore orientali maris Rubri, sic B. Virgo formata fuit naturali generatione,

III. Navis igitur ista formata est in terra Idumaeae, in terra Esau, [23] qui dictus fuit *Edom*, [24] r u f u s . *Edom* autem et *Adam* hebraice idem est. [25] Formata fuit humana generatione ex progenie Adami per naturalem viam ex copula matrimoniali, sed formata in litore maris Rubri, cuius quidem duplex litus legimus in Divinis Litteris: unum quidem quod terminus est terrae Aegypti, ubi Pharao cum universo exercitu suo persecutus fuit populum Dei, quem captivum tenuerat ; alterum ex parte sacri deserti, versus terram promissionis, ubi populus Dei, demerso Pharaone cum universo exercitu suo in mari Rubro, [26] liber ab omni illius potestate et metu summa cum exultatione cecinit canticum Domino : *Cantemus Domino, gloriose enim magnificatus est, equum et ascensorem proiecit in mare.* [27] Quod canticum etiam Maria soror Moysi, facta princeps et dux omnium mulierum, cum omnibus illis cecinit Domino. [28] Sicut autem mare Rubrum in Divinis Litteris significat sacramentum Baptismi, [29] ita duplex istud litus significat statum peccati originalis ante Baptismum, cum homo adhuc est sub potestate diaboli, et statum gratiae Spi-

21) 3 Rg 9, 26 sqq. 22) Cf. ibid. 10, 14 sqq.; 2 Par 9, 10-28. 23) Cf. Gn 36, 8; Nm 24, 18. 24) Cf. Gn 25, 30; 36, 1. 25) Nam: *Edom* אֱדֹם, *Adam* אָדָם.
26) Cf. Ex 14, 1 sqq. 27) Ibid. 15, 1. Vulg.: *Deiecit in mare.* 28) Cf. ibid. vrr. 20-21. 29) Cf. 1 Cor 10, 2.

ritus Sancti post Baptismum, cum liber a potestate diaboli factus est filius Dei et templum Spiritus Sancti.

Navis autem ista non in litore Aegypti formata dicitur, sed in altero, in litore deserti versus terram promissionis; ibi enim erat terra Idumaeae. Hoc igitur mysterium est immaculatae conceptionis Beatissimae Virginis, cuius *fundamenta* sunt *in montibus sanctis* [30] ex lapidibus pretiosis, sicut fundamenta templi Salomonis [31] et fundamenta civitatis Ierusalem omni lapide pretioso ornata. [32] Fuit enim magno miraculo sine peccato originali concepta, sicut cum synagoga pervenit ad mare Rubrum, magno miraculo, virtute divina apertum fuit mare ut illa transiret, [33] et sicut cum arca Dei pervenit ad Iordanem, constitit magno miraculo fluxus illius donec ipsa transiret. [34]

sed immaculata conceptione, quia divino miraculo ab originali peccato praeservata,

Sic tabernaculum Domini non in Aegypto factum fuit, sed in sacro deserto, habens bases argenteas; [35] hoc est quod navis ista formata est in litore maris Rubri, in terra Idumaeae et formata *in Asiongaber . . . iuxta Ailath:* interpretatur autem Asiongaber c o n s i l i u m ; עֵצָה [36] enim Hebraeis c o n s i l i u m significat, גֶּבֶר [37] autem v i r u m f o r t e m atque robustum. Sic Beatissima Virgo in sua conceptione plena fuit omnibus donis Spiritus Sancti, inter quae praecipua sunt consilium et fortitudo, quae rara admodum sunt in mulieribus.

omnibus donis et gratia Spiritus S. repleta

IV. Et formata, inquit, *iuxta Ailath.* Hebraice est אֵילוֹת, sed si, eadem manente dictionis substantia, legatur cum aliis punctis אֱיָלוּת, significat d i v i n a m f o r t i t u d i n e m ; sic enim D a v i d vocat Deum hebraice אֱיָלוּתִי, *fortitudo mea, divinitas* etiam *mea*; [38] nam Deus ob fortitudinem et potentiam dicitur אֵל, *potens;* cum primis autem punctis significat p l a n i t i e m, c o n v a l l e m, c e r v a s. [39] Sic Beata Virgo concepta fuit plena

qua nequeat sub Deo maior intelligi.

30) Ps 86, 1. 31) Cf. 3 Rg 5, 17. 32) Cf. Apc 21, 18-20. 33) Cf. Ex 14, 21-22. 34) Cf. Ios 3, 14 sqq. 35) Cf. Ex 26, 19-25; 36, 23-24. 36) Ms.: עצה. 37) Ms.: גבר. 38) Ps 21 (hebr. 22), 20. 39) De variis significationibus huius vocis cf. Sanctes Pagnini *Thesaurus Linguae Sanctae* sub radice : אָיַל.

gratia Spiritus iuxta divinam potestatem, ut « ea puritate niteret qua nequeat sub Deo maior intelligi ».[39a]

Ideo ab exordio vitae suae perfecta fuit in exercitio potentiarum animae et virtutum,

In hac navi Hiram, quod est *vivens*, חַי, *excelsus*, רָם,[40] idest *Deus, qui est vere vivens, excelsus*, posuit nautas *gnaros maris*, nautas optimos, potentias animae omnibus virtutibus praeditas. Hinc prima navigatione in Ophir navis ista attulit Salomoni quadringenta viginti talenta auri. In prima sua aetate Beata Virgo virtutum actibus magnum acquisivit thesaurum meritorum, unde Angelus salutans eam in annunciatione *gratia plenam* dixit.[41] Gratiae autem plenitudo perfectionem caritatis importat cum perfectione ceterarum coelestium virtutum. Hoc est quod in hac navi prima sua navigatione magnam auri copiam videmus quadringenta viginti auri talenta. Est autem talentum massa auri magna adeo quod ex uno tantum auri talento factum fuit candelabrum aureum cum septem lucernis in tabernaculo Domini.[42]

et perfectissima caritate praedita

et omnium virtutum meritis cumulata,

Quod autem videmus hic numerum binarium decuplicatum et quartenarium centuplicatum, mysterium est perfectionis geminae caritatis ; utraque erat decuplicata perfectissima; virtutum autem cardinalium merita centena erant : Quod *cecidit in terram bonam... in corde... optimo... ortum fecit fructum centuplum.*[43] Deinde in navigatione trium annorum attulit Salomoni ex Ophir, ex India, *aurum* divinae sapientiae, *argentum* divinae intelligentiae, *ebur* divinae continentiae, *simias* imitationes omnium divinarum exemplariumque virtutum, *pavos* omnium virtutum ornamenta.

digna quidem ut Deus ipse in ea homo fieret.

Ibat autem cum hac navi navis Hiram : semper Mariam concomitabatur gratia *Dei viventis excelsi* Angelorumque custodia. O navis ! *Facta est velut navis institoris de longe portans panem suum ; Ave, gratia plena.*[44] Haec navis est evangelica, in qua hodie primo reperiuntur omnes Apostoli Christi, et tandem ipse Christus ascendit in hanc navim.[45] In Maria ante incarnationem erant omnia dona Spiritus Sancti, omnis gratia Dei, et tandem ipsemet Deus hanc navim per incarnationem ascendit.

39a) S. Anselmus *De Conceptione Virginis et peccato originalis*, cp. 18, (P. L. 158, 451).
40) Ms.: חי et: רם. 41) Cf. Lc 1, 28-29. 42) Cf. Ex 37, 17-24. 43) Lc 8, 8-15.
44) Ibid. 1, 28. 45) Cf. Mt 14, 32; Mc 6, 51.

V. Ascendit autem Christus in hanc navim dum esset *in medio mari*, in cursu vitae suae : dum in aetate esset adulta Beata Virgo, Filius Dei in ea incarnatus fuit. Et tunc quidem *iactabatur fluctibus* navis ista, cum Christus in eam ascendit ; nam, cum audisset Angeli salutationem insolitam, *turbata est*, [46] et cum etiam desponsata fuisset a parentibus viro Ioseph, [47] multis navis ista fluctibus iactabatur, quoniam cupiebat perpetuam virginitatem spiritu et corpore servare ut *sancta* esset et *corpore et spiritu*. [48] Navis *in medio mari iactabatur* magnis *fluctibus :* magnas in hoc mundo Virgo Sanctissima passa est angustias, passa tribulationes, quando a viro inventa gravida fuit, [49] quando *non erat eis locus in diversorio*, [50] quando fugere in Aegyptum opus fuit, [51] quando tribus diebus Christum dolens quaesivit, [52] quando in Christi passione et morte gladius doloris pertransivit animam ipsius. [53]

Et tamen multis tribulationibus exagitata fuit in maternitate sua et in passione Christi.

Sed postea in Christi gloriosa resurrectione cessavit procella, omni repleta consolatione fuit. Et tandem pervenit in *terram Genesareth* navis ista; [54] interpretatur autem Genesar p a r a d i s u s, sive h o r t u s p r i n c i p i s, ubi Christus agnoscitur, ubi adoratur, ubi dicitur ei : *Vere Filius Dei es*, [55] ubi ipse *omnem* sanat *languorem et omnem infirmitatem :* [56] tandem Beata Virgo assumpta fuit in coelum, in paradisum Dei, ubi videtur et adoratur ab omnibus Christi divinitas, de qua ipse hodie ait : *Ego sum, nolite timere*, [57] ubi Christus nullam sinit esse infirmitatem, nullum languorem vel animae vel corporis.

sed tandem repleta etiam consolatione in Christi resurrectione et in sua propria assumptione gloriosa.

O mirabilis navigatio cincta miraculis ! In principio huius navigationis Christus operatus fuit miraculum multiplicationis quinque panum ac duorum piscium, [58] in medio ambulat ipse supra mare [59] quasi levissimum lignum, levissima navis, imo avis quae aquis delectatur, et Petrum etiam ambulare facit magno miraculo super aquas ; [60] sedat fluctus maris, cessare facit contrarios ventos, facit tranquillitatem magnam et in fine in terra Genesareth omnem sanat languorem et infirmitatem. Sic Beata Virgo mirabilis fuit navigationis vitae

Vita vero mirabilis, in principio, in decursu et in fine semper plena miraculis!

46) Lc 1, 29. 47) Cf. ibid. vr. 27. 48) 1 Cor 7, 34. 49) Cf. Mt 1, 18-19. 50) Lc 2, 7. 51) Cf. Mt 2, 13-14. 52) Cf. Lc 2, 42-48. 53) Cf. ibid. vr. 35; Io 19, 25-27. 54) Mc 6, 53. 55) Mt 14, 33. 56) Ibid. 9, 35. 57) Mc 6, 50. 58) Cf. ibid. vrr. 41-44. 59) Cf. ibid. vrr. 48-49. 60) Cf. Mt 14, 28-31.

suae in principio, in medio, in fine: in principio per immaculatam conceptionem miraculo factam ac sanctam eius nativitatem; in medio per mirabilem Christi conceptionem in eius utero, nativitatem et educationem; in fine per eius in coelum assumptionem et glorificationem aeternam. O navis mirabilis, o navis summe insignis!

Quamvis autem et ipsa probata tentationibus a satana et a mundo sicut et Christus,

VI. *Erat navis in medio mari.* Quandiu in hoc mundo mansit Beata Virgo non duxit vitam in otio, sed in laboribus. Sic Salomon de forti muliere dicit quod: *Panem otiosa non comedit,* [61] et navis ista hodie laborabat *in medio mari: Vidit eos laborantes in remigando, erat enim contrarius ventus.* [62] Tentabatur etiam Virgo Sanctissima a diabolo sicut tentatus fuit Christus, [63] et persecutionem patiebatur a mundo sicut et Christus; navis enim in medio mari patiebatur hodie tum ab undis aquarum tum a ventis. Aquae multae populi multi, [64] venti autem contrarii sunt spiritus maligni; sed laborabat navis in remigando virtutum amore, odio vitiorum, contemptu mundi, amore Dei, spernendo terrena, desiderando coelestia, habens tanquam Seraph sex alas. [65] Seraph erat eius caritas, sed alae sex aliae virtutes: alae supremae, fides et spes; alae mediae, prudentia et iustitia; alae infimae, fortitudo et temperantia. Hae virtutes remi erant huius navis, remigatores vero intellectus et affectus concupiscibilis et irascibilis, animae vires cordisque passiones. Navis inferius optime clausa ne infernae aquae ingrederentur ad eam submergendam, sed superius versus coelum tota aperta. Sic Sanctissima Virgo non mundum aut ea quae in mundo sunt diligebat, quoniam: *Omne quod est in mundo est concupiscentia carnis,* etc.; [66*] *Mundus totus in maligno positus est;* [67] sed Deum diligebat ex toto corde, anima, mente et viribus suis. [68]

omnes superavit quia perfectissima in omnibus virtutibus et in potentiis animae.

Erat navis in medio mari et Iesus solus in terra. Non fuit Beata Virgo in mundo hoc sicut Christus, qui semper a primo instanti con-

61) Prv 31, 27. 62) Mc 6, 48. Vulg.: *Ventus contrarius.* 63) Cf. Mt 4, 4-11. 64) Proverbium deductum ab Apc 17, 15. Cf. S. Bernardinus Senensis *Quadragesimale*, t. 1, sermo 51, cp. 3, pag. 263; Lud. Caelius *Lect. Antiq.*, lib. 26, cp. 23, col. 1464. *Aquas* SS. Patres communiter interpretantur populos. Cf. S. Augustinus *In Apocalypsim*, hom. 13, (P. L. 35, 2441); *In Psalmos*, ps. 17, ibid. 36, 150; S. Gregorius M. *Moralium*, lib. 17, cp. 21, ibid. 76, 25, et alii. 65) Cf. Is 6, 2. 66) 1 Io 2, 16. Vulg.: *Concupiscentia carnis est.* 67) Ibid. 5, 19. 68) Cf. Lc 10, 27.

ceptionis suae fuit beatus, non tantum viator, sed etiam comprehensor videns Deum *facie ad faciem* ; [69] non sic Beata Virgo, sed viatrix fuit, hinc *solus Iesus in terra. Erat* autem *navis in medio mari*, fluctibus iactata, cum tamen tota sancta esset : *Tota pulcra es, amica mea, et macula non est in te* ; [70] *Reddet ei bonum et non malum omnibus diebus vitae suae.* [71] Cur ergo tribulationum fluctus passa est in huius mundi mari ? Utique ut meritorum thesauris multo onustior perveniret in coelum. Huius enim mundi tribulationes cum patientia propter Deum et propter iustitiam latae, mercimonia sunt optima, quae in coelo optime carissimoque pretio venduntur : *Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum coelorum ... Merces vestra magna est in coelis.* [72] Hinc navis haec *in medio mari iactabatur fluctibus* ; ob id electos suos Deus in mundo hoc multis tribulationibus afficit, sicut et maxime omnium Filium suum affecit : *Humiliavit ... usque ad mortem, mortem autem crucis ; propter quod ... exaltavit illum et dedit illi nomen quod est super omne nomen.* [73] Hinc cum alias navis haec Petri passa est in mari procellas, ipse quoque Christus erat in navi, unde surrexit postea et *imperavit ventis ac mari* factaque fuit *tranquillitas magna.* [74]

Et si non beata, sicut Christus, fuit tamen sanctissima,

sed tribulationibus vehementer afflicta, ut onustior fieret meritorum thesauris.

II. ALIA HOMILIA

> *Erat navis in medio mari et Iesus solus in terra. Et vidit eos laborantes in remigando, erat enim contrarius ventus*, etc. [1]

I. Ecce arca Noe in medio aquarum diluvii,[2] Ecclesia Christi, qui est verus Noe, *vir iustus atque perfectus* ; [3] navis enim haec Ecclesiam significat, cum in ea essent omnes dilectissimi et electissimi discipuli et Apostoli Christi. Et mirum quidem est quomodo navis haec in medio mari iactatur magnis fluctibus. Si Ecclesiam electorum Dei significat,

Navis haec evangelica, sicut etiam arca Noe, Ecclesiam electorum designat,

69) 1 Cor 13, 12. 70) Ct 4, 7. 71) Prv 31, 12. 72) Mt 5, 10-12. Vulg.: *Copiosa est in coelis.* 73) Phil 2, 8-9. Vulg.: *Donavit illi nomen*, etc. 74) Mt 8, 23-26.

1) Mc 6, 47. Vulg.: *Et videns ... ventus contrarius*, etc. *Et vidit* lect. cod. 2) Cf. Gn 7, 17 sqq. 3) Ibid. 6, 9.

ut vere significat, cum in Divinis Litteris legamus quod, quando electus Dei populus ingressus fuit in mare Rubrum, aquae in durissimam glaciem consolidatae fuerunt et factae in duas partes, magno relicto spatio intermedio veluti duo altissimi muri, imo montes maximi ex crystallo, [4] quid, quaeso, est hoc? Ibi tanta securitas et hic tale tantumque periculum: *Erat navis in medio mari et iactabatur* magnis *fluctibus.* Nunquid carior fuit Deo synagoga Moysi quam Ecclesia Christi? Imo tres pueros electos ab impio Nabuchodonosor rege Babylonis in fornacem ignis ardentissimi iniectos, nec ut tangeret quidem eos flamma permisit Deus, [5] et leonibus ora obtusit ne tangerent sanctum Danielem in illorum lacum proiectum; [6] nunc autem sinit periclitari in mari duodecim Christi Apostolos?

quam Deus sinit fluctibus impeti, sed non naufragium pati.

II. Sed si periclitari sinit, non tamen perire, nam Iesus manens in terra *solus*, absque omni periculo quoniam Deus est *Scadai*, שָׁדָי, [7] s i b i solus s u f f i c i e n s et nullius egens, nihil mali pati potens, *vidit* tamen *eos laborantes in remigando*, sinit eos periclitari corpore ne spiritu perirent, sed multo magis salvarentur. Ad salutem enim fides viva, vera atque perfecta necessaria est in Christum, quae sine cognitione divinitatis Christi stare non potest; Christi enim divinitas fundamentum est fidei. Dominus autem voluit ut clarius divinitatem suam agnoscerent ipsius discipuli; hinc operatus fuit miraculum multiplicationis quinque panum ac duorum piscium. [8] Sed quia ex miraculo illo non probe Apostoli divinitatem Christi agnoverunt, nam, ut hic M a r c u s dicit: *Non... intellexerunt de panibus, erat enim cor eorum obcaecatum,* [9] hinc hodie voluit ut praesenti miraculo divinitatem hanc agnoscerent, dum eum vident supra mare ambulantem, Petrum etiam super aquas ambulare facientem, suo impeiio fluctus et procellas maris sedantem et tandem in terra multa miracula operantem. [10] Unde ex his agnoscentes Christi divinam virtutem, *adoraverunt eum dicentes: Vere Filius Dei es,* [10a] cognoverunt eum verum esse Messiam, sicut Nathanael ait: *Rabbi, tu es Filius Dei, tu es rex Israel.* [11] Ad hoc igitur fluctibus tribulationum nos Deus laborare

Christus eam periclitari permittit ut discipuli, viso miraculo, clarius divinitatem eius agnoscerent

et in hac fide magis firmarentur.

4) Cf. Ex 14, 21-22. 5) Cf. Dn 3, 50. 6) Cf. ibid. 6, 16-22; 14, 27-40.
7) Ms.: שדי. 8) Cf. Mc 6, 38-43. 9) Ibid. vr. 52. 10) Cf. ibid. vrr. 48 sqq.
10a) Mt 14, 33. 11) Io 1, 49.

permittit, ut divinam eius virtutem magis agnoscentes in virtutibus proficiamus et spiritu perfectiores efficiamur.

Vidit eos laborantes in remigando. Vidit, quoniam Deus erat, alioquin videre non potuisset eo quod nox erat obscura, erant magnae tenebrae et *ipse* erat *in terra, navis* autem *in medio mari.* Posset nos Deus periculis omnibus superiores facere, sicut hodie Petrum, ac ab omni periculo immunes, sicut Hebraeos in medio maris Rubri ; sed tunc nec Deum nec nos ipsos cognosceremus. Deus autem utranque a nobis exigit cognitionem ; hinc permisit hodie navim periclitari et Petrum super aquas ambulantem mergi ut clamaret : *Domine, adiuva.* [12] Sic in tribulationibus nostris nobis recurrendum ad Deum est.

Deus tribulationes permittit quo melius nos ipsos et Deum agnoscamus.

III. *Erat navis in medio mari*, ubi innumera sunt pericula, unde *iactabatur fluctibus.* Sunt autem in mari praecipue tria periculorum genera : primum est tempestatum, spirantibus ventis contrariis; alterum est scopulorum et maxime occultorum, in quibus saepe franguntur naves ; tertium est piratarum, qui navigantes praedantur, capiunt, ducunt captivos bonisque omnibus privant. Sic nos quidem in praesenti statu habemus tres inimicos : carnem nostram, in qua latent scopuli vitiorum et concupiscentiarum, quae nascuntur ab amore proprio ; mundum suis persuasionibus et dissuasionibus, benedictionibus et maledictionibus, verba enim movent animos sicut venti mare, mundus autem nunc dissuadet viam virtutis in frequentia Sacramentorum, orationibus aliisque pietatis operibus, nunc vitia aliorumque hominum communem vitam sequi persuadet, nunc nos laudat, nunc vituperat, nunc benedicit, nunc maledicit, eiusque verba venti sunt mare animi nostri moventes navique virtutis tempestatem facientes ; tandem daemones omnes salutis nostrae inimici tanquam piratae sunt vigilantissimi et expertissimi, navigationem nostram insidiantes.

Triplex est genus tentationum, quae nos exagitant: ex carne nostra, ex mundo et ex diabolo;

Et in mari quidem nostrae huius navigationis omnia haec pericula simul semper et ubique sunt. Et nos, o fratres, nautae sumus dormitantes, veluti in securissimo portu, ubi nullus sit metus nullumque periculum, manentes ? O nautae stulti ! navigare per procel-

et maxima vigilantia opus est magnoque labore

12) Mt 14, 31. Vulg.: *Domine, salvum me fac.*

contra tot pericula et insidias, si salvari volumus;

losissimum mare in magna tempestate, inter Scyllam et Charybdim, [13] inter innumeras piratarum insidias, et dormitare ? *Erat navis in medio mari et iactabatur fluctibus ; vidit eos laborantes in remigando.* Non dormiebant, non otiabantur Apostoli ; vigilabant, laborabant, remigabant. Sic nobis agendum est, opus nobis est remis et velis navique integra ac multo labore, si salvari volumus et assequi portum salutis. Ad terram Genesareth applicuerunt Apostoli, ad principis paradisum; hic portus est quo tendimus.

spirituale quoque viaticum sumere.

Constructa arca Noe, primo omnium mandavit illi Deus ut cibos victui necessarios in arcam inferret ; [14] sic ad navigationem nostram viatico opus est, cibis spiritualibus verbi Dei, sanctarum meditationum, maxime vero sacramenti Eucharistiae, qui panis coelestis est ; deinde alia navigationi necessaria providenda sunt: vela, malus, funes, remi, acus in pyxide, clavus et similia.

13) Alludit ad vulgatum proverbium:
« Incidit in Scyllam qui vult vitare Charybdim »,
de quo cf. S. Laurentius a Br. *Quadragesimale Primum*, not. 80, pag. 289. 14) Cf. Gn 6, 21.

DOMINICA PRIMA QUADRAGESIMAE

Exhibentur hodie singulare certamen

I. Simplex [1] purusque et mansuetus agnus in vasta silva hodie impetitur a fero, crudeli ferocissimoque leone et voracissimo lupo sub ovina pelle [2] quaeritque pessima ista fera illum capere, occidere et devorare. Et tamen, mirabile dictu ! cognoscit agnus lupum atque leonem sub aliena veste, nec fugit timore concussus, sed forti animo tanquam fortissimus leo stat intrepidus seipsumque defendit nihilque offensus offendit et vincit inermis. Agnus est Christus : *Ecce Agnus Dei,* [3] lupus leoque diabolus : *Videt lupum venientem;* [4] *Adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit quaerens quem devoret.* [5] Agnus solus in silva impetitur a leone : *Ductus est Iesus in desertum a Spiritu, ut tentaretur a diabolo . . . et accedens tentator dixit illi.* [6] Pugnat agnus cum leone et vincit : *Superata omni tentatione,* [7] *accesserunt Angeli et ministrabant ei.* [8] Sed vincit quoniam ille agnus est, qui habet *oculos septem et cornua septem, qui sunt septem spiritus Dei,* [9] qui simul et agnus et leo est : *Vicit leo de tribu Iuda, radix*

et gloriosa victoria Christi.

1) In margine haec alia introductio adiecta fuit: « Compositus mundus hic est ex contrariis : terra et coelo, aqua et igne, ortu et occasu, aquilone et austro, luce et tenebris, nocte et die, frigore et calore, aestate et hieme ; nec quicquam reperiri potest quod non habeat suum contrarium, a quo bellum perpetuum damnaque patiatur : divitiis nocent fures, metallis aerugo, pannis tinea, lignis vermes a quibus corroduntur, segetibus rubigo, gregibus lupi. Sic in mundo spirituali Sanctae Ecclesiae continua pugna est inter carnem et spiritum, vitia et virtutes, peccatum et gratiam, Deum et diabolum, Christum et satanam. Hinc hodie *ductus est in desertum a Spiritu, ut tentaretur a diabolo*, diro atque ferissimo humani generis hoste. Sed sicut sol vincit omnes tenebras terrae, sic Christus omnes vicit diaboli tentationes. Nos tamen videbimus hodie causam unde motus diabolus Christum tentarit, ostensuri quod summa fuit Christi dignitas et nobilitas, unde invidia diabolus erumpebat. Haec enim solet esse auri aerugo, ligni vermiculus, panni cuiusvis tinea ». 2) Cf. Mt 7, 15. 3) Io 1, 29. 4) Ibid. 10, 12. 5) 1 Petr 5, 8. 6) Mt 4, 1-3. Ita Missale Rom. Vulg.: *Iesus ductus est . . . dixit ei.* 7) Lc 4, 13. Vulg.: *Consummata omni tentatione.* 8) Mt 4, 11. Vulg.: *Angeli accesserunt*, etc. 9) Apc 5, 6. Vulg.: *Cornua septem et oculos septem*, etc.

David.[10] Beati qui cum Christo legitime certant, ut coronentur corona gloriae reportantes palmas victoriae.

Ductus est Iesus in desertum a Spiritu, ut tentaretur a diabolo. Et cum ieiunasset quadraginta diebus et quadraginta noctibus, postea, etc.[11]

Sicut Adam statim ac creatus a Deo positus est in paradiso,

II. Adam primus homo, mox ut formatus fuit a Deo, ductus fuit in paradisum: *Formavit... Dominus Deus hominem de limo terrae et inspiravit in faciem eius spiraculum vitae, et factus est homo in animam viventem. Plantaverat autem Dominus Deus paradisum voluptatis a principio, in quo posuit hominem quem formaverat;*[12] et iterum: *Tulit... Dominus Deus hominem et posuit eum in paradiso voluptatis, ut operaretur et custodiret illum,*[13] idest paradisum custodiendo et conservando illum sibi per divini praecepti observantiam; nam statim subiungitur: *Praecepitque ei dicens: De omni ligno paradisi comede; de ligno autem scientiae boni et mali ne comedas; in quacunque enim die comederis ex eo morte morieris.*[14] Quia vero ibi Adam a diabolo tentatus et victus divinum praeceptum transgressus fuit paradisumque et sibi et nobis perdidit,[15] propterea hodie Christus ducitur ab eodem Deo, a Spiritu Sancto: *Spiritus est Deus,*[16] at non in paradisum, sed *in desertum: Ductus est Iesus in desertum a Spiritu.*

ubi a satana tentatus et victus fuit,

Sicut creatio solis et lunae, coeli et terrae similis fuit, inter solem autem et lunam magna est dissimilitudo sicut et inter coelum et terram, ita una eademque actio ac simillima per omne modum videtur, qua Deus primum hominem *in paradisum* et secundum *in desertum* duxit. Utrobique homo conditus *ad imaginem et similitudinem Dei*[17] ducitur, sed: *Primus homo de terra terrenus, secundus homo de coelo coelestis.*[18] Fuit ibi tentatus Adam, accedens enim serpens dixit: *Cur praecepit vobis Deus ne comederetis de omni ligno paradisi?*[19] Tentatus hic Christus: *Accedens tentator dixit ei: Si Filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant.*[20] Sed ibi Adam victus a diabolo fuit, hic Christus diabolum vicit; ibi Adam factus fuit daemonum servus, hic Christus

sic Christus, secundus Adam, a Spiritu hodie in desertum ducitur, ubi tentatur a satana,

10) Ibid. vr. 5. 11) Pericope huius diei Mt 4, 1-11. Cf. Missale Rom. 12) Gn 2, 7-8. 13) Ibid. vr. 15. 14) Ibid. vrr. 16-17. Vulg.: *Ex omni ligno ... in quocunque*, etc. 15) Cf. ibid. 3, 1 sqq. 16) Io 4, 24. 17) Gn 1, 27; 5, 1; 9, 6. 18) 1 Cor 15, 47. 19) Gn 3, 1. Vulg.: *Ut non*, etc. 20) Mt 4, 3.

Dominus Angelorum: *Accesserunt Angeli et ministrabant ei, superata omni tentatione;* ibi Adam et sibi et nobis amisit paradisum gloriae, hic Christus coeleste regnum nobis acquisivit omniaque humani generis damna reparavit. Sicut enim victoria diaboli, qua vicit primum hominem tentando, causa fuit omnis damni omnisque mali totius humani generis, ita victoria ista, qua Christus, homo secundus, diabolum vicit, causa est omnis boni et reparatio ac restauratio omnis mali. Hodie Christus conterit caput serpentis antiqui, [20a] hodie illum omni gloria et potestate mundani principatus privat, faciens illum sibi servum: *A quo enim quis victus est, illius et servus est.* [21] Adam victus a diabolo convertit paradisum voluptatis in desertum poenitentiae, hodie Christus vincens diabolum convertit desertum poenitentiae in paradisum voluptatis.

sed non vincitur, quin imo omnia damna reparat, quae ob peccatum in mundo advenerant.

III. Et diabolus quidem de homine unam tantum victoriam reportavit, sed Christus hodie triplicem de diabolo reportat victoriam et sicut Ioab impium Absalomum tribus lanceis confodit [22] eiusque cor transverberat, quoniam homo ibi triplex bonum amiserat: bonum naturae, bonum gratiae et bonum gloriae; bonum corporis, bonum animae, et bonum totius compositi in aeterna felicitate; et triplici seipsum universumque genus humanum subiecerat malo: corporis, animae et totius compositi; poenis mortique corporali, vitio et peccato ac tandem reatui mortis aeternae.

Quia triplex bonum per peccatum homo amiserat: corporis, animae et totius compositi,

Hinc prima tentatio quam Christus vicit, est de pane, qui [22a] basis et fundamentum est corporalis vitae; secunda, ut se de templi pinnaculo proiciat in terram, quod facit homo dum peccat, descendens ab Ierusalem in Ierícho; [23] tertia, de appetitu regni et gloriae. Lucratus est nobis hodie Christus panem vitae, excelsum locum in templo Dei atque universum Dei regnum et gloriam ipsius. Hinc: *Ductus est Iesus in desertum a Spiritu, ut tentaretur a diabolo,* ut vinceret diabolum eumque omni gloria et potestate mundani principatus privaret, unde: *Nunc princeps huius mundi eicietur foras;* [24] *Princeps huius mundi iam iudicatus est.* [25] Sic hodie.

ideo triplicem victoriam hodie Christus de satana reportat.

20a) Cf. Gn 3, 15; Apc 12, 9. 21) 2 Petr 2, 19. Vulg.: *Superatus est, huius,* etc.
22) Cf. 2 Rg 18, 14. 22a) Ms.: *Quod.* 23) Cf. Lc 10, 30. 24) Io 12, 31.
25) Ibid. 16, 11.

Figurae Christi de satana triumphantis fuerunt Samson leonem occidens,

Samson divino spiritu actus leonem occidit et in eiusdem mortui leonis ore dulcissimum favum mellis invenit atque accepit.[26] *Superata omni tentatione:* ecce leo occisus, *accesserunt Angeli et ministrabant ei:* ecce favus mellis, gloria paradisi. *Certa bonum certamen ... apprehende vitam aeternam:*[27] hic est favus mellis quem Christus post resurrectionem comedit.[28] Hodie David leonem ursumque occidit et raptam ovem ex eius faucibus eripit, hodie contra Goliath pugnat inermis eique caput, prostrato iam in terram et occiso, suo ipsius gladio amputat. David contra Goliath quinque lapides de torrente sumpsit et unius lapidis ictu gigantem prostravit;[29] sic Christus hodie Pentateucho armatus pugnat, et unius tantum libri *Deuteronomii* argumenta contra diabolum sumit.[30] Virga autem Davidis virtutem potestatemque Christi significat. Hodie Iosue pugnat contra Amalec, et maximum illum gigantem Og regem Basan occidit regnumque ei aufert et dat Israeli.[31] Hodie Moyses demergit Pharaonem cum universo exercitu suo in mari Rubro Deique populum ab omni tum potestate tum metu Pharaonis liberat mirabili illa virga virtutis divinae;[32] sic Christus hodie diabolum vincens universa reparat humani generis damna.

David gigantem prostrans, Iosue Og regem Basan vincens,

et Moyses Pharaonem in mari Rubro demergens et populum a servitute liberans.

Diabolus Christum tentans visibiliter apparuit, sicut olim cum Adam tentavit.

IV. *Accedens tentator dixit ei: Si Filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant.* Simili omnino modo quo Adam, diabolus hodie Christum tentat. Adamo apparuit in forma visibili atque corporea serpentis,[33] sic et in forma corporea Christo apparet hodie, hoc est enim *accedens;* accessus enim progressivus est animalis motus. Accessit ad Christum, ut verisimile est, in humana forma, hominem se esse simulans ac unum illorum qui in baptismo Christi audiverunt vocem de coelo dicentem: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui,* quando aperti fuerunt super Christum coeli et Spiritus Sanctus descendit *et mansit super* Christum *corporali specie tanquam columba.*[34]

26) Cf. Idc 14, 8-9. 27) 1 Tim 6, 12. 28) Cf. Lc 24, 42-43. 29) Cf. 1 Rg 17, 34-51. 30) Cf. Dt 6, 13. 16; 8, 3; Mt 4, 4. 7. 10. 31) Cf. Nm 21, 33 sqq.; Dt 3, 1 sqq. 32) Cf. Ex 14, 21 sqq. 33) Cf. Gn 3, 1; S. Laurentius a Br. *Explanatio in Genesim*, pag. 254, not. 5. 34) Mt 3, 17; Lc 3, 22; Io 1, 32. Vulg.: *Sicut columba.* Cf. S. Thomas *S. Theolog.*, 3a, q. 41, a. 4. S. Auctor quoties hanc pericopen affert semper adverbium *bene* adicit, sequens Breviarium Rom. in Festo Epiphaniae ad Mat., respons. primae lect. *Bene* autem in Evangelio ponitur tantum in verbis Patris de Christo transfigurato. Cf. Mt 17, 5.

Accedens tentator. Quem Matthaeus dicit *tentatorem,* Marcus dicit *satanam*[35] et Lucas *diabolum;*[36] Moyses autem *serpentem* dixit,[37] et in *Apocalypsi* appellatur *serpens antiquus draco magnus, qui vocatur satanas, et diabolus... accusator fratrum nostrorum... in conspectu Altissimi.*[38] *Satanas* autem dicitur, idest adversarius, quia et Deo et nobis semper ex odio tanquam summus inimicus adversatur; *diabolus* vero, idest calumniator, quia homines apud Deum calumniatur, sicut calumniatus fuit Beatum Iob,[39] et Deum apud homines, sicut calumniatus fuit Deum apud Adamum;[40] *serpens* vero et *draco,* quia suggestiones tentationesque ipsius venena sunt letifera; *tentator* vero, idest sollicitator ad malum, quia haec ipsius ars est et professio: incitare et sollicitare omnibus modis et artibus homines quosvis ad peccandum, quaerens mille occasiones. Hinc, cum Christum esurientem vidit, hanc nactus occasionem aggressus illum est ad tentandum: *Si Filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant.* Sicut qui mulierem aliquam de pudicitia sollicitat, insana cupiditate stimulatus, nullam vel minimam occasionem praetermittit, sic utique diabolus.

Appellatur autem *satanas,* quia adversarius Dei et hominum est; *diabolus,* quia calumniator Dei apud homines; *serpens* et *draco,* quia tentationes eius venena letifera sunt; *tentator,* quia omnibus modis ad malum semper sollicitat.

Cum autem tentare sit[41] sollicitare et incitare aliquem ad peccandum, non elucet quomodo hisce verbis diabolus Christum ad peccatum aliquod incitarit: *Dic ut lapides isti panes fiant,* nisi velimus dicere quod tentare hic sit periculum facere, experimentum sumere et aliquid velle probare; sic enim tentatur hic de scientia, an doctus sit, ille de fortitudine, alius de virtute animi et morum probitate. Quomodo Deus, qui *intentator malorum est... neminem tentat*[42] ad malum, tentasse dicitur Abraham,[43] Iob,[44] Tobiam[45] aliosque electos suos, ut illorum virtutem mundo notificaret; sic forte satanas Christum tentavit volens periculum facere et evidenter certeque cognoscere an Christus esset Filius Dei verusque Messias, mundi Redemptor atque Salvator, ut, hoc cognito, modis omnibus quibus posset, hominum salutem impediret. Certissimus autem effectus fuisset, si Christus solo verbo lapides in panem convertisset, hoc enim solius divinae est potestatis.

Dicitur satanas Christum tentasse, quia voluit de eo experimentum facere ut cognosceret an Christus Filius Dei esset.

35) Cf. 1, 13. 36) Cf. 4, 2. 37) Cf. Gn 3, 1. 38) 12, 9-10. Vulg.: *Diabolus et satanas... ante conspectum Dei nostri.* 39) Cf. Iob 1, 9-12; 2, 1-6. 40) Cf. Gn 3, 4-5. 41) Ms.: *Sic.* 42) Iac 1, 13. 43) Cf. Gn 22, 1. 44) Cf. Iob 1, 14; 2, 7-10. 45) Cf. Tob 2, 12; 12, 13.

Hac autem prima tentatione diabolus Deum calumniatur apud Christum,

V. Sed profecto sicut secunda et tertia tentationibus Christum ad peccatum pertrahere conatus fuit, secunda quidem, ut seipsum praecipitio occideret, tertia vero ut diabolum ipsum adoraret idololatriamque committeret, idipsum etiam prima tantatione molitus fuit. Et subtilissima quidem tentatio est, qua ipsum Deum apud Christum calumniatur. sicut eundem Deum calumniatus fuit apud Adamum dicens : *Cur praecepit vobis Deus ne comederetis de omni ligno paradisi?* Ut quid Deus tanto vos bono privat? Cur non vult vos liberos esse, ut de omni ligno paradisi comedere possitis? Certe privare aliquem magno aliquo bono non est benevolentiae et amoris, sed malivolentiae et odii signum. Hoc enim implicite voluit dicere; nam cum mulier dixisset : De omni ligno paradisi vescimur; de ligno autem scientiae boni et mali *praecepit nobis Deus ne comederemus et ne tangeremus illud, ne forte moriamur,*[46] subiunxit venenatus serpens, et mortiferum venenum evomuit, quo homines mortalissime infecit : *Nequaquam,* inquit, *moriemini; scit enim Deus quia quacunque die comederitis ex eo aperientur oculi vestri, et eritis sicut dii scientes bonum et malum.*[47] Sic mendax et pater mendacii,[48] impostor pessimus Deum de malivolentia erga homines calumniatus fuit.

sicut calumniatus fuit apud Adam,

Idipsum nunc quoque cum Christo in prima tentatione facit : *Si,* inquit, *Filius Dei es,* ut dictum tibi est in baptismo, dicas mihi, quaeso : quaenam haec patris erga filium providentia est? quaenam cura? Ecce quadraginta diebus ieiunasti nihilque comedisti nihilque tibi ad comedendum in solitudine ista providit, cumque modo esurias, nihil habes quod comedas; quomodo ergo Pater tuus iste fame te perire ac mori permittit? Num dedit tibi potestatem ut lapides in panem convertas? Si hanc potestatem habes, *dic ut lapides isti panes fiant.* Sic pessimus calumniator, vafrax et versipellis impostor divinam providentiam paternamque curam, amorem et caritatem erga Christum calumniatur.

quaerens ut Christus dubitet de paterna Dei erga ipsum providentia;

Cui Christus nihil cedit, sicut nec durissima petra serpenti desuper ambulanti : *Viam colubri super petram,*[49] sed optime respondit: *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore*

sed Christus triumphavit sapientissima responsione,

46) Gn 3, 3. 47) Ibid. vrr. 4-5. Vulg.: *Quod in quocunque die,* etc. 48) Cf. Io 8, 44.
49) Prv 30, 19.

Dei. [50] Si, inquit, nullo alio modo Deus nutrire ac sustentare posset hominem, nisi solo corporali pane, verum diceres, vere argumentareris; sed Deus mille aliis modis vitam hominis sustentare potest, sicut sustentavit universum populum Hebraeorum, gentem innumerabilem, in deserto annis quadraginta absque ullo pane, sed pluens illis manna de coelo. [51] Sufficientissima plane et optima responsio et ob id Christus, quamvis posset divinitatis suae virtute petras in panem convertere, noluit tamen, quia miracula non sunt facienda nisi ad Dei gloriam et proximorum salutem vel spiritualem vel corporalem, non ad ostentationem, ut magi et incantatores faciunt ad vanitatem, absque ulla utilitate. Hinc Christus coram Herode miracula facere noluit, [52] et ob eandem causam noluit ad diaboli petitionem miraculum edere conversionis lapidum in panem, sicut in nuptiis aquam in vina divina virtute convertit, non sine fructu salutari, nam: *Crediderunt in eum discipuli eius,* [53] viso eo divino miraculo.

et quamvis posset, noluit tamen miraculum operari, cum necessarium non esset.

VI. Sic diabolus delusus victusque et sua spe frustratus fraudatusque remansit. Praetendebat enim praecipitare Christum in desperationem ac diffidentiam divinae providentiae in magna illa famis necessitate; quod quidem in magnis necessitatibus extremisque periculis facillimum est, dubitare, inquam, de praesentissima providentia Dei, sicut Christus Petro mergi incipienti in aquis maris cum vidisset *ventum validum,* dixit: *Modicae fidei, quare dubitasti?* [54] Hinc multi in magnis tribulationibus positi dicunt: *Quomodo scit Deus et si est scientia in excelso?* [55] Sic David de seipso ait: *Mei autem pene moti sunt pedes, pene effusi sunt gressus mei.* [56] Ex vano autem timore et diffidentia de providentia divina oritur immoderata sollicitudo rerum temporalium, quae suffocat sementem patrisfamilias, [57] unde Christus ait: *Nolite... solliciti esse dicentes: Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur?... Scit enim Pater vester quia his omnibus indigetis.* [58] Sic Christus esuriens nulla angebatur sollicitudine et cura panis et cibi necessarii, sicut scriptum est: *Iacta cogitatum tuum in*

Diabolus Christum tentavit de diffidentia divinae providentiae,

quia facillimum est in angustiis de ea dubitare;

50) Mt 4, 4. 51) Cf. Ex 16, 13-15. 52) Cf. Lc 23, 8-10. 53) Io 2, 7-11. 54) Mt 14, 30-31. 55) Ps 72, 11. 56) Ibid. vr. 2. 57) Cf. Mt 13, 22; Mc 4, 7. 58) Mt 6, 31-32.

Domino et ipse te enutriet;[59] et Christus ipse ait: *Primum quaerite regnum Dei et iustitiam eius, et haec omnia adicientur vobis.*[60]

tentavit autem ut eum in dubium induceret an vere esset Filius Dei.

Ad hunc igitur scopum satanas traxit tentationis sagittam ignitumque iaculum ut feriret cor Christi sagitta vani timoris et diffidentiae de providentia divina paternaque cura; et adhuc etiam intimius penetrare ac vulnerare voluit, ut adimeret ex Christi pectore firmam illam existimationem, qua indubitantissime tenebat se Filium esse Dei, iuxta id quod dictum ipsi coelitus fuerat in baptismo.

Nil fructuosius quam ut homo sciat se vere esse filium Dei per gratiam;

ideo Christus maxime studuit hanc fidem inserere cordibus nostris, quia haec est vera nostra nobilitas.

Haec enim firma existimatio veluti radix est arboris illius bonae, quae fructus bonos facit et non potest fructus malos facere.[61] Sicut enim nobilium virorum ac principum filii erubescunt viles exercere artes sordidaque exercitia, quae ignobilium ac vilissimorum sunt hominum, solo nobilitatis et honoris intuitu, sic qui se agnoscit vere per gratiam adoptionis filium Dei esse, fratrem Christi et Sanctorum omnium, qui in coelo sunt apud Deum. Hinc Christus hanc super omnia fidem et existimationem fidelium suorum cordibus inserere ac firmissime radicare summo studio conatus fuit. Hinc vel semper, cum de Deo sermonem haberet, eum *Patris* nomine appellabat *Patremque nostrum* dicebat et nos filios eius. Haec enim summa generis est nobilitas, filium esse Dei. Sicut enim apud reges nihil potest maius esse quam eius filium naturalem esse, hic enim primus et supremus est gradus, sic post hunc maius esse non potest quam eiusdem filium esse per adoptionem regisque heredem institutum esse ac principalis filii coheredem.

quae in Baptismo acquiritur, quo instituitur homo filius Dei, heres coeli et templum Spiritus Sancti.

Haec nostra est dignitas, haec summa generis nostri nobilitas, ad hoc venit Christus in mundum ut daret nobis spiritum adoptionis filiorum Dei,[62] quales in Baptismo facti sumus. Sicut enim cum baptizatus fuit Christus aperti sunt super eum coeli descenditque Spiritus Sanctus super eum et vox Dei intonuit: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi* bene *complacui*, sic utique omnis, qui non ficte Baptismi suscipit sacramentum, instituitur filius Dei, heres coeli et templum Spiritus Sancti. Et ad hoc Christus voluit baptizari, ut ostenderet quidnam institutum Baptismi sacramentum suscipientibus non in-

59) Ps 54, 23. Vulg.: *Iacta super Dominum curam tuam*, etc. Cf. Missale Rom. Dominica Tertia post Pent., Graduale. 60) Mt 6, 33. Vulg.: *Quaerite ergo primum*, etc.
61) Cf. ibid. 7, 17-18. 62) Cf. Rom 8, 15-23.

digne conferret, filiationem scilicet Dei et spiritum adoptionis filiorum Dei. Hinc dicitur a Paulo *lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus Sancti.* [63]

Hanc autem summam generis nobilitatem, quam hereditas regni coelestis consequitur, nam : *Si ... filii, et heredes, heredes quidem Dei, coheredes autem Christi,* [64] super omnia invidet nobis diabolus et ea nos omni conatu summisque studiis semper diu noctuque privare suis tentationibus satagit, sciens nos per peccatum summa hac nobilitate privari, cum haec in Spiritus Sancti gratia vivaque fide consistat. Hinc quod certissimum est et quod coelitus divinitusque unicuique nostrum praedicatum est : *Tu es filius meus dilectus, in te mihi complacui,* ponit in dubium : *Si Filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant,* volens nos dubios in fide et spe paternae Dei providentiae efficere, maxime vero in necessitatis et adversae alicuius fortunae tempore, cum specialiter Dei auxilium singulare, quod necessarium tunc nobis esse videtur, non praesto adest, cum tamen saepe necessarium non sit, maxime cum temporalis necessitas est. Sed tunc cum Christo dicendum nobis est : *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei.* Temporales adversitates sunt vel in iactura divitiarum vel honorum vel voluptatum vitae praesentis ; sed dicendum est : Non in hisce temporalibus, terrenis caducisque bonis vivit homo, sed in omni gratia Dei, sicut Paulo Christus dixit : *Sufficit tibi,* Paule, *gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur.* [65]

Hanc fidem satanas conatur evellere e cordibus faciens ut homo in necessitatibus dubitet de paterna Dei providentia;

sed suggestionibus tentatoris respondendum est sicut Christus respondit.

VII. Et prima hac quidem tentatione diabolus multos deicit, multos vincit. Sic enim filios Israel in deserto saepe tentavit atque deiecit: cum egressi ex Aegypto viderunt Pharaonem cum maximo exercitu ipsos insequentem, [66] cum post transitum maris Rubri defecit eis panis, [67] cum, postquam discessi fuerunt [67a] ab Elim, ubi erant duodecim fontes, non invenerunt in Mara nisi aquas amaras, [68] cum defecit eis aqua in solitudine *ad aquas contradictionis,* [69] cum regressi fuerunt exploratores a terra promissionis quadraginta diebus explo-

Haec prima tentatio potentissima est qua multos diabolus vincit;

63) Tit 3, 5. 64) Rom 8, 17. 65) 2 Cor 12, 9. 66) Cf. Ex 14, 10-12. 67) Cf. ibid. 16, 1-3. 67a) De hac coniugatione cf. Aeg. Forcellini *Lexicon Totius Latinitatis*, sub verbo: *Discedo.* 68) Cf. Ex 15, 23-24. 69) Cf. Nm 20, 2-24.

rata; [70] et saepe alias in necessitatibus positi murmuraverunt contra Dominum et contra Moysen et Aaron. [71]

quando autem hac nihil proficit, alia opposita hominem aggreditur,

Quos autem hac non deicit, alia aggreditur via: *Tunc assumpsit eum diabolus in sanctam civitatem et statuit eum super pinnaculum templi et dixit ei : Si Filius Dei es, mitte te deorsum.* [72] Prima tentatio fuit diffidentiae et desperationis de providentia divina, vani timoris et dubitationis de vera filiatione Dei; secunda tentatio est nimiae fiduciae, audacis confidentiae, temerariae spei et praesumptionis indiscretae de eadem providentia Dei. Consistit virtus in medio, [73] liberalitas inter avaritiam et prodigalitatem, fortitudo inter pusillanimitatem et temerariam audaciam, prudentia inter callidam astutiam et incircumspectam rudemque simplicitatem, sic omnis virtus consistit in medio, tanquam aer inter ignem et aquam. Sicut autem legimus de pessimo illo daemone, quem Dominus a lunatico iuvene eiecit, quod infelicem illum nunc in ignem nunc in aquam mittebat ut illum perderet; [74] sic diabolus nunc ab extremo ad extremum pertransiit Christum tentando: prius in ignem et nunc in aquam voluit Christum mittere: *Si Filius Dei es, mitte te deorsum..., quia Angelis suis mandavit de te ut in manibus tollant te, ne... offendas ad lapidem pedem tuum.* [75] Cui Dominus optime respondit: *Scriptum est: Non tentabis Dominum Deum tuum.* [76] Est verum, inquit, quod dicit Scriptura de Angelorum custodia ad conservandum hominem illaesum ad eumque adiuvandum in tempore et casu cuiusvis necessitatis; sed si quis temere de Deo velit experimentum sumere et periculum facere, peccat et facit contra voluntatem Dei. Et ubi ad evitandum malum est certum naturale remedium, non est supernaturale et divinum temere requirendum expectandumque miraculum; hoc enim est quod Divina Scriptura dicit: *Non tentabis Dominum Deum tuum.*

idest temeraria praesumptione providentiae Dei,

qua etiam innumeros perdit, qui sub praetextu magnae fiduciae in misericordia Dei

Et hac quidem secunda tentatione diabolus innumeros deicit atque praecipitat, quos sub praetextu magnae fiduciae et confidentiae in magna misericordia Dei in magnis peccatis multo tempore et ad finem usque perseverare facit; his utique praecipitium suadet: *Si Filius Dei es, mitte te deorsum.* Et maxima hominum multitudo sic se

70) Cf. ibid. 13, 1-14, 1-4. 71) Ps 94, 10. 72) Mt 4, 5-6. 73) Notum effatum ex Aristotele *Ethicorum Nicom.*, lib. 2, cp. 9, t. 2, pag. 14. 74) Cf. Mt 17, 14-17. 75) Ibid. 4, 6. Vulg.: *Et in manibus tollent*, etc. 76) Ibid. vr. 7.

praecipitant sub praetextu magnae misericordiae Dei. Sed dicas mihi, homo : Tu, qui diaboli arte delusus et alucinatus sic te in barathrum peccatorum praecipitas sub spe misericordiae Dei, quid diceres suadenti ut te ex alto praecipitem dares aut in mare profundissimum mergeres vel in fornacem ignis teipsum proiceres, quoniam Deus adiuvare te posset? Si teipsum quovis modo occideres, [77] posset utique Deus te vivificare, cur non teipsum occidis? Posset te Deus sine cibo sustentare, cur comedis? O hominum extrema insania, o diaboli maxima deceptio : *Mitte te deorsum . . . , quia Angelis suis mandavit de te,* etc.

In peccatis perseverant.

Non tentabis Dominum Deum tuum. Una cum spe est necessarius timor Dei, magna in Deum reverentia ; hae enim sunt duae molae, quae secundum legem separari non possunt, ut una sine altera vendatur vel in pignus detur. [78] Sperandum est in misericordia et bonitate Dei, sed timenda nihilominus divina iustitia est, formidandum divinum iudicium. Laban elegit oves extremorum colorum, vel totas albas, vel totas nigras, sed Iacob varias elegit ac diversicolores, [79] nam virtus in medio consistit inter extrema, veluti aer inter ignem et aquam. Sic docet Divina Scriptura non declinandum esse neque ad dexteram neque ad sinistram, ut dixit Deus Iosue, [80] ut neque de divina misericordia desperet neque nimium confidat homo. *Deus* enim *ignis consumens est;* si nimium accedis ad ignem, combureris, si nimium elongaris, frigore moreris ; in medio standum est ut beneficium ex eo sumamus. Via salutis est sicut arcta via et strictus pons habens hinc quidem aquam, hinc vero ignem, quare media incedendum est via. Sic Dominus vias a nobis rectas et planas requirit: *Parate viam Domini, rectas facite semitas eius ; omnis vallis exaltetur et omnis mons et collis humilietur.* [81] Vallis est terrae defectus, mons vero superfluitas. In prima tentatione videmus defectum, in secunda superfluitatem ; in prima praetendit diabolus defectum fiduciae in Deo, in secunda nimiam confidentiam et praesumptionem.

Sed docet Christus quod, si sperandum in Deo sit, pariter etiam Deus timendus est,

et de divina misericordia nec desperandum nec nimis confidendum.

VIII. *Ductus est Iesus in desertum a Spiritu, ut tentaretur a diabolo.* Videmus hodie Iesum sacerdotem magnum a satana impugnatum,

77) Ms.: *Occidere.* 78) Cf. Dt 24, 6. 79) Cf. Gn 30, 31-35. 80) Cf. Ios 1, 7.
81) Is 40, 3-4; Lc 3, 4-5. Vulg.: *Exaltabitur . . . humiliabitur.*

Christus tentatur ut homo, ut in omnibus exemplar hominum esset.

sicut apud Zachariam legimus: *Ostendit mihi Dominus Iesum sacerdotem magnum . . . et satan stabat a dextris eius, ut adversaretur ei. Erat* autem *Iesus indutus vestibus sordidis,* sed, increpato satana, iussit Dominus ut indueretur vestibus gloriosis.[82] Sic Christus hodie tentatur a satana, et satanas quidem stat a dextris. Significat autem dextera potiorem partem, superioritatem, dominium et potestatem. Sic videmus hodie quod diabolus habuit potestatem super corpus Christi, nam: *Assumpsit eum . . . et statuit supra pinnaculum templi,* iterumque: *Assumpsit eum . . . in montem excelsum valde.*[83] Et Iesus erat indutus sordidis vestimentis, quia *posuit in eo Dominus iniquitatem omnium nostrum,*[84] et ad faciendam poenitentiam pro peccatis nostris abiit in desertum et ieiunavit *quadraginta diebus et quadraginta noctibus.* Videbimus autem in gloriosa transfiguratione Christum in vestibus gloriosis[85] et hodie, *superata omni tentatione, accesserunt Angeli et ministrabant ei.* Vestes sordidae sunt caro Christi in humilitate passionis et mortis.

Tentatur in deserto dum orat et ieiunat, ut ostenderet multas esse tentationes in servitio Dei.

IX. Sed mirum est quod Christus, ut tentaretur a diabolo, ductus est non in civitatem, sed in desertum. Quid? Num plures daemones tentatores sunt in deserto quam in civitate? Utique in mundo diabolus non tentat, sed regnat: *Venit . . . princeps mundi huius;*[86] sed in deserto tentat, in loco ubi servi Dei manent ad serviendum Deo. At quidnam postea est quod diabolus ducit Christum in sanctam civitatem et statuit eum supra templum? Diabolus ducit in domum Dei? Ducit in templum, sed non ad orandum Deumque adorandum et salvandam animam, sed ad suadendum praecipitium, ducitque non intra templum, sed supra, nec ducit supra per scalam, sed per saltum ac veluti per volatum.

Multi etiam tententur dum superbia moti ecclesiasticas dignitates ambiunt.

O quot sunt qui sic a diabolo ducuntur in Ecclesiam ut fiant viri ecclesiastici, superbia et ambitione ducti, qui nunc quidem videntur in terra, nunc vero in coelum exaltati supra templum, nunc saeculares et nunc Episcopi! O magnus saltus, imo magnus volatus! Sed hoc opus diaboli est, ut exaltati praecipites ruant; tolluntur in

82) 3, 1-5. Vulg.: *Iesus erat,* etc. 83) Mt 4, 8. 84) Is 53, 6. Vulg.: *Posuit Dominus in eo,* etc. 85) Cf. Mt 17, 2. 30. 86) Io 14, 30.

altum ut lapsu graviori ruant. Hinc tota scandala in Ecclesia Dei, quoniam multi praelati sub habitu episcopali affectione et animo saeculares sunt et mundani, non vere Deo dedicati ; sic in synagoga multi erant principes sacerdotum, a quibus Christus crucifixus fuit. [87] Quisque autem horum non vere Episcopus est et pastor animarum, sed statua episcopalis, quae foris Episcopum ostendit, intus autem lapis vel lignum est, cui dicitur : *O pastor et idolum !* [88] Sic etiam multos ducit *super montem excelsum*, quo temporalis saecularisque dignitas designatur, et unicuique ostendens *omnia regna mundi et gloriam eorum* dicit : *Haec omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me*, si non Deo, sed mammonae servire volueris. Sed Christus ait : *Dominum Deum tuum adorabis et illi soli servies,* [89] quia *nemo potest duobus dominis servire . . . Non potestis Deo servire et mammonae,* [90] ideo Deo *soli servies.*

ex qua multa mala in Ecclesia oriuntur.

II. ALIA HOMILIA

Ductus est Iesus in desertum a Spiritu, ut tentaretur a diabolo. Et cum ieiunasset quadraginta diebus et quadraginta noctibus, postea esuriit. Et accedens tentator, etc. [1]

I. Ostendit sacrosanctum hodiernum Evangelium spirituale certamen inter Christum et diabolum, veluti inter David et Goliam, [2] luctamque illam inter Iacob sanctum et angelum tenebrarum. Angelus enim ille, cum quo Iacob luctatus fuit, tenebrarum potius quam lucis censendus mihi videtur, cum sanctum patriarcham nocte in tenebris impetierit adventanteque luce abire voluerit : *Dimitte me, aurora est ;* sanctoque viro electo Dei nocere voluit, imo nocuit percutiens eum in femore, et tandem victus ab eo fuit, unde ob insignem illam victoriam meruit Iacob nomen *Israelis*, quod est p r i n c e p s f o r t i s, sive p r i n c e p s D e i : *Si enim*, inquit, *contra Deum*

Huius certaminis Christi cum diabolo figurae fuerunt certamen David cum Goliath et lucta Iacob cum angelo.

87) Cf. Mt 27, 1 sqq.; Mc 14, 53 sqq. 88) Zach 11, 17. 89) Mt 4, 10. 90) Ibid. 6, 24.

1) Mt 4, 1-3. 2) Cf. 1 Rg 17, 41-51.

fortis fuisti, quanto magis contra homines praevalebis? [3] Homo autem contra verum Deum fortis esse non potest, sed utique contra diabolum, qui dicitur *deus huius saeculi,* [4] quem Iacob dimittere noluit, nisi parta victoria: *Non dimittam te, nisi benedixeris mihi,* fatendo te victum et tribuendo mihi honorem victoriae: *Et benedixit ei in eodem loco,* quem locum Iacob *Phanuel* appellavit, v i s i o D e i, dicens: *Vidi Deum facie ad faciem et salva facta est,* hebraice *erepta est, anima mea:* ותנצל נפשי. [5] Si erepta fuit anima ipsius, pro anima igitur res erat, et spiritus bonus esse non poterat; hi enim iustis minime contrarii sunt, sed benefici. Cum diabolo igitur luctatus fuit Iacob, sed in humana forma, nam: *Vir,* inquit, *luctabatur cum eo usque mane.* [6] Sic diabolus in humana forma Christo apparuit eumque tentavit.

qui vere spiritus malus fuisse creditur in humana forma apparens, qua etiam apparuit Christo.

II. In quo quidem cogitandum est quod *non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum.* [7] Cogitandum nobis est quis est iste qui tentat, quis tentatur, quo loco, quo tempore, quo scopo, quo fine, qua de causa et quomodo, qua arte tentat. Tentator iste in hodierno Evangelio dicitur *diabolus* et *satanas: Ut tentaretur a diabolo; Tunc assumpsit eum diabolus; Vade, satana.* [8] Hunc Dominus in prima parabola seminatoris designavit per volucres coeli comedentes semen secus viam seminatum: [9] *Venit malus* [10] *et tollit verbum de corde eorum, ne credentes salvi fiant;* [11] *Venit satanas et aufert verbum quod seminatum est;* [12] *Venit diabolus* [12a] *et tollit verbum de corde eorum.* In secunda vero seminatoris parabola designavit Christus, designavit Dominus diabolum per inimicum hominem qui *superseminavit zizania in medio tritici: Inimicus,* inquit, *qui seminavit* zizania, *est diabolus.* [13] Alibi Dominus tentatorem hunc *spiritum immundum* vocavit: *Cum ... immundus spiritus exierit ab homine;* [14] alibi *principem huius mundi: Nunc iudicium est mundi, nunc princeps huius mundi eicietur foras;* [15] *Venit... princeps mundi huius et in me invenit nihil;* [16] *Princeps*

Tentator Christi appellatur in S. Scriptura *diabolus* et *satanas,*

malus,

inimicus,

spiritus immundus, princeps huius mundi,

3) Gn 32, 24-26. 28. Vulg.: *Quoniam si contra Deum,* etc. 4) 2 Cor 4, 4. 5) Gn 32, 26. 29-30. Ms.: *Vattinnazzel naphsce.* 6) Gn 32, 24. 7) Eph 6, 12. 8) Mt 4, 5. 8. 10. 9) Cf. Ibid. 13, 4-8. 10) Ibid. vr. 19. 11) Lc 8, 12. 12) Mc 4, 15. 12a) Lc 8, 12. 13) Mt 13, 25. 28. 39. 14) Ibid. 12, 43. 15) Io 12, 31. 16) Ibid. 14, 30. Vulg.: *Non habet quicquam.*

mundi huius iam iudicatus est.[17] Divus Paulus vocat eum *rectorem tenebrarum harum*[17a] et *deum huius saeculi* excaecantem mentem hominum;[18] Divus Petrus *leonem rugientem,*[19] sicut Christus *lupum* alias appellavit.[20] Divus Ioannes in *Apocalypsi* vocat eum *serpentem antiquum, draconem magnum* eumque depingit rufum, habentem *capita septem et cornua decem,* pugnantem cum Michaele Archangelo et persequentem coelestem mulierem.[21] Hic est tentator qui tentavit Adam,[22] qui flagellavit Iob,[23] qui suasit David ut contra legem Domini populum numeraret,[24] qui misit in cor Iudae ut traderet Christum,[25] imo in ipsum Iudam intravit.[26]

rector tenebrarum, leo, serpens et *draco;*

Dicitur autem *tentator,* quoniam haec ipsius est ars atque professio: omni studio quaerere ut avertat homines a bono, a via virtutis; *aufert verbum* Dei *a corde* hominum, *ne credentes salvi fiant,* totisque viribus conatur et satagit ad malum vitiaque et peccata convertere. Est autem in hac arte peritissimus, quoniam ingenio cum sit perspicacissimo, ab initio mundi usque modo nil aliud unquam egit, nisi seminare vitiorum et peccatorum zizania immittendo in hominum corda immundas cogitationes, hinc *spiritus* dicitur *immundus;* implendo hominum pectora concupiscentia carnis et oculorum, superbia vitae[27] et omni malitia, hinc dicitur *princeps mundi;* avertendo homines a cognitione divinae veritatis et amore divinae bonitatis, hinc dicitur *rector tenebrarum* et *mentium excaecator;* quaerens occidere animas ac perdere in aeternum nunc potentia et terroribus tanquam *leo,* nunc dolis et artibus tanquam *serpens.*

sed hodie *tentator* dicitur, quia eius professio est omni studio hominem a via virtutis, a cognitione veritatis et amore divinae bonitatis avertere.

III. Tentat autem non omnes, non enim infideles, quorum ipse dominatur, qui sui sunt iuris; fur enim non propria, sed aliena quaerit furari, et tyrannus non movet bellum vassallibus sibi subiectis sibique servientibus, sed illis qui regi inimico ipsius famulantur. Tentat Christum membraque Christi: *Satanas expetivit vos ut cribraret sicut triticum.*[28] Lupus persequitur non lupos, sed oves; sic Pharao persequebatur non Aegyptios, sed Hebraeos,[28a] et Nabuchodonosor non

Specialiter tentat membra Christi,

17) Ibid. 16, 11. Vulg.: *Huius mundi,* etc. 17a) Cf. Eph 6, 12. 18) Cf. 2 Cor 4, 4. 19) Cf. 1 Petr 5, 8. 20) Cf. Io 10, 12. 21) Cf. 12, 1 sqq. 22) Cf. Gn 3, 1-6. 23) Cf. Iob 1, 12-2, 1 sqq. 24) Cf. 2 Rg 24, 1-10. 25) Cf. Io 13, 2. 26) Cf. Lc 22, 3; Io 13, 27. 27) Cf. 1 Io 2, 16. 28) Lc 22, 31. 28a) Cf. Ex 1, 8 sqq.

qui mundum et mundana spernunt et Christum imitantur oratione et poenitentia.

Babyloniam, sed Ierusalem destruxit.[29] Tentat eos qui spernunt mundum et omnia quae in eo sunt post terga relinquunt, quique carnem mortificant eamque cum vitiis et concupiscentiis suis crucifigunt.[29a] Sic Christum tentavit postquam, mundo relicto, in desertum a Spiritu ductus fuit et quadraginta diebus ieiunavit.

Tentat autem ubique et omnibus modis, occasiones opportuniores explorans,

Tentavit autem Christum in deserto, loco humili, tentavit supra templi pinnam, tentavit supra montem excelsum; tentat ubique, sed super omnia tempus aptum expectat et opportunum, quando ad tentandum aliqua opportuna se offert occasio. Sic tentavit Christum cum, post ieiunium quadraginta dierum, esuriit. Cum non tentat satanas non dormit, sed vigilantissime observat hominis uniuscuiusque mores, ingenia, vires, passiones animi, inclinationes ac propensiones affectuum, ut sciens qua parte infirmior est animus noster, nactus occasionem et tempus opportunum, ea nos parte impugnet oppugnetque, ut facilius expugnet; sicut tyrannus summa bellandi et oppugnandi arte praeditus, volens aliquam civitatem arcemque oppugnare et capere, prius circuit eam obsidetque, deinde summa cum diligentia explorat qua parte facilius expugnari potest, ac tandem eam oppugnatione impetit ac arietibus ignitisque ferreis globis volantibus bellicorum tormentorum impugnat.

sicut egit cum Christo partem infirmiorem quaerens, quo facilius eum expugnaret,

Ita satanas egit hodie cum Christo; postquam in deserto quadraginta diebus et noctibus vitam moresque Christi observavit, tandem, cognita infirmitate carnis Christi, eo quod post ieiunium esuriit, hac parte ipsum tentat: *Si Filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant.*[30] Sicut gnarus piscator, qui piscium naturam optime novit, eam cum hamo obicit escam qua eos maxime delectari expertus est, sic diabolus hunc videns maxime propensum ad voluptates, illum ad honores, alium ad divitias, unumquenque iuxta proprias uniuscuiusque inclinationes et ingenia tentat. Videns Christum esurientem, appetentem cibum, inclinatum ad panem, hac de re illum tentavit: *Dic ut lapides isti panes fiant.*

et astutissime incipiens a minoribus

Incipit autem tentare a minoribus ut ad maiora deveniat; non dicit: Fac, sed: *Dic;* persuadet minora peccata ut pertrahat ad maiora. Sic Adonias petens reginam Abisag in uxorem, rem parvam a

29) Cf. 4 Rg 25, 1-17. 29a) Cf. Gal 5, 24. 30) Mt 4, 3.

Salomone petere videbatur, sed hac via praetendebat illum regno privare et ad regnum ascendere; quod Salomon animadvertens iussit illum occidi.[31] Sic cum tentavit primos parentes, primo quidem parum petiisse videtur: *Cur praecepit vobis Deus ne comederetis de omni ligno paradisi?*[32] Sed tandem Deo inussit iniuriam invidiae et malivolentiae, quod vel cogitare summum nefas est.

ut ad maiora perveniat.

Sic prima tentatio hodie parva videtur, secunda maior est, qua Christo praecipitium persuadet: *Si Filius Dei es, mitte te deorsum.*[32*] Si, inquit, verum est quod homo ex sola gratia Dei vivere sine pane potest, verum etiam erit quod ex alta turri poterit sine scala aliqua descendere tanquam avis volando, absque offensione ulla. Nam etiam hoc dicit Scriptura: *Scriptum est enim: Quia Angelis suis* Deus, etc.[33] Et ego quidem primum expertus sum in te, videns quod quadraginta diebus sine cibo vixisti; nunc etiam hoc experiri vellem ut sciam et Divinis Scripturis perfecte credam. Tertia vero maxima est, de idololatria: *Haec omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me.*[34] Ego, inquit, ut mei notitiam habeas et quisnam ego sim scias, sum huius mundi princeps omniumque regnorum mundi dominus. Quietis autem causa huc modo deveni cupiens coelestium rerum contemplationi operam dare, segregatusque a negotiis regni, vitae quieti et saluti animae meae vacare, modo invenirem hominem fidelem ac prudentem, cui possem regni gubernacula secure committere, sicut Pharao fecit Iosepho.[35] Tu autem ad hoc videris aptissimus; ideo, si vis mihi servire, sicut Ioseph Pharaoni et Daniel Nabuchodonosor,[36] *haec omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me.*

Ideo cum prius cum de desperatione et de praesumptione tentasset, postea de idololatria tentat.

ut in peccatum eum inducat et perdat.

IV. Hic est tentationum omnium scopus: peccatum, idololatria; finis vero a diabolo intentus: perditio ac damnatio hominis sempiterna; causa autem, quae ipsum ad tentandum impellit, est malitia, hinc dicitur per excellentiam *malus;* summo enim odio prosequitur Deum et quicquid Deo placet, oppositaque diligit contra voluntatem Dei tanquam summus Dei inimicus; nec tantum Dei, sed etiam noster salutisque nostrae: *Inimicus homo hoc fecit.*[37] Hinc, sicut homo qui inimicum crudo acerrimoque odio insectatur ut occidat, quamvis

Diabolus tentat ut hominem ad peccatum inducat et perdat.

31) Cf. 3 Rg 2, 13-25. 32) Gn 3, 1. Vulg.: *Ut non comederetis*, etc. 32*) Mt 4, 6. 33) Ibid. Ex Ps 90, 11. 34) Mt 4, 9. 35) Cf. Gn 41, 38-46. 36) Cf. Dn 2, 48 sqq. 37) Mt 13, 28.

quia homo imago et filius Dei est, destinatus ad implendas sedes ab angelis peccantibus in coelo perditas,

sciat quod, si occiderit, magnis a principe poenis punietur, carceres, compedes, funes, torturas, triremes et forte etiam infamem mortem passurus, vel saltem exilii relegationem perpetuam bonorumque omnium publicationem, acerbo tamen odio stimulatus illum occidit, poenas minores morte nil veritus, sic diabolus nos summo odio insectatur tanquam Dei servos, Dei filios, ob divinam imaginem et similitudinem[38] non tantum naturae, sed multo magis virtutis et gratiae, ob fidem, spem et caritatem Christi. Movetur invidia, ne ascendamus in coelum, unde ipse ob peccatum pulsus aeternoque exilio relegatus fuit in ignem inferni sibi paratum. Movetur tandem amore proprio ; scit enim quod in die iudicii a Christo cum omnibus operariis iniquitatis[39] mittendus est in fornacem ignis et sulphuris[40] eiectus ex aere isto caliginoso : *Ite, maledicti, in ignem aeternum, qui paratus est diabolo et angelis eius.*[41] Quamvis autem ignoret iudicii diem, qui nec Angelis in coelo cognitus est,[42] id tamen scit quod, nisi compleatur numerus electorum Dei impleanturque sedes paradisi, non celebrabitur universale iudicium : « Sustinete modicum tempus, donec impleatur numerus fratrum vestrorum ».[43] Ob id igitur ipse omnes tentat sollicitatque ad vitia et peccata, cupiens damnari omnes homines, sicut Deus vult omnes salvari,[44] ne unquam numerus iste compleatur, ne veniat dies iudicii, dies damnationis eius, quo in fornacem ignis inferni mittendus est a Christo eiectus ab aere mundi huius.

et ut differat iudicii finalis diem, quando ipse ab aere mundi huius in infernum mittetur.

Tentat autem non cogendo voluntatem, sed sollicitando persuasionibus,

V. Modus vero tentandi est non cogendo aut vim inferendo, voluntas enim hominis cogi non potest, libera omnino est, sed tentat persuadendo et dissuadendo, promittendo ut alliciat ad malum, comminando et terrendo ut avertat a bono. Sic hodie veluti terruit Christum quod fame periturus erat in deserto, ubi ad comedendum nil erat nisi lapides. Deinde promissis mulsit : *Haec omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me.* Persuasit Christo, non coegit ut seipsum praecipitaret. Ars autem eius est suis mendaciis multa fingere, sicut hodie in deserto finxit civitatem Ierusalem et templum, finxit montem

38) Cf. Gn 1, 27; 5, 1; 9, 6. 39) Cf. Lc 13, 27. 40) Cf. Apc 19, 20; 20, 9. 41) Mt 25, 41. Vulg.: *Discedite a me, maledicti*, etc. 42) Cf. ibid. 24, 36. 43) Breviarium Rom. in Festo SS. Innocentium ad Mat., respons. secundae lect. Cf. Apc 6, 11. 44) Cf. 1 Tim 2, 4.

excelsum, *omnia regna mundi et gloriam eorum* ad decipiendum Christum. Habet mille artes fallendi, ponendo lucem in tenebras et tenebras in lucem, bonum in malum et malum in bonum, dulce in amarum et amarum in dulce.[45] Voluit hodie commutare cultum et servitutem Dei in cultum mundi et servitutem satanae: *Si cadens adoraveris me.*

mendaciis et fictionibus.

Christus autem docet hodie quomodo tentator iste vincendus est, resistendo tantum, sicut Beatus Iacob ait: *Resistite diabolo et fugiet a vobis.*[46] Resistendum autem est cum virtute fidei, ut Petrus ait: *Cui resistite fortes in fide,*[47] et Paulus: *Sumentes scutum fidei... quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere et in omnibus perfecti stare.*[48] Sic Christus restitit tantum hodie diabolo, sicut arx munitissima sufficit ut defendat se immittendo ad muros et antemuralia cedentem materiam, lanas linaque, ad irritos vanosque reddendos arietum et ignitorum globorum ictus; et nonnunquam ipsa quoque immittit contra inimicum prope iam factum ignitos globos ad illum profligandum. Sic egit hodie Christus: primo, restitit diabolo defendendo seipsum, sed tandem offendit etiam dicens: *Vade, satana, scriptum est enim: Dominum Deum tuum adorabis et illi soli servies.*[49] Sic *superata omni tentatione*[50] discessit diabolus ab eo et *accesserunt Angeli et ministrabant ei;*[51] ubi videmus conflictum, victoriam et coronam atque triumphum, sicut in Davide cum Golia.[52]

Sed vincitur ei resistendo cumque aggrediendo cum virtute fidei, sicut egit Christus.

VI. Multi dicunt: Cur nos Deus a diabolo tentari permittit? Permittit ad virtutum exercitium, quoniam in tentationibus omnes exercentur animi virtutes. Hinc noluit ut omnes Chananaei de terra promissionis penitus delerentur, ut filii Israel exercitarentur in militia et armis.[53] In hac enim pugna vinci non potest nisi qui vult, nam diabolus persuadere potest, cogere autem tentando non potest. Quamvis enim diabolus suapte natura multo sit nobis fortior atque valentior, ligatus est tamen, sicut rabidus canis, qui mordere non

Deus permittit nos a satana tentari ad virtutem exercendam,

45) Cf. Is 5, 20. 46) 4, 7. 47) 1 Petr 5, 9. 48) Eph 6, 13-16. Ordine inverso affert hos vrr. 49) Mt 4, 10. 50) Lc 4, 13. Vulg.: *Consummata omni tentatione.* 51) Mt 4, 11. Vulg.: *Angeli accesserunt,* etc. 52) Cf. 1 Rg 17, 40-55. 53) Cf. Ex 23, 29-30; Dt 7, 22; Idc 3, 1-4.

perficiendam et praemiandam.

potest, nisi accedentem ;[54] ligatus est divina virtute, quia nil potest contra nos, nisi quantum Deus illi permittit, sicut in historia Beati Iob luce clarius cernitur. Tentationibus etiam virtus perficitur. Hinc Paulo datus fuit angelus satanae qui eum colaphizaret,[55] quoniam *virtus in infirmitate perficitur.*[56] Ex victoria tentationum homini magnus resultat honor, magna gloria, sicut Davidi ex victoria, quam de Golia obtinuit, magnum reportavit honorem, imo ea victoria regni israelitici coronam sibi acquisivit. Sic nos diabolicas vincendo tentationes regnum coelorum nobis acquirimus : *Superata omni tentatione, accesserunt Angeli et ministrabant ei.* Quod si, quia multi occasione diabolicarum tentationum peccant, sicut peccavit Adam,[57] non debuisse Deum vel creare diabolum vel tentandi ei facultatem dare quis censeat, ut censeat etiam iste necesse est non debuisse Deum creare bona temporalia, quia occasiones sunt peccatis superbiae, avaritiae, luxuriae, gulae et aliis, non debuisset dare homini sensus, oculos, aures, linguam, manus, cor, et alia membra sensusque, quoniam peccandi occasio sunt ; vel homines non homines rationali anima divinaque imagine et similitudine praeditos, qui ob id peccare possunt, sed brutali tantum anima, sicut bestias alias terrae, creare debuisset. Permittit igitur Deus tentationes ob coronam, quia : *Non coronabitur nisi legitime certaverit ;*[58] *Certa bonum certamen ... apprehende vitam aeternam ;*[59] *Bonum certamen certavi,* et *reposita est mihi corona iustitiae.*[60]

Deus enim tentationem permittit ad coronam promerendam.

III. ALIA HOMILIA

Ductus est Iesus in desertum a Spiritu, ut tentaretur a diabolo. Et cum ieiunasset quadraginta diebus et quadraginta noctibus, postea esuriit, etc.[1]

Diabolus hodie Christum tentat

I. Sicut invidens diabolus gloriae hominis in paradiso terrestri, ex qua sublimandus erat ad gloriam coelestis paradisi, unde ipse ob peccatum suum eiectus aeternoque exilio in infernum relegatus

54) Cf. S. Augustinus *Sermo 37*, (P. L. 39, 1820). 55) Cf. 2 Cor 12, 7. 56) Ibid. vr. 9. 57) Cf. Gn 3, 6 sqq. 58) 2 Tim 2, 5. Vulg.: *Non coronatur. Coronabitur* lect. cod. 59) 1 Tim 6, 12. 60) 2 Tim 4, 7-8.

1) Mt 4, 1-2.

erat,[2] ut hominem ex alto illo divinae dignitatis et gloriae [loco] deiceret, tentationum suarum machinis illum aggressus fuit fraudibusque circumvenit,[3] sic hodie invidens gloriae Christi ipsum ad tentandum aggreditur.

sicut tentavit Adam.

Magna fuit Adami gloria dignitasque in paradiso, quem Deus de humo terrae quidem,[4] sed ad imaginem et similitudinem suam formaverat mundique principem constituerat : *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram et dominetur piscibus maris et volatilibus coeli et bestiis universaeque terrae ;*[5] *Gloria et honore coronasti eum et constituisti eum super opera manuum tuarum ; omnia subiecisti sub pedibus eius.*[6] Sed multo maior est Christi gloria hodie in deserto: *Primus* enim *homo de terra, terrenus ; secundus homo de coelo, coelestis.*[7]

Magna erat gloria Adae in paradiso,

Ductus fuit Christus in desertum statim post baptismum,[8] hinc ait Evangelista : *Tunc ductus est Iesus in desertum a Spiritu ; tunc*, cum mundo ostensa fuit gloria Christi, cum, baptizato Domino, aperti sunt super eum coeli, cum Spiritus Sanctus descendit super eum *corporali specie sicut columba,*[9] cum vox Dei intonuit : *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi* bene *complacui.*[10] Haec summa Christi est gloria : principem esse ac regem coelestis paradisi, templum ac sacrarium Spiritus Sancti thesaurumque omnium donorum eius et vivum ac verum primogenitum et unigenitum Filium Dei : *Hic est ille Filius meus, ille dilectus,* est graece cum articulo,[11] *in quo mihi* bene *complacui.* Huic summae Christi gloriae invidet diabolus et ab hac quaerit hodie Christum deicere, sicut deiecit Adam.

sed infinite maior gloria Christi, quem Pater Filium suum proclamaverat.

Sed aliud luna est, aliud sol ; luna eclipsari potest, quia a se lumen non habet ; sol autem eclipsari vere non potest, quia suapte natura fons est lucis et luminis. Adam luna, Christus sol est divinus ; hinc Adam a diabolo victus peccavit et peccando universam gloriam amisit, quoniam gratia Dei veraque iustitia universae felicitatis et gloriae basis ac fundamentum erat, sicut in homine anima et maxime in corde basis est vitae ; Christus autem vinci non potuit, sed glo-

Sed Adam vinci potuit quia homo, non autem Christus Adamo infinite superior.

2) Cf. Is 14, 12-17; 2 Petr 2, 4; Iud vr. 6. 3) Cf. Gn 3, 1 sqq. 4) Cf. ibid. 2, 7 sqq. 5) Ibid. 1, 26. Vulg.: *Et praesit piscibus*, etc. 6) Ps 8, 6-8. 7) 1 Cor 15, 47. 8) Cf. Mt 3, 13 sqq. 9) Lc 3, 22. 10) Mt 3, 17. Cf. supra, hom. prima huius Dominicae, not. 34, pag. 220. 11) Ὁ ἀγαπητός. Cf. Eb. Nestle *Novum Test.*, h. l.

riosus victor extitit, sicut sol a tenebris vinci minime potest, sed omnes vincit et eliminat.

In hodierno Evangelio proponitur Christus tanquam exemplar hominis christiani.

II. Et quidem, dum Christum hodie in sacrosanctis mysteriis Evangelii huius contemplor, videre mihi videor non proponi nobis tanquam singularis persona, sed tanquam vivum exemplar totius Ecclesiae omniumque fidelium. Christus enim ut singularis persona non egebat baptismo, non solitudine deserti, non ieiunio et oratione, non tentari a diabolo et alia huiusmodi, sed in persona nostra et propter nos haec omnia facta sunt. Baptizari Christus voluit propter nos, ad instituendum Baptismi sacramentum, cuius virtute et gratia homini aperitur ianua regni coelestis : *Nisi* enim *quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.* [12] Datur Spiritus Sanctus, cuius gratia hominem iustificat et sanctificat, et datur adoptio filiorum Dei.

qui in Baptismo constituitur filius Dei adoptivus, quae adoptio est maxima gloria, cui diabolus invidet.

O summa christiani hominis dignitas et nobilitas, esse filium Dei, heredem regni coelestis, templum et habitaculum Spiritus Sancti ! Huic christiani hominis gloriae invidet diabolus, et merito invidet, quoniam vere magna, imo maxima est. Homo, ut homo, oritur ex alio homine, et quo ex nobiliori genere, eo nobilior reputatur ; sed homo, ut christianus, *ex Deo natus est,* [13] filius est Dei. Quid maius cogitari potest ? Si quis in summi regis maximique et potentissimi imperatoris palatium curiamque ingrediatur, nullam ibi maiorem gloriam aut dignitatem reperiet post imperatorem, quam gloriam dignitatemque dilectissimi et unici filii, qui totius regni est princeps et heres; huic autem secunda, eiusdem regis filium adoptivum esse institutumque universalis regni coheredem. Haec gloria christiani hominis est, ut filius sit Dei, frater Christi, heres Dei et coheres Christi. [14]

Accidit in mundo nobilitas ab efficiente, a materia,

III. In mundo apud homines huic quidem rei nobilitas accidit ab efficiente, ut si imago aliqua aut statua facta sit a summo aliquo ac celeberrimo pictore aut sculptore ; illi vero a materia, ut si vas

12) Io 3, 5. 13) 1 Io 3, 9; 4, 7; 5, 1. 14) Cf. Rom 8, 17.

sit ex auro et lapidibus pretiosis, aut domus a summo architectore fabricata, constructa sit ex finissimis marmoribus; alii a forma, ut si domus pulcherrima sit architectura, dispositio et ornatus, si imago aut statua pulcherrima sit et summa cum arte depicta aut sculpta; aliquando a fine, ut si domus aedificata sit pro palatio regis, et imago aut statua sit ad repraesentandum summum imperatorem; aliquando a virtutibus et facultatibus, quibus res aliqua praedita est: sic ob virtutes multae herbae, multi lapides multaque mineralia in pretio habentur; aliquando tandem ab effectibus, ut arbor ex bonis ac pretiosis fructibus.

a forma, a fine, a virtutibus, ab effectibus.

At christianus homo ex his omnibus simul nobilissimus est, quoniam eius pater est Deus: *Ex Deo natus est;* eius materia est natura humana omnium nobilissima ob divinam imaginem et similitudinem. Sicut enim hominis, ut hominis, materia corpus est, ita ut christiani est tota natura et maxime rationalis anima, quae angelicae ac veluti divinae naturae supercoelestis spiritus est.

Christianus nobilissimus est *a*) origine, quia ex Deo natus; *b*) ab anima quae spiritus est;

Forma autem gratia est Spiritus Sancti, imo ipsemet Spiritus Sanctus et Deus forma animaque vivifica animae nostrae spiritusque nostri spiritus est, sicut anima forma est corporis. Hinc sicut in corpore anima principium omnium actionum est, sic in christiano Spiritus Sanctus principium est omnium actionum Deo placentium. Hoc est enim: *Ductus est Iesus in desertum a Spiritu.* Ducitur christianus a Spiritu sicut corpus ab anima. Hinc sicut in generatione forma introducitur in materiam et anima hominis in corpus ipsum vivificans, sic in Baptismo, ubi regeneratur homo et nascitur Filius Dei, datur Spiritus Sanctus tanquam forma vivificans animam et spiritum nostrum; Spiritus autem Sanctus verus vivusque est Deus, quo nobilius nil esse potest.

c) a forma quae est ipsemet Spiritus S., a quo ducitur sicut corpus ab anima;

Finis autem christiani hominis est gloria regni coelestis, gloria totius paradisi – hinc in Baptismo aperitur coelum, – tota gloria ipsius Dei, imo ipsemet Deus. Eius virtus est gratia Spiritus Sancti cum omnibus virtutibus theologicis et cardinalibus omnibusque donis Spiritus Sancti, unde potest facillime mundum spernere, unde Christus hodie mundum post terga relinquit et in desertum abit; carnem mortificare, unde Christus ieiunat *quadraginta diebus et quadraginta*

d) a fine qui est ipsemet Deus; *e*) a virtutibus, quia cum gratia Spiritus S. omnes dantur virtutes eiusque dona;

noctibus; diabolum vincere ac superare, unde Christus omnem superat tentationem invicta virtute.[15]

f) ab effectibus et divinis operibus, quibus vita christiana vere coelestis redditur.

Eius autem opera sunt credere et sperare in Deum eumque timere et ex toto corde diligere, colere et servire: *Non tentabis Dominum Deum tuum;*[16] *Dominum Deum tuum adorabis et illi soli servies;*[17] mundum ex alto despicere, carnem mortificare, diabolum vincere, angelicam vitam ducere, in coelo conversari. O nobilitas, o dignitas infinita! Est homini christiano pater Deus, mater Ecclesia, coelestis illa mulier sole amicta, ac stellis coronata,[18] frater Christus et omnes Sancti, ministri omnes Angeli: *Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis; in manibus,* etc.;[19] *Omnes sunt administratorii spiritus;*[20] *Accesserunt Angeli et ministrabant ei;*[21] victus eius *panis de coelo descendens:*[22] *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei;*[23] cibus eius manna coeli, supersanctissimum altaris Sacramentum; amictus eius vestis nuptialis ac stola prima: *Cito proferte stolam primam et induite eum, et date anulum in manu eius et calceamenta in pedibus eius;*[24] *Induit me* Dominus *vestimentis salutis et indumento iustitiae circumdedit me, quasi sponsum decoratum corona et quasi sponsam ornatam monilibus suis;*[25] *Vidi civitatem sanctam Ierusalem, novam, descendentem de coelo a Deo, paratam sicut sponsam ornatam viro suo,*[26] inquit in sua *Apocalypsi* Ioannes de Ecclesia loquens et de omni anima fideli.

Ab hac autem maxima nobilitate conatur satanas hominem deicere per peccatum.

IV. Sic ex omni parte dignitas christiani hominis maxima est, quoniam est filius Dei. Hinc invidia stimulatus diabolus, acriter torquetur omnemque modum et viam quaerit, qua hominem de tam sublimi loco deiciat; semper et ubique omni tempore et loco omnes eius actiones rimatur, ut, nacta occasione, ad malum sollicitare et pertrahere illum possit, sciens quod totius huius dignitatis et gloriae basis ac fundamentum iustitia est et gratia Spiritus Sancti, quae per peccatum amittitur, qua amissa, corruit omnis dignitas omnisque

15) Cf. Lc 4, 13. 16) Mt 4, 7. 17) Ibid. vr. 10. 18) Cf. Apc 12, 1. 19) Ps 90, 11-12. 20) Hebr 1, 14. 21) Mt 4, 11. Vulg.: *Angeli accesserunt*, etc. 22) Io 6, 50. 23) Mt 4, 4. 24) Lc 15, 22. Vulg.: *Induite illum . . . in manum eius . . . in pedes eius.* 25) Is 61, 10. 26) 21, 2. Vulg.: *Sanctam civitatem*, etc.

gloria hominis christiani, sicut, sublato fundamento, necesse est aedificium cadat. Sic enim primis parentibus accidit.

Et primo, e corde evellere nititur fidem, qua homo se filium Dei esse novit,

Quoniam vero *fides est substantia sperandarum rerum, argumentum non apparentium,* [27] hanc primum satan impugnat : *Si filius Dei es ;* [28] vertit in dubium quod fide certissima tenendum est, nam « dubius in fide infidelis est ». [29] Praedicant omnes utriusque Testamenti paginae electos omnes filios esse Dei : *Filius meus primogenitus Israel ;* [30] *Ego dixi : Dii estis et filii Excelsi omnes ;* [31] *Filios enutrivi et exaltavi ;* [32] *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri . . . qui . . . ex Deo nati sunt ;* [33] *Nunc filii Dei sumus ;* [34] *Videte qualem caritatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur et simus ;* [35] *Qui . . . spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei ; non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum doptionis filiorum* Dei. [36] Sic certissimum est in Divinis Scripturis omnes filios esse Dei.

occasionem capiens tentandi a temporalibus necessitatibus quas fideles patiuntur.

Satanas autem ponit in dubium : *Si filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant.* Accipit tentandi occasionem a temporalibus necessitatibus quas patiuntur fideles, sicut ab esurie Christi, a passione famis, a necessitate cibi, a caritate panis ; eo quod esuriens non haberet quid manducaret, Christum tentandi argumentum sumpsit, et quia Christus non cum Adamo in paradisum deliciarum, sed in desertum poenitentiae ductus fuit.

Sed docet Christus responsione sua hominem bonis spiritualibus magis quam corporalibus indigere;

Ex defectu igitur temporalium bonorum arguit diabolus, ad fidem nostram evertendam, nos filios Dei non esse, quoniam temporalibus hisce bonis improbi magis abundant quam probi, Pharao magis quam Moyses, Aegyptii magis quam Hebraei, epulo non Lazarus. [37] Sed Christus : *Non in solo,* inquit, *pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei.* Homo non tantum caro est, sed multo magis spiritus, non tantum corpus, sed multo magis anima, non tantum animal, sed multo magis Angelus, hinc bonis indiget

27) Hebr 11, 1. Vulg.: *Est . . . fides sperandarum substantia rerum,* etc. 28) Mt 4, 3. 6. 29) Axioma theologicum forte deductum ex illo S. Bernardi: « Fides ambiguum non habet, aut si habet, fides non est », *De Consideratione* ad Eugenium, lib. 5, cp. 3, (P. L. 182, 791), et Hugonis de S. Victore: « Ubi adhuc dubitatio est, fides non est », *De Sacramentis,* lib. 1, part. 10, cp. 2, ibid. 176, 330. Quo sensu vero accipiendum sit, cf. Melchior Canus *Loci Theologici,* lib. 12, cp. 9, pag. 741-763. 30) Ex 4, 22. 31) Ps 81, 6. 32) Is 1, 2. 33) Io 1, 12-13. 34) 1 Io 3, 2. 35) Ibid. vr. 1. 36) Rom 8, 14-15. 37) Cf. Lc 16, 19-21.

multo magis spiritualibus, coelestibus et divinis, quam corporalibus, terrenis et mundanis.

Imo, quia corporalia occasiones sunt ruinae, Deus non vult electos suos illis abundare.

Et quia saepe corporalia bona impedimentum sunt spiritualibus et saepe etiam sunt ruinae occasio, sicut in Adamo,[38] Saule,[39] Davide[40] et Salomone[41] cernimus, propterea non vult Deus electos suos his abundare, sed potius carere et necessitate premi, quoniam sic augentur spiritualia bona, augentur merita virtusque probatur atque perficitur sicut aurum in fornace et sub incude. Sic probatus fuit Iob;[42] et ob id Christus omnibus voluit temporalibus bonis, divitiis, honoribus et voluptatibus in mundo carere multaque mala pati, quoniam felicitas hominis in spiritualibus et internis bonis magis quam in corporalibus et externis consistit. Hinc Deus electum populum in deserto spiritualibus coelestibusque bonis ditavit abundareque fecit: pluit manna de coelo,[43] legem coelitus dedit,[44] instituit sacerdotium,[45] sacrificia et sacramenta[46] et sanctuarium ad inhabitandum fabricari voluit, quod populo locus orationis esset.[47]

Finis tentationis satanae est ut filii Dei servi diaboli per peccatum constituantur,

V. Diabolus vero temporalia tantum ac terrena bona ob oculos ponit, unde ostendit hodie Christo *omnia regna mundi et gloriam eorum* dicens: *Haec omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me.*[48] Hic finis est satanae, omnes electos Dei omni dignitate privare et ex filiis Dei servos diaboli constituere, sicut fecit Adamo; ad hoc tentat, huc omnia eius machinamenta tendunt: *Si cadens adoraveris me,* si me colueris, si mihi servieris, *haec omnia tibi dabo, omnia regna mundi et gloriam eorum.* Ad hoc tentat hominemque ad malum sollicitat, quia homo per peccatum fit servus vilissimus et mancipium diaboli: *A quo enim quis victus est, illius et servus est;*[49] *Qui facit peccatum servus est peccati.*[50] Hinc ob peccatum diabolus princeps est mundi, qui *totus in maligno positus est,*[51] plenus concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum et superbia vitae.[52] Propter quod hodie Christus mundum post terga relinquit et [a] Spiritu Sancto in desertum ducitur carnemque ieiunio quadraginta dierum macerat diu

ipse enim per peccatum regnat in mundo,

38) Cf. Gn 3, 1 sqq. 39) Cf. 1 Rg 13, 1 sqq. 40) Cf. 2 Rg 11, 1 sqq. 41) Cf. 3 Rg 11, 1 sqq. 42) Cf. Iob 1, 1-2, 1 sqq. 43) Cf. Ex 16, 13-15. 44) Cf. ibid. 19, 1 sqq. 45) Cf. ibid. 29, 1 sqq. 46) Cf. Lv 1, 1 sqq. 47) Cf. Ex 25, 1-27, 1 sqq. 48) Mt 4, 8-9. 49) 2 Petr 2, 19. Vulg.: *Superatus est, huius*, etc. 50) Io 8, 34. 51) 1 Io 5, 19. 52) Cf. ibid. 2, 16.

noctuque orationi vacans; et ob id maxime tentatur a diabolo, quoniam eos maxime satanas tentat qui mundum ex alto spernunt carnemque mortificant *cum vitiis et concupiscentiis* [53] suis, hos enim constat non mundi carnisque, sed Dei servos filiosque esse; quare hos tentat ut servos filiosque suos efficiat. Omnis enim homo vel Dei vel diaboli servus et filius est, impiis enim Christus dixit: *Vos ex patre diabolo estis et opera patris vestri vultis facere.* [54] Non tentat autem diabolus servos et filios suos, sicut nec tyrannus civitates oppugnat quas pacifice possidet, nec venator feras persequitur quas funibus catenisque vinctas domi habet, sed persequitur filios Dei, eo quod nobilem vitam ducunt dignam filiis Dei. Quae in sacrosancto hodierno Evangelio nobis sub oculis a Christo proponitur.

et ideo non suos, sed Dei servos persequitur.

Est autem vivere et operari secundum afflatum Spiritus Sancti divinis inspirationibus et impulsibus non resistere, sed obtemperare, hoc enim est: *Ductus est Iesus ... a Spiritu; Agebatur a Spiritu;* [55] *Expulit eum Spiritus,* [56] sicut ventus secundus navim in portum quo tendit et quo citissime pervenire cupit; mundum contemnere, hoc est mundum eiusque vanitates non sectari, sed abominari et fugere divitias, honores, voluptates, quae in civitatibus regnant – hinc lex Dei data fuit in deserto, quoniam mundanae vanitates et concupiscentiae impediunt observantiam divinae legis, distrahentes animum a Deo multisque vitiis coinquinantes; – mortificare carnem ieiuniis: *Cum ieiunasset quadraginta diebus et quadraginta noctibus.* Vilis est enim amor carnis, sicut et mundi terrenarumque rerum concupiscentia; indignum est filio principis vilem artem vilemque mercaturam exercere et vilissimae meretrici servire.

Sunt autem veri filii Dei qui a Spiritu S. ducti mundum contemnunt et virtutem sequuntur.

VI. Ieiunat Christus in deserto et ieiunat quadraginta diebus. Sacratissimus hic numerus est in Divinis Scripturis. Quadraginta dierum diluvio Deus omnem mundi impietatem in aquis submersit; [57] quadraginta dierum ieiunio et oratione Moyses legem obtinuit [58] aliisque quadraginta diebus ieiunans et orans obtinuit veniam populo remissionemque maximi peccati adorationis vituli secundasque legis

Quadragenarius numerus sacratissimus est in Divinis Scripturis,

53) Gal 5, 24. 54) Io 8, 44. Vulg.: *Et desideria patris vestri*, etc. 55) Lc 4, 1. 56) Mc 1, 12. Vulg.: *Spiritus expulit eum.* 57) Cf. Gn 7, 11 sqq. 58) Cf. Ex 24, 18; 31, 1 sqq.

tabulas accepit; [59] quadraginta annis populus Dei in deserto manna de coelo cibatus fuit; [60] quadraginta annis David rex regnavit [61] totidemque Salomon; [62] quadraginta dierum itinere ac ieiunio Elias pervenit ad sanctum montem Dei Horeb ibique Deum vidit, [63] et Ninivitis Deus quadraginta dierum poenitentiam concessit ne perirent, [64] et populus Dei post quadraginta mansiones deserti terram promissionis ingressus fuit. [65] Et Christus quidem quadraginta hisce diebus omnia ista mysteria implevit ieiunans et orans non pro se, sed pro nobis, ut nobis remissionem peccatorum, gratiam salutarem regnique coelestis gloriam et vitam aeternam mereretur in coelis.

Ideo Christus quadraginta diebus ieiunat et orat,

Sic nobis ieiunandum et orandum simul est, ut in carne viventes non secundum carnem vivamus, [66] sed mente et spiritu semper nostra conversatio in coelis sit; [67] sic *regnum Dei et iustitiam eius* quaerere [68] omnemque cogitatum nostrum in Deo iactare, quoniam ipsi est cura de nobis, ipse nos enutriet, [69] scit enim quibus indigemus et potest ac vult nobis in omni necessitate succurrere; [70] vivere non in solo pane terreno ad instar bestiarum, sed in pane coelesti et divino ad instar Angelorum; non tentare Deum, sed illum filialiter timere et revereri, Deum colere, ipsum solum adorare, ipsique soli servire et omnes diaboli tentationes superare.

nobis relinquens exemplum ut non secundum carnem, sed secundum spiritum vivamus.

VII. Haec vita est christianae nobilitatis, cui Angeli serviunt: *Superata omni tentatione, accesserunt Angeli et ministrabant ei,* [71] et cui diabolus invidia stimulatus adversatur; hinc tentator accedit: *Si Filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant.* Tentator iste est sicut pictor qui nunc, ut magis libet, res magnas parvas efficit, nunc, e contra, parvas efficit magnas faciens ex gigante pygmaeum et ex pygmaeo gigantem, sicut poeta qui, ut pictor coloribus, ita ipse verbis fingit pingitque quod libet, sicut orator potentissimae linguae qui altera manu ignem portat altera aquam, nunc persuadet nunc dissuadet; altera risum altera lacrimas, nunc magnificat laudando, defendendo, persuadendo, nunc extenuat vituperando, accusando,

Haec est vita vere christiana cui satanas maxime adversatur,

59) Cf. Ibid. 32, 1 sqq.; 34, 1-28. 60) Cf. Ibid. 16, 35. 61) Cf. 2 Rg 5, 4 62) Cf. 2 Par 9, 30. 63) Cf. 3 Rg 19, 1-13. 64) Cf. Ion 3, 4. 65) Cf. Ios 5, 6. 66) Cf. 2 Cor 10, 3. 67) Cf. Phil 3, 20. 68) Mt 6, 33. 69) Cf. Ps 54, 23; 1 Petr 5, 7. 70) Cf. Mt 6, 32. 71) Lc 4, 13. Vulg.: *Consummata omni tentatione.*

dissuadendo, lingua et oratione faciens res magnas parvas maximasque minimas, et parvas magnas minimasque maximas. Sic, inquam, diabolus nunc misericordiam Dei extenuat peccataque magnificat, ut in desperationem deiciat; nunc, e contra, magnificat misericordiam Dei peccataque extenuat, ut homo se in peccatum praecipitet; nunc in temporalibus rebus extenuat Dei providentiam corporeasque necessitates magnificat ut homo toto tempore totaque mente terrenis rebus nimia sollicitudine intendat Deoque omnem sui familiaeque suae curam adimat; nunc in spiritualibus nimium Dei providentiam et bonitatem magnificat iustitiamque extenuat, ut homo omnem animae salutisque suae curam Deo relinquat nihilque satagat cum timore salutem suam operari [72] bonisque operibus certam suam electionem facere. [73]

Ideo omnibus artibus et fictionibus conatur hominem decipere, ut eum in peccatum praecipitet,

Sic prout magis libet fingit, ut homines figmentis suis falsisque rerum larvis decipiat. Sic Christo in ficto corpore apparuit, sic sanctam civitatem templumque finxit et ficte Christum supra ficti templi pinnaculum statuit, et tertio finxit montem excelsum fictaque *omnia mundi regna et gloriam eorum* ostendit, ut vanis fallacium rerum promissionibus Christum ad peccatum pertraheret. Finxit enim regna, finxit et montem, sicut et mendaciter dixit: Mea sunt omnia *et cui volo do illa.* [74] Sed *in momento temporis*, inquit Lucas, *ostendit ei omnia regna mundi et gloriam eorum,* [75] quo falsas rerum imagines fictasque larvas diaboli arte compositas, non consistentes res Christo monstratas fuisse ostenderet. Sic sanctam civitatem templumque confinxit. Christus enim in deserto tentatus fuit; sed Scriptura refert iuxta visionem, sicut dicit apparuisse Abrahamo tres viros, cum tamen Angeli essent, [76] et sic saepissime Divina Scriptura res gestas narrat iuxta visionem oculorum et apparentiam; sic saepe fingit diabolus, imo semper fingit, ut decipiat et pertrahat in peccatum.

sicut tot fictionibus Christum tentavit, ut fallacis gloriae promissionibus ad peccatum induceret.

VIII. Et tertia quidem tentatio maxima est, tentat enim de ambitione principatus mundani, qua tentatione victus fuit Adam: *Eritis sicut dii.* [77] *Ostendit autem ei omnia regna mundi et gloriam eorum,* quoniam praesentia obiecti animum maxime movet. Hoc

Tertia haec tentatio omnium potentissima est,

72) Cf. Phil 2, 12. 73) 2 Petr 1, 10. 74) Lc 4, 6. 75) Ibid. vr. 5. 76) Cf. Gn 18, 1 sqq. 77) Ibid. 3, 5.

autem est vitulum aureum adorare, [78] aureamque statuam Nabuchodonosor. [79] Quoniam vero haec omnium maxima tentatio fuit, hinc Christus acriter increpando respondit : *Vade, satana, scriptum est enim: Dominum Deum tuum adorabis et illi soli servies.*[80] Ubi ostendit Deus praestantius multo esse Deo servire quam super omnia mundi regna dominari. Sic Paulus ait : « Servire Deo regnare est », [81] sic Beata Agatha Quintiano praetori Siciliae dixit : « Multo praestantior est christiana humilitas et servitus regum opibus ac superbia ». [82]

qua diabolus innumeros vincit et perdit.

Sed, heu ! non sic hodie. Bone Deus, quot hominum millia diabolus fallacibus promissionibus suis ad se traxit ! *Haec omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me.* Avaritia *est idolorum servitus,* [83] adorare vitulum aureum aureamque statuam regis Babylonis. Quot hominum sunt avaritiae et ambitioni dediti, qui propter temporalia haec acquirenda bona diabolo serviunt !

Sed maxima stultitia esset malle se servum diaboli fieri quam filium Dei esse.

Ah, fratres, quot sunt inter nos qui diaboli potius mancipia esse volunt quam Dei filii et fratres Christi ! Quotiescunque peccas letaliter, frater, ex Dei filio diaboli servus mancipiumque constitueris, et dicis: Diabolus me tentavit ? Si filius regis esses, assentireris ne persuadenti ut [servus] fieres tyranni alicuius inclementissimi ac crudelissimi infidelissimique in suis promissis, maxime si tyrannu. ille inimicus esset capitalis regis patris tui ? Si uxor tua, o vir nobilis, frangeret matrimonii fidem cum turpissimo ac ignobilissimo viro promissis illius illecta, dic mihi : Acceptares ne excusationes illius dicentis : tentavit et decepit me ? Ah, fratres, per Deum immortalem vos rogo, agnoscamus nobilitatem nostram et [si] filii Dei sumus, ducamus vitam filiorum Dei, resistamus diabolo et fugiet a nobis ; [84] nam cum ei Christus dixisset : *Vade, satana,* tunc,

78) Cf. Ex 32, 1-6. 79) Cf. Dn 3, 1-7. 80) Mt 4, 10. 81) S. Gregorius M. *Liber Sacramentorum,* (P. L. 78, 206); Missale Rom., Orat. in Missa pro Pace. Axioma, de quo Petrus Lombardus in illud Rom 1, 1: *Paulus servus Iesu Christi*, ait: « Ne misera servitus videatur non simpliciter ait *servus*, sed addit *Iesu*, idest salvatoris, cui merito omnes servire debent; ei etenim servire regnare est ». *Collectanea in Epist. ad Romanos,* (P. L. 191, 1304). Et Divus Bonaventura: « Servire Deo regnare est . . . Hoc et Apostolus ait: *Heredes quidem Dei, coheredes autem Christi ;* reges ergo vere erunt, heredes Dei regis, coheredes Christi regis ». Opera Omnia, t. 8, opusc. 10, additamentum 4, pag. 210; et opusc. *Collatio de Contemptu Saeculi*, ibid. pag. 655. Habetur etiam in *Glossa Interlineari* Nic. Lyrani in Rom 1, 1. 82) Breviarium Rom. die 5 Febr. in Festo S. Agathae ad Mat., quarta lect. 83) Eph 5, 5; Col 3, 5. 84) Cf. Iac 4, 7.

inquit, *reliquit eum diabolus.* [85] Non feramus aequo animo iniquissimas eius persuasiones, quibus ad peccandum et offendendum Deum nos inducit !

Quo animo ferret amantissimus pater persuadentem ut unicum filium desideratissimum et dilectissimum veneno interimat dicendo se habere optimum antidotum ? Nobis autem multo carior esse debet Deus quam patri filius ; sic Abraham propter Deum non veritus fuit dilectissimum Isaac occidere. [86] Quo animo ferret dives ille suadentem ut thesaurum suum summo cum labore acquisitum latronis fidei committat ? Ut domui ignem admoveat ad eam comburendam, quia ipse aquam admovebit ad extinguendum ignem ?

et pessima ingratitudo erga amantissimum Patrem.

Ah, fratres, fugiamus, fugiamus diaboli suasiones : *Haec omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me,* sed Dominum Deum nostrum adoremus illique soli serviamus. Diabolus persuadere potest et suadere, non autem cogere ut peccemus ; non praecipitavit Christum, sed tantum praecipitium persuasit : *Mitte te deorsum.* [87] Cogere enim humanam voluntatem, quae suapte natura libera est, minime potest ; debilis est hostis, qui non vincit nec potest vincere, nisi volentem vinci. Quare quisquis a diabolo vincitur, sua utique culpa et voluntate vincitur.

Fugiendae ergo sunt suasiones satanae, ut ipse fugiat a nobis.

IX. Multi dicunt : Cur permittit Deus servos suos a diabolo tentari, cum diabolica tentatio multorum sit causa malorum ? Tentatio quidem causa malorum non est, sed occasio ; causa autem peccati non est, nisi mala voluntas aut bonae voluntatis defectus. Hinc enim tentatione [88] hic quidem fit melior, ille vero deterior. Si des mihi duos fontes : alterum quidem clarum et limpidum absque limo et coeno, alterum vero coenosum atque limosum ; moveat autem quis quantum velit vel manibus vel pedibus aquam prioris fontis, nihil turbabitur ; aqua vero posterioris facillime turbatur quovis vel minimo agitata motu. Huius autem causa non est motus, sed lutum. Sic Dominus ait de domo bene fundata supra firmam petram, quod neque fluminum neque ventorum vi magnoque impetu potest ad terram deici ; quae autem super arenam fundata est, facillimo negocio

Tentatio non est causa peccati, sed occasio ;

85) Mt 4, 11. 86) Cf. Gn 22, 1-12. 87) Mt 4, 6. 88) Ms.: *Tentatio.*

a fluminibus ventisque patitur ruinam. [89] Tentatio igitur non causa peccati est, sed occasio.

et quidem valde utilis est ad probandam et perficiendam virtutem.

Quod si nulla debet in mundo esse peccandi occasio, bonis igitur omnibus, quae in mundo sunt, debuit carere mundus, quia utilia bona sunt occasio avaritiae, honorabilia superbiae, delectabilia luxuriae, debuitque homo sensibus etiam privari, quia sensus hi nostri multorum sunt peccatorum occasio. Permittit igitur tentari nos Deus ut in virtutibus proficiamus, quia *virtus in infirmitate* et tentatione *perficitur*, [90] sicut aurum in fornace. Et si tentati peccamus, peccatum nostrum levius est et veniae dignius; hinc peccatum hominis levius fuit apud Deum quam peccatum Angeli, quia homo peccavit tentatus, non autem Angelus.

Christus autem gratia sua vires fidelibus dabit ad hostes vincendos,

Et adhuc, sicut cum pugnaret Iosue contra Amalec, Moyses supra montem tenens manus sursum elevatas in crucis modum in causa erat victoriae, [91] sic Christus crucifixus pugnantibus cum diabolo virtutem dat ad vincendum hostes. Et *fidelis ... est Deus qui non patitur*, inquit Apostolus, *vos tentari supra id quod potestis, sed facit cum tentatione etiam proventum*, [92] et quod non est viribus nostris possibile ipse exequitur. Sic Gedeon ipse inimicum occidit, quem filius eius occidere minime potuit. [93]

nec permittet eos pro diaboli libitu tentari.

Nec potest nos diabolus ad libitum tentare pro viribus, sed tantum potest quantum ei a Deo permittitur. Sumus nos quidem semper in medio daemonum, sicut Daniel in lacu leonum, [94] sed non permittit eis Deus ut nobis noceant; sumus in medio flammarum, sicut tres pueri in medio babylonicae fornacis, quos tamen flamma ignis non tetigit. [95] Leo ille qui occidit prophetam Dei, illum postea nec devorare potuit nec laniare, nec asinum ipsius tetigit, sed id tantum fecit quod permisit ei Deus; [96] ita diabolus tantum in nos potest quantum ei Deus permittit, sicut in Iob manifestum est. [97] Cavendum tamen nobis est ne diabolo ullam demus occasionem; neque enim Christus occasionem diabolo dedit, sed ipse occasionem accepit videns eum esurientem.

89) Cf. Mt 7, 24-27. 90) 2 Cor 12, 9. 91) Cf. Ex 17, 8-13. 92) 1 Cor 10, 13. Vulg.: *Fidelis ... Deus est, qui non patietur ... sed faciet etiam cum tentatione proventum.*
93) Cf. Idc 6, 20-21. 94) Cf. Dn 6, 16-17; 14, 30-31. 95) Cf. ibid. 3, 21-23.
96) Cf. 3 Rg 13, 24-28. 97) Cf. Iob 1, 12; 2, 6.

X. Tentat autem ipse nunc quidem occulte ut serpens, nunc manifeste ut leo, sicut in *Psalmo* dicitur: *Super leonem et serpentem ambulabis et conculcabis leonem et draconem,* [98] hoc est: Vinces diabolum, sive tentet ut serpens sive ut leo. Hodie enim Christum tentavit prius ut serpens, occulte: *Si Filius Dei es, dic,* etc.; occulta et subtilis tentatio est ut vix deprehendatur quid hac tentatione praetenderit; deinde ut leo, cum *assumpsit eum... et statuit supra pinnaculum templi* cumque *assumpsit eum in montem excelsum valde,* et manifeste tentavit: *Haec omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me.* Et in prima quidem tentatione non dicit: Fac ex lapidibus panem, sed *dic,* quod facilius est potestque ad orationem referri: *Si Filius Dei es,* dic Patri tuo ut miraculo tibi in necessitate famis posito provideat [99] panem, faciendo ex lapidibus panem, sicut natura ex terra fit panis. Suadet saepe diabolus spiritualibus viris ut orent, sed non ut Dei gloriam quaerant, sed suam utilitatem eaque quae spectant ad propriam satisfactionem, ut seipsos quaerant.

Multis modis satanas tentat: nunc occulte, nunc manifeste.

IV. ALIA HOMILIA

Ductus est Iesus in desertum a Spiritu, ut tentaretur a diabolo. [1]

I. In sacrosancto hodierno Evangelio tria nobis proponuntur: pugna Christi cum diabolo, victoria et corona; pugna, quia tentatur; victoria, quia omnem superavit tentationem; corona, quia *superata omni tentatione,* [2] *accesserunt Angeli et ministrabant ei.* [3] Sic in duello Davidis cum Goliath pugna fuit, victoria et corona, [4] tunc enim David israelitici regni sibi acquisivit coronam, quam ei Deus praeparaverat. [5] Quoad primum, videndum nobis est quis tentatur, a quo tentatur et ad quid tentatur. Sed ante omnia sciendum est quod tentatio proprie in sacrosancto hodierno Evangelio significat persuasionem inductionemque ad malum perpetrandum estque veluti sollicitatio et

Proponuntur hodie pugna, victoria atque corona Christi.

Tentatio est sollicitatio ad malum.

98) Ps 90 (hebr. 91), 13. Ex hebraico. 99) Ms.: *Tibi* hic iterum ponitur.

1) Mt 4, 1. 2) Lc 4, 13. Vulg.: *Consummata omni tentatione.* 3) Mt 4, 11. Vulg.: *Angeli accesserunt,* etc. 4) Cf. 1 Rg 17, 31 sqq. 5) Cf. ibid. 15, 28; 16, 1-13.

incitatio quaedam. *Tentator*[6] igitur diabolus est et satanas, quia sic dictus est quoniam haec eius est ars et professio et in hac arte est exercitatissimus et peritissimus; a mundi enim exordio hanc artem semper exercuit, cum primos parentes tentavit atque ad peccatum perduxit.[7]

Christus tentatur post baptismum et ieiunium, quia non carnales homines, sed spirituales diabolus tentat;

Tentatur autem Christus, sed post baptismum, cum vox ad eum facta est de coelo: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui,*[8] et Spiritus Sanctus in columbae specie super eum descendit et mansit, eodemque Spiritu Sancto ductus in desertum fuit et quadraginta diebus ieiunavit.[9] Non tentat diabolus malos et carnales homines, sed bonos et spirituales, qui membra sunt Christi et filii Dei; mali enim ad malas suas voluntates explendas tentant potius diabolum et malis artibus sollicitant, quam tententur ab eo.

tentatur autem continuis quadraginta diebus omnibusque artibus.

Sicut autem cum audivit diabolus Beatum Iob a Deo laudari, expetivit ut tentaret eum,[10] sic audiens Christi laudem a coelo, eum ad tentandum aggressus est. Tentavit autem Christum continuis quadraginta diebus, sic enim habet Marcus: *Erat* autem *in deserto . . . et tentabatur a diabolo.*[11] Tentavit autem omnibus modis quibus potuit, ideo ait Lucas: *Superata omni tentatione.* Nullum enim non movit lapidem satanas, sed omnes contra Christum vires exercuit ut illum deiceret. Qui igitur Spiritu Sancto plenus est, qui fugit mundum, qui macerat carnem, is est qui a diabolo multis tentationibus impetitur ut in peccatum ruat et sub diaboli potestate fiat.

Tres praecipue tentationes hodie referuntur: diffidentiae, praesumptionis et ambitionis,

II. Tres praecipue tentationes in sacrosancto hodierno Evangelio proponuntur, quas superavit Christus: *Si Filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant;*[12] *Si Filius Dei es, mitte te deorsum;*[13] *Haec omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me.*[14] Quoniam vero, uti diximus, tentatio proprie nihil est nisi incitatio et sollicitatio ad malum, prima tentatio est de diffidentia divinae providentiae in his quae spectant ad corpus; secunda de nimia praesumptione divinae misericordiae in his quae spectant ad salutem hominis, quare haec tentatio veluti aliud extremum est et primae contraria, sicut avaritiae prodigalitas,

6) Mt 4, 3. 7) Cf. Gn 3, 1-6. 8) Mt 3, 16-17. Cf. supra, hom. prima huius Dom., not. 34, pag. 220. 9) Cf. Mt 4, 2. 10) Cf. Iob 1, 8-12; 2, 3-6. 11) 1, 13. Vulg.: *A satana.* 12) Mt 4, 3. 13) Ibid. vr. 6. 14) Ibid. vr. 9.

hinc facta est supra pinnaculum templi in loco sacro, ut se de sublimi loco praecipitaret sub spe divinae providentiae; tertia est de avaritia et ambitione: *Haec omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me*, omnia videlicet regna mundi cum gloria eorum.[15] Ad has autem tentationes superandas opus est spe, timore et pietate magna in Deum, ut Deum super omnia, quae in mundo sunt, diligamus. Qui autem virtutibus hisce minime praeditus est, facillime a diabolo vincitur.

contra quas pugnandum est spe, timore et pietate erga Deum.

III. Ad quid autem tentet diabolus et ad quid tentari permissus sit Christus nunc aperiendum est. Tentat diabolus quoniam adhuc cupit similis esse Altissimo[16] et tanquam Deus adorari; hinc ait: *Si cadens adoraveris me.* Omnium enim peccatorum ipse est caput et princeps, hinc peccatores dicuntur in Scripturis Divinis *servi* et *filii diaboli*,[17] quia faciunt voluntatem diaboli, non Dei. Tentat etiam quia cupit hominum praecipitium et ruinam: *Mitte te deorsum.* Quamvis autem quo plures damnantur homines eo magis poena ipsius crescat, hinc enim maledictus fuit serpens postquam primos parentes nostros in peccatum impulit,[18] ipse tamen invido illi similis qui non curavit unum sibi erui oculum, modo alteri ambo simul eruerentur, et quia novit quod, cum completus fuerit numerus electorum Dei impletaeque fuerint sedes in coelo, tunc, facto universali iudicio, mittendus est ipse cum omnibus angelis suis in infernum: *Ite, maledicti, in ignem aeternum, qui paratus est diabolo et angelis eius*,[19] ne unquam impleatur numerus electorum: « Sustinete modicum tempus, donec impleatur numerus fratrum vestrorum »,[20] hinc ipse omnes tentat et ad damnationem perducere satagit.

Satanas tentat ut hominem a Deo avertat et in servum suum per peccatum convertat, et in ruinam aeternam praecipitet,

et ut impediat ne unquam impleatur numerus electorum ad iudicium finale requisitus, quando ipse in infernum mittetur.

Deus autem electos suos tentari permittit, ut reportent coronam victoriae, nam: *Non coronabitur nisi qui legitime certaverit;*[21] *Certa bonum certamen... apprehende vitam aeternam;*[22] *Bonum certamen certavi... reposita est mihi corona iustitiae.*[23] Sic impulit David ad pugnandum contra philisthaeum, ut reportaret coronam regni.[24] Homo

Deus autem filios suos tentari permittit, ut victoriae coronam accipiant.

15) Cf. ibid. vr. 8. 16) Cf. Is 14, 13-14. 17) Cf. Io 8, 44; 2 Petr 2, 19; 1 Io 3, 10. 18) Cf. Gn 3, 1-15. 19) Mt 25, 41. Vulg.: *Discedite a me, maledicti*, etc. 20) Breviarium Rom. in Festo SS. Innocentium ad Mat., respons. secundae lect. 21) 2 Tim 2, 5. Vulg.: *Non coronatur*, etc. *Non coronabitur* lect. cod. 22) 1 Tim 6, 12. 23) 2 Tim 4, 7-8. 24) Cf. 1 Rg 17, 31 sqq.

enim vincens diabolum fit Angelis quodammodo superior; hinc: *Superata omni tentatione, accesserunt Angeli et ministrabant.* Aderant enim Angeli spectatores, nec dubito quin et daemones. Sicut enim cum David pugnam adorsus fuit cum Golia, spectabat ex una parte universus exercitus Israel, ex altera vero universus exercitus Philisthaeorum,[25] ita hodie huic spectando certamini omnes arbitror astitisse Angelos paradisi et daemones inferni. Hinc post victoriam: *Accesserunt Angeli* Dei *et ministrabant ei.* Magna profecto est corona gloriae quam acquirit homo vincendo diabolicas tentationes.

Etiam homines spirituales diabolus tentationibus suis perdere potest, nisi fortiter resistant.

IV. *Ductus est Iesus in desertum,* etc. Fugit Christus a mundo ad desertum veluti a mari, ubi navis Ionae periclitatur,[26] in portum; sed etiam in hoc portu flant venti contrarii tentationum satanicarum et navis pati naufragium potest. Sexcenta millia Hebraeorum, qui ex Aegypto exivere,[27] perierunt in deserto, hi quidem ob vituli aurei adorationem:[28] *Haec omnia tibi dabo;* alii *in sepulcris concupiscentiae,* quando carnes Aegypti appetivere:[29] *Dic ut lapides... panes fiant;* alii in contentione Core, Dathan et Abiron ob ambitionem pontificatus:[30] *Duxit eum supra pinnaculum templi.*[31] Sic in deserto multi pereunt, nisi diabolo fortiter resistant usque in finem.

Pulcherrima antithesis inter Adam in paradiso deliciarum, ubi genus humanum perdidit,

et Christum in deserto poenitentiae, ubi genus humanum salvavit.

V. *Ductus est Iesus in desertum,* etc. Similis valde est historia hodierni Evangelii historiae, quam scripsit Moyses de primi hominis tentatione. Sed cur Adam ductus est in paradisum,[32] Iesus autem in desertum? Ut in deserto restaurarentur damna paradisi. In paradiso deliciarum damnata fuit humana natura,[33] in deserto autem poenitentiae salvata; ibi homo victus a diabolo universum genus humanum in satanae servitutem redegit, hic Christus vincens diabolum a servitute satanae liberat genus humanum et daemones redigit in servitutem hominum; ibi Adam comedit, hic Christus ieiunavit in poenitentiam illius delicti; ibi homo suasu diaboli super Angelos cupiens exaltari, infra daemones humiliatus fuit, hic autem

25) Cf. ibid. vrr. 20-21. 26) Cf. Ion 1, 4. 27) Cf. Ex 12, 17. 28) Cf. ibid. 32, 1 sqq. 29) Cf. Nm 11, 1 sqq.; Dt 8, 22. 30) Cf. Nm 16, 1 sqq.; Iud vr. 11. 31) Mt 4, 5. Vulg.: *Statuit eum super pinnaculum templi.* 32) Cf. Gn 2, 15. 33) Cf. ibid. 3, 1 sqq.

Christus ductu Spiritus Sancti volens infra daemones humiliari, dum patitur tentari et assumi a diabolo *in sanctam civitatem . . . supra pinnaculum templi* et *in montem excelsum,*[34] supra Angelos exaltatur: *Accesserunt Angeli et ministrabant ei.*

Omnia autem haec propter nos Christus egit, ut eum imitemur.

Ieiunavit Christus, oravit, tentatus fuit et vicit; sed propter nos haec omnia facta sunt, pro nobis ieiunavit, oravit, tentatus fuit, certavit et vicit. Abit Christus in desertum ad satisfaciendum pro concupiscentia oculorum et ad vincendum mundum, ieiunat pro concupiscentia carnis ad domandam carnem, subicitur diabolicae potestati: Vidi *Iesum sacerdotem magnum . . . et satan . . . a dextris eius, ut adversaretur ei,*[35] ad humiliandam superbiam vitae[36] et ad vincendum diabolum principem superbiae.[36a]

mundum spernendo et carnem mortificando.

Satagendum nobis est ut prius mundum vincamus, spernendo omnia quae in eo sunt, postea vero carnem ieiunio mortificando. His autem duobus hostibus superatis, tertius adhuc restat expugnandus diabolus, nam: *Cum ieiunasset* accessit *tentator.* Possumus mortificare carnem, sed diabolus semper vivit et iugiter tentat, ita ut nullum non moveat lapidem, et nullam quamvis minimam occasionem praetermittit.

Tribus nominibus appellatur daemon hodie Christum tentans, iuxta triplex tentationum genus.

VI. Tres tentationes legimus et tria nomina spiritus maligni iuxta tres tentationes. Dicitur *diabolus*, idest c a l u m n i a t o r, et in prima tentatione divinam providentiam calumniatur; *satanas*, a d v e r s a r i u s, inimicus est in secunda suadens praecipitium; in tertia autem *tentator*[37] est, cum manifeste ad malum sollicitavit, et mira eius ars ad tentandum conspicitur. Tribus autem hisce nominibus insinuantur tres causae ob quas tentat et ad peccandum sollicitat. Prima est, quia *tentator*, quia haec eius est ars, officium, professio, hoc ipsius ingenium, quoniam malus est: *Venit malus*[38] *et tollit verbum de corde eorum;*[39] *Libera nos a malo;*[40] nonnisi malis delectatur et gaudet, nonnisi mala desiderat sicut avarus pecunias. Secunda, quia *diabolus* est, idest c a l u m n i a t o r omnium bonorum operum omniumque virtutum, virtutes omnes odio habet, virtus

34) Mt 4, 5-8. 35) Zach 3, 1. 36) Cf. 1 Io 2, 16. 36a) Cf. Iob 41, 25.
37) Cf. Mt 4, 3. 5. 10. 38) Ibid. 13, 19. 39) Lc 8, 12. 40) Mt 6, 13.

omnis summopere displicet ei, sicut lux solis nycticoracibus. Tertia quia *satanas*, adversarius: *Inimicus homo hoc fecit;* [41] *Venit inimicus* homo. [42] Summo odio nos acerrime odit, nec nisi perditionem nostram damnationemque desiderat; videns autem nos per Christi gratiam Dei filios constitutos, invidia infinita torquetur et discruciatur.

cui tribus virtutibus, spe, timore et pietate, resistendum est.

In tribus autem responsionibus Domini ostenditur tres virtutes quam maxime necessarias esse ad salutem. *Non in solo pane*, etc.; [43] firma spes in Deo prima est et magna fiducia cordis, quod tanquam pater filiis dilectissimis succurret nobis in omnibus necessitatibus nostris, si veri cultores virtutis et Dei esse voluerimus; potest enim Deus mille modis nobis succurrere non uno aut altero tantum. Secunda: *Non tentabis Dominum Deum tuum;* [44] virtus divini timoris necessaria est ne de divina misericordia nimium praesumentes in barathrum vitiorum nosmet praecipitemus. Tertia: *Dominum Deum tuum adorabis et illi soli servies;* [45] caritas firmaque voluntas Deum semper super omnia diligendi eique pro viribus serviendi. Spes est vas mannae in arca, timor virga, caritas tabulae legis: [46] haec tria necesse est ut sint in arca cordis nostri, si volumus salvari.

Tentatio timenda et fugienda est.

VII. Accessit *ad eum tentator*. Quid est *tentator?* Venator, piscator, aucupes animarum. Sed si ferae fugiunt venatorem, pisces piscatorem, aves aucupem, quid est quod nos non timemus tentatorem nec vitamus tentationes eius? Si accideret nobis sicut accidit parentibus nostri generis, qui statim post tentationem, commisso peccato, puniti fuerunt a Deo, eiecti de paradiso multisque et gravibus poenis mulctati, [47] timeremus utique tentationes tanquam pestes et venena; sed quia, cum carnalia plurimi maximique faciamus, spiritualia et quae ad salutem spectant minimi nihilique facimus, hinc est quod tentationes peccatorum non timemus nec vitamus, sed saepe etiam procuramus.

VIII. *Accedens tentator dixit: Dic ut lapides isti panes fiant.* Pauperes tentat diabolus, ut de lapidibus panes faciant infatigabiliter la-

41) Ibid. 13, 28. 42) Ibid. vr. 25. 43) Ibid. 4, 4. 44) Ibid. vr. 7. 45) Ibid. vr. 10. 46) Cf. Ex 16, 33; 25, 16. 21; 40, 18; Nm 17, 10; Dt 10, 5; 3 Rg 8, 9; Hebr 9, 4. 47) Cf. Gn 3, 14 sqq.

borando die et nocte, semper sub praetextu panis lucrandi pro sustentanda familia, et sic nimia sollicitudine laborandi avertit a spiritualibus bonis, ab oratione et aliis spiritualibus exercitiis pro salute animae. Cum autem divites facti fuerint, e contrario, tentat ut de panibus lapides faciant, magnifica et superba aedificia fabricando ut honorifice et nobiliter habitare possint. Sic acquisitas divitias sub praetextu panis lucrandi pro necessario victu et vestitu convertit in aedificia, ut fiant ex panibus lapides; sic ait diviti: *Dic ut panes isti lapides fiant*, ut cum Caino aedificent sibi habitationes in terra,[48] quasi cives terrae, non coeli. Cura autem aedificiorum quam maxime avertit hominem ab oratione et a cogitationibus divinis.

Tentat maxime satanas de sollicitudine rerum temporalium,

ut sub necessitatis praetextu a spiritualibus avertat.

48) Cf. ibid. 4, 17.

FERIA SECUNDA DOMINICAE PRIMAE QUADRAGESIMAE

Humani iudicii apparatus improbis semper terribilis est,

I. Si humani principis iudicisque iusti quidem, sed rigidi atque severi, adeo est humanis pectoribus mentibusque terribilis et formidabilis [aspectus], quod, dum ad mundi exemplum populique terrorem magna facienda est publicae iustitiae demonstratio, praeparatis patibulis, funibus, catenis, ferris ignibusque, non solum rei et complices, dum vincti ex carceribus educuntur ut coram iudice sistantur et examinandi et condemnandi, scientes se in fragranti crimine deprehensos convictosque esse, dum iudicem vident contra ipsos iratum pro tribunali sedentem cum universo magistratu et ministris armatis, audientes legi contra se criminalem processus ac fulminari tormentorum mortisque sententiam, videntes paratos carnifices, parata patibula, ferrea instrumenta ignesque, et universum populum congregatum ad spectaculum, expavescunt horrentque videntes sibi ob oculos terribilem mortem propositam cum extremo damno, dedecore et poenis; sed etiam assistentes omnes ad spectaculum istud, quamvis nihil sibi conscii sint, ex solo tantum aspectu concutiuntur pavore, inhorrescunt pili et capilli capitis, pallent facies, palpitant corda, friget sanguis in venis, tremunt crura, deficit animus omnesque quasi mortui prae timore videntur; bone Deus, quid erit de nobis in die tremendi iudicii Dei? Iustitia divina tanto est terribilior humana quanto Deus maior est homine. Iudex erit supremus, iratus et summe formidabilis, omnibus modis inexorabilis et inflexibilis, nos omnes mille delictorum et criminum laesae maiestatis divinae rei, crimina certa et manifesta, processus omni cum examine formatus, mille et mille contra nos testes oculati, actor contra nos Deus, mille modis offensus, sententia inappellabilis, poena intolerabilis, mors intolerabilis.

sed terribilior valde reprobis erit apparatus divini iudicii.

Cum venerit Filius hominis in maiestate sua et omnes Angeli eius cum eo, tunc sedebit super sedem maiestatis, etc. [1]

II. Volens Deus ostendere Ieremiae iudicium quod facturus erat contra Ierusalem omnesque Iudaeos ob gravia illorum peccata, apparens ei dixit: *Quid tu vides, Ieremia?* Cui Vates: *Virgam vigilantem ego video.* Et Dominus: *Bene,* inquit, *vidisti, quia vigilabo ego super verbo meo ut faciam illud.* Iterum Vati dixit: *Quid tu vides?* Et Vates: *Ollam succensam ego video et faciem eius a facie aquilonis.* Et Dominus: *Ab aquilone pandetur omne malum super omnes habitatores terrae.* [2] Sic enim venit ab aquilone exercitus Chaldaeorum et captam civitatem igne succendit. [3] Significant autem haec duo divinorum flagellorum genera: unum quidem temporale et aliud aeternum, unum in hoc mundo et aliud in inferno, unum Dei tanquam patris et aliud tanquam iudicis. Primum est *virga,* secundum *olla succensa a facie aquilonis,* per quam designatur infernus, de quo hodie Dominus: *Ite, maledicti, in ignem aeternum, qui paratus est,* [4] etc.

Duo sunt poenarum genera quibus Deus peccata punit: unum temporale, aliud aeternum;

Utrunque flagellum habemus in sacro Evangelio. Primum: *Esurivi ... et non dedistis ... manducare, sitivi ... nudus* eram, *in carcere* et *infirmus ... hospes ... et non collegistis me;* [5] haec sunt temporalia flagella Dei: fames, pestis et bellum, paupertas, infirmitas et persecutio, sicut mendicus Lazarus pauper erat, *ulceribus plenus* et a canibus fere devoratus; [6] secundum vero: *Ibunt hi in supplicium aeternum,* [7] sicut epulo mortuus est et sepultus in inferno, ubi est in perpetuis tormentis et cruciatur in flammis. [8] Et de hoc quidem praecipue agitur in sacrosancto hodierno Evangelio, de flagellis, inquam, aeternis in finali iudicio, quod omnium iudiciorum Dei terribilissimum et horrendissimum est.

de hoc postremo agitur in hodierno Evangelio.

Fuit quidem terribile primum Dei iudicium contra Angelos in paradiso coelesti, [9] et secundum contra hominem in terrestri; [10] terribile iudicium in universali diluvio [11] et in combustione Pentapolis; [12]

Multa terribilia indicia fecit Deus cum Angelis

1) Pericope huius diei Mt 25, 31-46. Cf. Missale Rom. Pronomen *eius* lect. cod.
2) Ier 1, 11-14. 3) Cf. ibid. 25, 6-11; 4 Rg 25, 1 sqq.; 2 Par 36, 1-21. 4) Mt 25, 41. Vulg.: *Discedite a me, maledicti,* etc. 5) Ibid. vrr. 42-43. Ordine inverso affert has pericopes. 6) Cf. Lc 16, 20-21. 7) Mt 25, 46. 8) Cf. Lc 16, 22-26. 9) Cf. Is 14, 27; 2 Petr 2, 4; Iud vr. 6. 10) Cf. Gn 3, 16 sqq. 11) Cf. ibid. 6, 5-7, 1 sqq. 12) Cf. ibid. 18, 20-19, 1-25.

et cum hominibus,

terribile iudicium famis septennis tempore Ioseph [13] et captivitatis Hebraeorum in Aegypto sub crudelissimo Pharaone; [14] terribile iudicium decem plagarum Aegypti [15] et submersionis Pharaonis cum universo exercitu suo in mari Rubro; [16] terribilia iudicia passi fuerunt Hebraei in deserto, ubi quadraginta annorum spatio sexcenta sexaginta sex millia [17] eorum diversis cladibus perierunt: [18] alii ab ignitis serpentibus, [19] alii flammis devorati, [20] alii vivi a terra absorpti, [21] alii ab inimicis; [22] terribile iudicium contra Chananaeos divina virtute ab Hebraeis, duce Iosue, deletos; [23] terribile iudicium contra ipsos Hebraeos a Chaldaeis deletos et in captivitatem babylonicam ductos; [24] et innumera sunt alia huiuscemodi terribilia iustitiae divinae iudicia.

sed omnium terribilissimum erit iudicium finale ob terribilissima supplicia quibus rei plectentur.

Finale vero, inquam, omnium terribilissimum ac horrendissimum erit, siquidem hoc iudicio rei iudicati privabuntur omnibus bonis tum coelestibus tum terrenis, tum spiritualibus tum corporeis, tum temporalibus tum aeternis, sicut in primo et secundo Angelorum et hominum. Peribunt diluvio non aquae, sed ignis conflagrationis, et perpetuis cruciabuntur flammis ignis et sulphuris, sicut in Pentapoli; patientur non septenam, sed aeternam famem et sitim aeternamque captivitatem sub crudelissimo Pharaone diabolo, qui omnem in eos crudelitatem exercebit, sicut satan in Iob; [25] patientur omnia Aegypti flagella in aeternum, poenas omnes intolerabiles et sempiternas: *Ite, maledicti, in ignem aeternum qui paratus est diabolo et angelis eius . . . Et ibunt hi in supplicium aeternum.*

Multa signa praecedent divinum hoc iudicium,

III. Et divinum quidem iudicium multa praecedent et multa etiam sequentur. Praecedent multa signa, sicut Dominus ait: *Erunt signa in sole et luna et stellis, et in terris pressura gentium prae confusione sonitus maris et fluctuum, arescentibus hominibus prae timore et expectatione, quae supervenient universo orbi; nam virtutes coelorum commovebuntur,* [26] *et tunc videbunt signum Filii hominis . . . et tunc*

13) Cf. ibid. 41, 53-56. 14) Cf. Ex 1, 1 sqq.; 5, 1 sqq. 15) Cf. Ps 104, 28-36. 16) Cf. Ex 14, 23 sqq.; Ps 105, 9-11. 17) Cf. supra, Dominica Septuagesimae, not. 26, pag. 46. 18) Cf. Nm 14, 29-35; Ios 5, 4. 19) Cf. Nm 21, 6. 20) Cf. ibid. 16, 35. 21) Cf. ibid vv. 31-33. 22) Cf. Dt 2, 14-16; Ps 105, 41. 23) Cf. Dt 7, 1 sqq.; 31, 1-5. 24) Cf. Ios 12, 1 sqq. 25) Cf. Iob 1, 1-2, 1 sqq. 26) Lc 21, 25-27. Vulg.: *Movebuntur.*

plangent omnes tribus terrae, etc.[27] Praecedent signa horribilia in coelo, nam : *Sol obscurabitur . . . luna non dabit lumen suum et stellae cadent de coelo.*[28] Praecedet ignis conflagrationis, qui mundum universum comburet, universam terram cum omnibus quae in ea sunt, universum mare et aer universum : *Coeli*, inquit Petrus, *ardentes solventur . . . elementa ignis* calore, sive *ardore tabescent ;*[29] itemque : *Elementa . . . calore solventur, terra autem et quae in ea sunt opera, exurentur.*[30] Praecedet universalis resurrectio mortuorum *in voce Archangeli et in tuba Dei*[31] adducenturque omnes *ante tribunal Christi,*[32] *et tunc parebit signum Filii hominis*, crux Christi sanguine rubicunda cum omnibus instrumentis passionis Christi, clamans vindictam contra impios et reprobos omnes, sicut sanguis Abel,[33] et ob id *plangent omnes tribus terrae.* Signum vero crucis ante praecedens sequentur omnes Angeli, et tandem Christus ipse apparebit : *Cum . . . venerit Filius hominis in maiestate sua et omnes Angeli* eius *cum eo, tunc sedebit super sedem maiestatis suae.*

sicut Christus ipse praedixit.

IV. Multa sunt hic mysteria nobis aperienda. *Cum venerit :* futurum tempus iudicii finalis et universalis primo proponitur. Certissimum est futurum esse universale iudicium ; hic principalis utique est fidei nostrae articulus ; tempus vero incertum est : *De die autem illo et hora nemo scit, neque Angeli* Dei *neque Filius,*[34] sicut quemvis hominem moriturum esse certissimum est, incertissimum vero tempus moriendi. Hinc ait : *Cum venerit,* non tamen dicit quando veniet. Hoc certum est quod in novissimo die mundi veniet, qui utique praefixus a Deo est, cum completus fuerit numerus omnium electorum : « Sustinete modicum tempus, donec impleatur numerus fratrum vestrorum ».[35] Erit autem novissimus dies primo simillimus ; primo enim die factum est iudicium Angelorum omnium,[36] novissimo autem fiet iudicium omnium hominum, sicut Angelus prima fuit creatura Dei,[37]

Certissimum est divinum iudicium finale,

tempus vero incertum.

27) Mt 24, 30. Vulg.: *Et tunc parebit signum*, etc. 28) Ibid. vr. 29. 29) 2 Petr 3, 12. 30) Ibid. vr. 10. Vulg.: *Et quae in ipsa sunt*, etc. 31) 1 Thess 4, 15. 32) Rom 14, 10. 33) Cf. Gn 4, 10. 34) Mt 24, 36; Mc 13, 32. 35) Breviarium Rom. in Festo SS. Innocentium ad Mat., respons. secundae lect. 36) Cf. S. Augustinus *Dialogus Quaestionum*, q. 21, (P. L. 40, 740); *De Civitate Dei*, lib. 11, cp. 9, ibid. 41, 323-325; cp. 13-15, ibid. col. 328-331; Io. Cassianus *Collationes*, coll. 7, ibid. 49, 730-733. 37) Cf. Origenes *Hom. 1 in Gen.*, (P. G. 12, 147); S. Augustinus *De Genesi ad Litteram*, lib. 1, cp. 9, (P. L. 34, 252); cp. 16, ibid. col. 258.

homo vero ultima,[38] et sicut prima die creatus fuit mundus,[39] ita ultima recreabitur ac renovabitur, ita ut *lux lunae* sit *sicut lux solis, et lux solis . . . septempliciter sicut lux septem dierum,*[40] et sicut primo die divisa fuit lux a tenebris,[41] ita novissimo dividentur omnes electi a reprobis : *Et ibunt hi in supplicium aeternum, iusti autem in vitam aeternam.*[42]

Iudex erit Christus ipse, qui in primo suo adventu venit ad salvandum et in secundo veniet ad iudicandum.

V. *Cum venerit.* Venit iam primo ad salvandum : *Non enim misit Deus Filium suum . . . ut iudicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum;*[43] *Fidelis sermo et omni acceptione dignus . . . Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere ;*[44] *Filius hominis venit quaerere et salvum facere quod perierat ;*[45] sed veniet secundo ad iudicandum. Primus adventus fuit totus misericordiae, secundus erit iustitiae. Sicut duplex est in Christo natura, ita et duplex est eius adventus, et sicut duplex est in eo dignitas : sacerdotalis et regalis, velut alter Melchisedech rex et sacerdos, rex pacis et rex iustitiae,[46] ita primo Christus venit tanquam sacerdos oblaturus sacrificium corporis sui super aram crucis pro salute mundi, secundo veniet tanquam rex ad iudicandum et damnandum.

Iudicabit autem mundum ut homo,

Cum venerit Filius hominis. Non dicit : Filius Dei, sed : *Filius hominis,* quia ut homo Christus mundum iudicabit : *Pater,* inquit, *non iudicat quenquam, sed omne iudicium dedit Filio, ut omnes honorificent Filium sicut honorificant Patrem . . . et potestatem dedit ei iudicium facere, quia Filius hominis est.*[47] Iudicandi quidem potestas, sicut et mortuos vivificandi et miracula faciendi et mundum creandi, propria utique divinitatis est. Sic Abraham Deum dixit *iudicem universae terrae,* cum revelatum ei fuit iudicium contra Pentapolim.[48]

quia hanc potestatem dedit ei Pater,

Et hanc quidem potestatem Filio una cum deitate ab aeterno dedit, ut docent Chrysostomus *In Ioannem,* hom. 38,[49] Hilarius, lib. 7 *De Trinitate,*[50] et Ambrosius, lib. 2 *De Fide,* cp. 4 ;[51] in incarnatione vero Christo homini sicut omnem dedit plenitudinem divinitatis, ita una cum deitate hanc contulit potestatem,

38) Cf. Gn 1, 27; 2, 7. 23. 39) Cf. ibid. 1, 1-5. 40) Is 30, 26. 41) Cf. Gn 1, 4. 42) Mt 25, 46. 43) Io 3, 17. 44) 1 Tim 1, 15. 45) Lc 19, 10. Vulg.: *Venit . . . Filius hominis,* etc. 46) Cf. Hebr 7, 1-2. 47) Io 5, 22-27. Vulg.: *Neque enim Pater iudicat,* etc. 48) Cf. Gn 18, 20-26. 49) Iuxta Migne hom. 39, (P. G. 59, 219-220). 50) P. L. 10, 215. 51) Iuxta Migne cp. 12, ibid. 16, 581.

ut docet Cyrillus *In Ioannem*, lib. 2, cp. 140. [52] Sed sicut in Christo duplex est natura: divina et humana, duplex intellectus, duplex scientia, duplex caritas, duplex gloria, duplex dignitas: creata et increata; ita duplex iudicandi potestas, et divina et humana. Hinc ait: *Potestatem dedit ei iudicium facere, quia Filius hominis est*, idest humanam etiam contulit iudicandi potestatem, ut docent Cyprianus *Contra Iudaeos* lib. 2, cp. 28, et lib. 3 *ad Quirinum* cp. 33, [53] et Augustinus *in Ioannem*, tract. 21, [54] et lib. 1 *De Trinitate*, cp. 13. [55] Hinc ergo ait: *Cum venerit Filius hominis: Qui constitutus est a Deo iudex vivorum et mortuorum;* [56] *Filius hominis: Mediator Dei et hominum homo Christus Iesus;* [57] *Filius hominis*, ille ipse qui pro salute hominum ex caritate animam suam posuit. [58]

sicut in incarnatione dedit ei plenitudinem divinitatis.

Vult Deus ut iudicium hoc universale sit iustificatissimum; hinc Christum constituit iudicem, ut hominum iudex homo esset erga homines summa caritate affectus: *Potestatem dedit ei iudicium facere, quia Filius hominis est;* ut iudicet peccatores ille qui peccatores adeo dilexit, quod pro eorum salute in mundum venit et pro eis sanguinem fudit mortemque passus in cruce fuit; quare iudicis sententia nullam pati poterit iustam calumniam.

Voluit autem Deus iudicem hominum hominem esse, ut iudicium iustificatissimum sit.

VI. *Cum venerit Filius hominis.* Sic legimus apud Danielem: *Aspiciebam... in visione noctis, et ecce in nubibus coeli quasi filius hominis veniebat et usque ad antiquum dierum pervenit... et dedit ei potestatem et honorem et regnum, et omnes populi, tribus et linguae servient ei. Potestas eius potestas aeterna.* [59] *Veniebat*, inquit, *filius hominis in nubibus coeli*, sed ad iudicandum; hinc ait quod *usque ad antiquum dierum pervenit.* Prius enim dixerat Vates: *Aspiciebam donec throni positi sunt et antiquus dierum sedit. Vestimentum eius candidum quasi nix et capilli capitis eius sicut lana munda; thronus eius flammae ignis, rotae eius ignis accensus; fluvius igneus rapidusque egrediebatur a facie eius; millia millium ministrabant ei et decies millies centena millia assistebant ei. Iudicium sedit et libri aperti sunt.* [60] Sic

Veniet ergo Christus homo cum maiestate multa ad iudicandum qui prius venit cum humilitate ad salvandum,

52) Iuxta Migne cp. 7, (P. G. 73, 366). 53) P. L. 4, 719-720. 754. 54) Ibid. 35, 1570. 55) Ibid. 42, 840-842. 56) Act 10, 42. 57) 1 Tim 2, 5. 58) Cf. 1 Io 3, 16. 59) 7, 13-14. Vulg.: *Et ecce cum nubibus... ipsi servient*, etc. 60) Ibid. vrr. 9-10. Vulg.: *Quasi lana munda*, etc.

veniet Christus ad iudicandum in nubibus coeli *cum potestate multa et maiestate:*[61] *Cum venerit Filius hominis in maiestate sua;* qui prius venerat in humilitate et mansuetudine ad salvandum : *Ecce rex tuus veniet tibi iustus et salvator, ipse pauper,*[62] veniet in maiestate et gloria divina, ut Deus potius videatur quam homo, sicut visus fuit in gloriosa transfiguratione, quando *resplenduit facies eius sicut sol, vestimenta autem eius facta sunt candida sicut nix.*[63]

sed Deus ipse erit qui per Christi humanitatem mundum iudicabit.

Quod autem Daniel prius vidit Deum in throno veluti pro tribunali sedentem, deinde Christum, mysterium est quod principalis iudex est Deus, sed Christo *dedit potestatem iudicium facere;* quare iudicabit quidem Deus mundum, sed per Christum, Filius autem Dei iudicabit in sacra Christi humanitate et per humanitatem tanquam per instrumentum coniunctum ; quare Christus homo visibiliter et sensibiliter iudicabit ipseque omnibus iudex videbitur : *Videbit omnis caro salutare Dei ;*[64] tunc *videbit eum omnis oculus, et qui eum pupugerunt.*[65]

Iudex dicitur *Filius hominis* ad designandam eius caritatem,

VII. *Cum venerit Filius hominis in maiestate sua* tanquam summus rex coeli et terrae : *Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra.*[66] Hinc ait : *Tunc dicet rex.*[67] Et Christus quidem hodie dicitur *Filius hominis, pastor* et *rex* ad iustificandam sententiam divini huius iudicii. *Filius hominis,* idest verus homo, frater noster, fratrem enim se dicit : *Amen dico vobis, quandiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis :*[68] frater dicitur ob caritatem ; *pastor* vero : *Et separabit eos . . . sicut pastor segregat oves ab haedis,*[69] tum ob pietatem tum ob scientiae certitudinem, pastor enim diligit tum oves tum haedos, et certissime atque infallibiliter discernit oves ab haedis; *rex* tandem : *Tunc dicet rex his qui a dextris eius erunt,*[70] propter plenam auctoritatem et supremam iudicandi potestatem.

pastor ad designandam eius scientiam, *rex* propter plenam iudicandi potestatem,

ut eius sententia sit undequaque iustissima

Sententia enim aliquando iniusta iudicatur vel propter odium iudicis, vel propter ignorantiam et errorem, vel propter usurpatam iurisdictionem, cum iudex mittit manum in messem alienam. Sed propter primum Christus dicitur *Filius hominis* et frater noster ; propter

61) Lc 21, 27. Vulg.: *Cum potestate magna,* etc. 62) Zach 9, 9. 63) Mt 17, 2. Vulg.: *Facta sunt alba,* etc. 64) Is 40, 5. Ex Translat. Septuaginta; Lc 3, 6. 65) Apc 1, 7. 66) Mt 28, 18. 67) Ibid. 25, 34. 68) Ibid. vr. 40. 69) Ibid. vr. 32. 70) Ibid. vr. 34.

secundum *pastor* optime cognoscens oves et haedos; et propter tertium *rex: Cum venerit in maiestate sua* tanquam summus rex cum universa curia et exercitibus suis, *et omnes Angeli* eius *cum eo.* Sic Daniel ait: *Millia millium ministrabant ei et decies millies centena millia assistebant ei.* Sic ipse Christus: *Videbitis coelum apertum et Angelos Dei ascendentes et descendentes supra Filium hominis,* [71] sicut per scalam Iacob Angeli ascendebant et descendebant. [72] Sic Isaias Christum vidit in medio Seraphim, [73] sic divinum propitiatorium super arcam erat in medio Cherubim, [74] sic Deus dictus est *Dominum exercituum,* sic Christus erit tanquam sol in medio coelestium astrorum, sicut Michaeae visus fuit Deus in medio coelestium exercituum: *Vidi Dominum sedentem super sòlium suum et omnes exercitus coeli assistebant ei a dextris et a sinistris.* [75] Sic Zacharias ait: *Veniet Dominus Deus meus omnesque Sancti cum eo;* [76] sic Moyses: *Cum eo sanctorum millia.* [77]

VIII. *Tunc sedebit super sedem maiestatis suae: Qui sedet super Cherubim.* [78] Et forte sedes eius lucidissima nubes erit Angelis plena. Sicut enim in nube lucida ascendit in coelum, ita et descendet, dicentibus Angelis: *Sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in coelum;* [79] et Dominus ipse: *Videbitis Filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei et venientem in nubibus coeli,* [80] sicut antea dixerat: *Filius . . . hominis venturus est in gloria Patris sui cum Angelis suis.* [81] Sic divina gloria circumfusus *sedebit super sedem maiestatis suae,* super thronum gloriosissimum, multo gloriosiorem throno illo Salomonis decantatissimo. [82] Sic Isaias Christum vidit *sedentem super solium excelsum et elevatum,* [83] sic Ezechiel super thronum sapphirinum: *Et super firmamentum . . . quasi aspectus lapidis sapphiri similitudo throni et super similitudinem throni similitudo quasi aspectus hominis desuper.* [84] **Veniet divina gloria circumfusus,**

Divus Ioannes in *Apocalypsi* describit nobis hanc sedem maiestatis Christi una cum ipso Christo sedente. Ait enim: *Ecce sedes* **quam etiam Divus Ioannes descripsit,**

71) Io 1, 51. 72) Cf. Gn 28, 12. 73) Cf. 6, 1-3. 74) Cf. Ex 37, 7-9.
75) 3 Rg 22, 19. Vulg.: *Et omnem exercitum coeli assistentem ei,* etc. 76) 14, 5.
77) Dt 33, 2. 78) Ps 98, 1. 79) Act 1, 11. 80) Mt 26, 64. 81) Ibid. 16, 27. 82) Cf. 3 Rg 10, 18-20. 83) 6, 1. 84) 1, 26.

cum Christum vidit in throno coelesti sedentem,

posita erat in coelo, et supra sedem sedens. Et qui sedebat similis erat aspectui lapidis sardinis et iaspidis, et iris erat in circuitu sedis similis visioni smaragdinae. Et in circuitu sedis sedilia viginti quattuor, et super thronos viginti quattuor seniores sedentes, amicti stolis albis et in capitibus eorum coronae aureae; et de throno procedebant fulgura et voces et tonitrua; et septem lampades ardentes ante thronum Dei, *qui sunt septem spiritus Dei. Et in conspectu sedis tanquam mare vitreum simile crystallo... et in circuitu sedis quattuor animalia plena oculis ante et retro... Primum animal simile leoni, et secundum animal simile vitulo, et tertium animal habens faciem quasi hominis, et quartum animal simile aquilae volanti.* [85] Haec omnia mysteria Christus his verbis concludit: *Sedebit super sedem maiestatis suae,* scilicet super sedem dignam divina maiestate et gloria.

in conspectu populorum universae terrae apparentem,

Erat haec sedes *in coelo,* nam: *Coelum,* inquit, *sedes mihi est.* [86] Erat autem quam vidit Ioannes magna et candida: *Vidi,* inquit, *thronum magnum candidum,* [87] secundum magnitudinem et candorem Christi; non tamen sola erat, sed in medio viginti quattuor sedium, nam Christus ait Apostolis: *Sedebitis et vos super sedes duodecim iudicantes duodecim tribus Israel;* [88] similiter duodecim Patriarchae, qui fuerunt capita synagogae [88a] sicut Apostoli Ecclesiae, sedebunt super duodecim sedes iudicantes mundum. In conspectu sedis erat *mare vitreum.* Mare congregatio est aquarum, aquae autem multae populi sunt multi. [89] Ecce magnum mare: *Congregabuntur ante eum omnes gentes;* [90] sic Ioannes ait: *Vidi mortuos magnos et pusillos stantes ante thronum.* [91] *Septem* vero *lampades* ante thronum sunt Angeli, *qui sunt septem spiritus Dei: Et omnes Angeli,* inquit, *stabant in circuitu sedis et seniorum et quattuor animalium, et ceciderunt in conspectu throni in facies suas.* [92] O vere sedes maiestatis! *Sedebit super sedem maiestatis suae.*

splendidissimis vestibus indutum,

Et qui sedebat similis erat aspectui lapidis iaspidis et sardinis, viridis rubcique coloris, ad denotandum misericordiam atque iustitiam. Ob id Christus vocatur *fidelis et verax,* ex misericordia atque

85) 4, 2-7. Vulg.: *Iaspidis et sardinis ... circumamicti vestimentis albis ... animal primum,* etc. 86) Act 7, 49. Vulg.: *Coelum mihi sedes est;* Is 66, 1. 87) Apc 20, 11.
88) Mt 19, 28. 88a) Cf. Gn 49, 1-28; Ex 1, 1-18. 89) Cf. Apc 17, 1. 15, et supra, Sabbato post Cineres, not. 64, pag. 212. 90) Mt 25, 32. 91) Apc 20, 12. Vulg.: *In conspectu throni.* 92) Ibid. 7, 11. Vulg.: *Stabant in circuitu throni,* etc.

iustitia : *Qui sedebat super eum vocabatur fidelis et verax, et cum iustitia iudicat.* [93] Descripserat prius in *Apocalypsi* I o a n n e s Christum venientem ad iudicium : *Ecce venit cum nubibus et videbit eum omnis oculus ;* ostenderat quisnam sit iste iudex : *Ego sum A et Ω, principium et finis, dicit Dominus Deus, qui est et qui erat et qui venturus est, omnipotens ;* descripserat formam et habitum eius : *Vidi septem candelabra aurea et in medio septem candelabrorum aureorum similem filio hominis, vestitum podere et praecinctum ad mamillas zona aurea, caput autem eius et capilli erant candidi tanquam lana alba et tanquam nix, et oculi eius tanquam flamma ignis, et pedes eius similes aurichalco . . . et habebat in dextera sua stellas septem et de ore eius gladius* ex *utraque parte acutus exibat, et facies eius sicut sol lucet in virtute sua.* [94]

omnibus Sanctis et Angelis comitatum,

Videt Christum in medio septem candelabrorum et septem stellarum. Interpretatur autem ipse septem candelabra aurea septem esse Ecclesias et septem stellas septem spiritus Dei, idest Angelos. [95] Sic utique Christus veniet comitatus omnibus Sanctis omnibusque Angelis. Videt indutum veste sacerdotali ad designandam eius sanctitatem, iustitiam et innocentiam ; habere caput candidum ob candorem divinitatis, oculos igneos ob proprium divinae scientiae lumen in divino suo intellectu, faciem solarem ob divinam gloriam, et pedes similes aurichalco ob carnem etiam, quae infima hominis pars est, vere glorificatam in Christo.

plenum benignitate erga electos et iustitia erga reprobos,

Sed modo, dum sedentem super *sedem maiestatis suae* describit, similem dicit iaspidi viridi et sardini subrubeo, ad designandam Christi tum misericordiam et benignitatem erga electos, quibus dicit hodie : *Venite, benedicti Patris mei,*[95a] et iustitiam ac severitatem erga reprobos, quibus ait : *Ite, maledicti, in ignem aeternum.* Sic inquit quod *de throno procedebant fulgura . . . voces, et tonitrua* terribilia, utique contra reprobos maledictos. Sed in circuitu sedis·erat iris *similis visioni smaragdinae,* idest coloris valde viridis et iucundissimi, quod signum est perpetuae benignitatis erga electos.

librum divinae praedestinationis aperientem

Vidit etiam I o a n n e s iuxta hanc sedem divinae maiestatis librum signatum sigillis septem : *Et vidi in dextera sedentis supra thronum librum signatum sigillis septem, scriptum intus et foris . . .*

93) Ibid. 19, 11. 94) 1, 7-16. Praepositio ex lect. cod. 95) Cf. ibid. vr. 20.
95a) Mt 25, 34.

signatum sigillis septem,

et nemo poterat neque in coelo neque in terra neque subtus terram aperire librum neque respicere illum; sed agnus sedens super thronum, habens *cornua septem et oculos septem,* [96] ipse accepit librum et solvit signacula eius. Solus Christus potest aperire librum divinae praedestinationis et praescientiae omniumque secretorum Dei, et hodie aperiet. Sic enim Daniel ait: *Iudicium sedit et libri aperti sunt;* [97] et Ioannes ait: *Libri aperti sunt; et alius liber apertus est, qui est vitae, et iudicati sunt mortui ex his, quae scripta erant in libris secundum opera ipsorum... et qui non inventus est in libro vitae scriptus, missus est in stagnum ignis.* [98]

septem mysteria divinae maiestatis significantibus,

Et quidem si septem sunt quae ad divinam maiestatem maxime spectant: potentia, sapientia, bonitas, misericordia, iustitia, caritas et gloria, merito sedes haec dicitur *sedes maiestatis,* quoniam hic splendebit infinita Dei potentia in recreatione mundi, cum novum coelum novamque terram creabit septuplo nobiliora: *Et dixit qui sedebat in throno: Ecce nova facio omnia;* [99] hic divina splendebit sapientia, cum aperietur liber iste omnium secretorum Dei; hic divina bonitas et summa beneficentia, qua electis suis omnia bona sua communicabit in aeternum; hic caritas, qua ab aeterno omnes dilexit [100] tanquam pater filios suos; hic misericordia infinita in benedictione electorum; hic severissima iustitia in maledictione reproborum; hic gloria infinita in Christi facie. Et cum omnium oculis hodie paradisus ostendatur apertus, sic merito utique sedes haec dicitur *sedes maiestatis: Sedebit super sedem maiestatis suae.*

ex iustitia reprobos condemnantem ad poenam,

Sed adhuc unum restat de hac sede dicendum. Daniel ait quod de hac sede procedit fluvius igneus: *Thronus eius flammae ignis, rotae eius ignis accensus, fluvius igneus rapidusque egrediebatur a facie eius;* [101] Ioannes vero ait quod de hac sede procedit fluvius aqueus: *Ostendit mihi fluvium aquae vitae splendidum tanquam crystallum, procedentem de sede Dei et agni... et ex utraque parte fluminis lignum vitae afferens fructus duodecim, per singulos menses reddens fructum suum, et folia ligni ad sanitatem gentium.* [102] Sed utrunque verum est: a dextris huius throni egreditur fluvius aquae irrigans paradisum

96) Ibid. 5, 1-6. Vulg.: *Librum scriptum ... signatum sigillis septem.* 97) 7, 10. 98) Apc 20, 12-15. 99) Ibid. 21, 5. 100) Cf. Ier 31, 3. 101) 7, 9. 102) Apc 22, 1-2. Vulg.: *Per menses singulos,* etc.

et a sinistris fluvius ignis accendens infernum; a dextris perpetua gloria paradisi et a sinistris aeterna poena inferni: *Tunc dicet rex his qui a dextris eius erunt: Venite, benedicti Patris mei:* ecce fluvius paradisi; et: *Tunc dicet... his qui a sinistris eius erunt: Ite, maledicti, in ignem aeternum:* [103] ecce fluvius ignis. Ille emanat a fonte misericordiae et bonitatis divinae, iste vero a fonte iustitiae et severitatis Dei; ille a fonte praedestinationis, iste a fonte praescientiae; ille a fonte amoris: *Iacob dilexi,* iste a fonte odii: *Esau autem odio habui;* [104] uterque vero a sede maiestatis: *Tunc sedebit super sedem maiestatis suae;* sedebit sicut rex Salomon super solium Domini et David patris sui, cum fecit iudicium duabus meretricibus super causam infantis, [105] unde cognita fuit primo divina in eo sapientia: *Audivit... omnis Israel iudicium quod iudicasset rex et timuerunt regem videntes sapientiam Dei esse in eo ad faciendum iudicium.* [106]

ex misericordia electos vocantem ad praemium.

IX. *Et congregabuntur ante eum omnes gentes,* divina virtute et Angelorum ministerio, facta universali mortuorum resurrectione. [107] Sic Dominus ait: *Venit hora in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei, et procedent qui bona fecerunt, in resurrectionem vitae, qui vero mala egerunt, in resurrectionem iudicii.* [108] Sic Paulus *1 Corinthiis* docet: *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur, unusquisque autem in suo ordine;* [109] *ad Romanos: Omnes... stabimus ante tribunal Christi;* [110] et *2 Corinthiis: Omnes... nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit* in corpore, *sive bonum sive malum.* [111] Sic cum Dominus Deus venit ad dandam legem, universum populum voluit ad radicem montis Sinai simul congregari et sonitu tubae omnes convocavit, [112] sicut etiam per tubae sonitum a sacerdotibus convocari volebat universum populum ad ostium tabernaculi. [113] Sic inquit Apostolus: *Quoniam ipse Dominus in iussu et in voce Archangeli et in tuba Dei descendet de coelo, et mortui qui in Christo sunt resurgent primi.* [114] Sic omnes gentes, post universalem

Ad divinum iudicium omnes convenient, divina virtute et Angelorum ministerio, universali resurrectione facta;

103) Mt 25, 34. 104) Mal 1, 2-3. Ex Rom 9, 13. 105) Cf. 3 Rg 3, 16-27. 106) Ibid. vr. 28. 107) Cf. Mt 24, 31; 1 Cor 15, 51-52; 1 Thess 4, 15 sqq. 108) Io 5, 28-29. 109) 15, 22-23. 110) 14, 10. 111) 5, 10. 112) Cf. Ex 19, 10 sqq. 113) Cf. Nm 10, 2-3. 114) 1 Thess 4, 15.

resurrectionem, congregabuntur[115] ex omnibus mundi partibus ante tribunal Christi; congregabuntur autem ab Angelis: *Mittet*, inquit, Filius hominis *Angelos suos et congregabunt electos . . . a quattuor ventis.*[116]

Sed electi a reprobis separabuntur,

Et separabit eos ab invicem, sicut pastor segregat oves ab haedis.[117] Sicut prima die creationis mundi divisit Deus lucem a tenebris[118] et bonos Angelos a malis,[119] sic in novissimo die separabit omnes electos a reprobis, omnes filios Dei a filiis diaboli. Sic Iosue, transito Iordane, divisit populum in duas partes, sex tribus ponens super montem Garizim ad benedicendum, et sex super montem Hebal ad maledicendum;[120] sic summus sacerdos super unum lapidem onychinum a dextris portabat nomina sex tribuum, et super alterum a sinistris sex alias tribus;[121] sic Iacob divisit universam familiam suam in duas turmas;[122] sic videtur hodie Deus sedens super solium suum et omnes exercitus coeli assistentes ei a dextris et a sinistris, nam: *Statuet*, inquit, *oves . . . a dextris . . . haedos autem a sinistris.*[123] Omnes sunt exercitus coelestes, quoniam omnes ad aeternam beatitudinem ordinati sunt a Deo; sed qui pereunt, sua culpa pereunt. Designant autem in mysteriis symbolicae theologiae dextera et sinistra praedestinationem et praescientiam, gratiam et peccatum, gloriam et poenam: *Omnes*, inquit, *exercitus coeli assistebant ei a dextris et a sinistris.*[124]

et illi quidem ad dexteram statuentur, hi autem ad sinistram.

Congregabuntur ante eum omnes gentes et statuentur hi quidem cum Angelis bonis a dextris Christi, hi autem cum diabolo et angelis eius a sinistris, sicut columna nubis posuit se in medio duorum exercituum Hebraeorum et Aegyptiorum, quae illis lucida, his autem erat obscura; erit iudicium sicut mare Rubrum, in quo salvati sunt Hebraei et perierunt cum Pharaone Aegyptii;[125] erit sicut fornax Babylonis, in qua salvati fuerunt tres pueri, sed combusti multi Babylonii;[126] hodie extendit David duos funiculos, ad occidendum et ad vivificandum.[127]

Sed cur, quaeso, reprobi dicuntur *haedi*, electi autem *oves?* Profecto quia ovis animal est innocens et utile, haedus autem inutilis

115) Ms.: *Congregabunt.* 116) Mt 21, 31. 117) Ibid. 25, 32. 118) Cf. Gn 1, 4. 119) Cf. supra, not. 36 huius hom., pag. 259. 120) Cf. Ios 8, 33-34. 121) Cf. Ex 28, 9-10. 122) Cf. Gn 32, 7. 123) Mt 25, 33. 124) 3 Rg 22, 19. 125) Cf. Ex 14, 19 sqq. 126) Cf. Dn 3, 48-50. 127) Cf. 2 Rg 8, 2.

est. Iustitia habet duas partes: *Declina a malo:* haec est innocentia, *et fac bonum:* [128] haec est utilitas. Divina lex habebat duas tabulas: [129] praecepta negativa prohibentia malum et affirmativa committentia bonum; utrorunque autem observantia necessaria est ad salutem: *Si quis . . . totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus.* [130] Hoc est quod munda animalia praecipiebat Deus ut duplicem haberent conditionem: ruminare et dividere ungulas; pisces vero ut et squamas et alas haberent, si qua harum deficiebat, immundi censebantur. [131] Hinc mulieres steriles secundum legem maledictae quodammodo et opprobrio erant; [132] hoc est quod legimus: *Omnis . . . arbor, quae non facit fructum bonum, excidetur et in ignem mittetur;* [133] hoc est quod Dominus ficulneae infructuosae maledixit, quoniam folia non fructus habebat; [134] hoc est quod damnatur non habens vestem nuptialem, [135] et qui talentum fodit in terra, [136] et virgines fatuae non habentes oleum, [137] et zizania alligantur et proiciuntur in ignem, [138] et mali pisces foras mittuntur, [139] et paleae comburuntur igni; [140] hoc est quod sacrosanctum hodiernum Evangelium declarat damnari quicunque bonis operis non incumbunt: *Ite, maledicti, in ignem aeternum. Esurivi enim et non dedistis mihi manducare, sitivi et non dedistis mihi bibere;* [141] damnantur quicunque bona opera non egerunt, non solum *operarii iniquitatis.* [142] Ob id igitur reprobi dicuntur *haedi*, propter inutilitatem et sterilitatem bonorum operum, et electi dicuntur *oves: Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi. Esurivi enim et dedistis mihi manducare, sitivi et dedistis mihi bibere,* [143] propter fecunditatem bonorum operum.

Electi a Christo *oves* vocantur, quia ovis designat bona opera quae ad iustitiam necessaria sunt,

reprobi autem *haedi*, quia haedus designat sterilitatem bonorum operum.

X. Quare ostendit hodie Dominus quam necessaria sint opera misericordiae et pietatis. Ad salutem non sufficit fides, requiruntur etiam bona opera facta in caritate, nam: *Si distribuero omnes facul-*

Ad salutem enim sola fides non sufficit, sed requiruntur etiam opera caritatis.

128) Ps 36, 27. 129) Cf. Ex 31, 18; 34, 29. 130) Iac 2, 10. Vulg.: *Quicunque . . . totam legem*, etc. 131) Lv 11, 1 sqq.; Dt 14, 3-19. 132) Cf. Gn 30, 23; 1 Rg 1, 1-18; Is 4, 1; Lc 1, 57. 133) Mt 3, 10; 7, 19. 134) Cf. ibid. 21, 19. 135) Cf. ibid. 22, 11-13. 136) Cf. ibid. 25, 14-30. 137) Cf. ibid. vrr. 1-12. 138) Cf. ibid. 13, 30. 139) Cf. ibid. vrr. 47-48. 140) Cf. ibid. 3, 12. 141) Ibid. 25, 42. Vulg.: *Discedite a me, maledicti . . . sitivi et non dedistis mihi potum.* 142) Lc 13, 27. 143) Mt 25, 34-35.

resurrectionem, congregabuntur[115] ex omnibus mundi partibus ante tribunal Christi; congregabuntur autem ab Angelis: *Mittet*, inquit, Filius hominis *Angelos suos et congregabunt electos . . . a quattuor ventis.*[116] *Et separabit eos ab invicem, sicut pastor segregat oves ab haedis.*[117]

...cti a ...obis ...buntur,

Sicut prima die creationis mundi divisit Deus lucem a tenebris[118] et bonos Angelos a malis,[119] sic in novissimo die separabit omnes electos a reprobis, omnes filios Dei a filiis diaboli. Sic Iosue, transito Iordane, divisit populum in duas partes, sex tribus ponens super montem Garizim ad benedicendum, et sex super montem Hebal ad maledicendum;[120] sic summus sacerdos super unum lapidem onychinum a dextris portabat nomina sex tribuum, et super alterum a sinistris sex alias tribus;[121] sic Iacob divisit universam familiam suam in duas turmas;[122] sic videtur hodie Deus sedens super solium suum et omnes exercitus coeli assistentes ei a dextris et a sinistris, nam: *Statuet*, inquit, *oves . . . a dextris . . . haedos autem a sinistris.*[123] Omnes sunt exercitus coelestes, quoniam omnes ad aeternam beatitudinem ordinati sunt a Deo; sed qui pereunt, sua culpa pereunt. Designant autem in mysteriis symbolicae theologiae dextera et sinistra praedestinationem et praescientiam, gratiam et peccatum, gloriam et poenam: *Omnes*, inquit, *exercitus coeli assistebant ei a dextris et a sinistris.*[124]

et illi quidem ad dexteram statuentur, hi autem ad sinistram.

Congregabuntur ante eum omnes gentes et statuentur hi quidem cum Angelis bonis a dextris Christi, hi autem cum diabolo et angelis eius a sinistris, sicut columna nubis posuit se in medio duorum exercituum Hebraeorum et Aegyptiorum, quae illis lucida, his autem erat obscura; erit iudicium sicut mare Rubrum, in quo salvati sunt Hebraei et perierunt cum Pharaone Aegyptii;[125] erit sicut fornax Babylonis, in qua salvati fuerunt tres pueri, sed combusti multi Babylonii;[126] hodie extendit David duos funiculos, ad occidendum et ad vivificandum.[127]

Sed cur, quaeso, reprobi dicuntur *haedi*, electi autem *oves?* Profecto quia ovis animal est innocens et utile, haedus autem inutilis

...) Ms.: *Congregabunt.* 116) Mt 24, 31. 117) Ibid. 25, 32. 118) Cf. Gn 1, 4. ... not. 36 huius hom., pag. 259. 120) Cf. Ios 8, 33-34. 121) Cf. Ex 28, ... 32, 7. 123) Mt 25, 33. 124) 3 Rg 22, 19. 125) Cf. ... 3, 48-50. 127) Cf. 2 Rg 8, 2.

em observan...
uerit, offendat autem in uno, factus ...
munda animalia praecipiebat Deus ut du-
tionem: ruminare et dividere ungulas; pisces
et alas haberent, si qua harum deficiebat.
ur.[131] Hinc mulieres steriles secundum legem
modo et opprobrio erant;[132] hoc est quod legimus:
ae non facit fructum bonum, excidetur et in ignem
t quod Dominus ficulneae infructuosae maledixit
n fructus habebat;[134] hoc est quod damnatur n
uptialem,[135] et qui talentum fodit in terra,[136] ...
non habentes oleum,[137] et zizania alligantur et proi-
m,[138] et mali pisces foras mittuntur,[139] et paleae com-
;[140] hoc est quod sacrosanctum hodiernum Evangelium
ari quicunque bonis operis non incumbunt: *Ite, male-*
m aeternum. Esurivi enim et non dedistis mihi manducare,
dedistis mihi bibere;[141] damnantur quicunque bona
egerunt, non solum *operarii iniquitatis.*[142] Ob id igitur
untur *haedi,* propter inutilitatem et sterilitatem bonorum
t. electi dicuntur *oves: Venite, benedicti Patris mei, possi-*
um vobis regnum a constitutione mundi. Esurivi enim et
mihi manducare, sitivi et dedistis mihi bibere,[143] propter fe-
em bonorum operum.

Quare ostendit hodie Dominus quam necessaria sint opera mi- Ad salutem enim sola fides non sufficit, sed requiruntur etiam opera caritatis.
diae et pietatis. Ad salutem non sufficit fides, requiruntur
bona opera facta in caritate, nam: *Si distribuero omnes facul-*

Ps 36, 27. 129) Cf. Ex 31, 18; 34, 29. 130) Iac 2, 10. Vulg.: *Quicunque...*
legem, etc. 131) Lv 11, 1 sqq.; Dt 14, 3-19. 132) Cf. Gn 30, 23; 1 Rg 1,
Is 4, 1; Lc 1, 57. 133) Mt 3, 10; 7, 19. 134) Cf. ibid. 21, 19.
Cf. ibid. 22, 11-13. 136) Cf. ibid. 25, 14-30. 137) Cf. ibid. vrr. 1-12.
Cf. ibid. 13, 30. 139) Cf. ibid. vrr. 47-48. 140) Cf. ibid. 3, 12. 141) Ibid.
Cf. ibid. Vulg.: *Discedite a me, maledicti... sitivi et non dedistis mihi potum.* 142) Lc
42. 143) Mt 25, 34-35.
27.

tates . . . in cibos pauperum, et si tradidero corpus meum ita ut ardeam, caritatem autem non habuero, nihil mihi prodest. [144]

Si ergo salvari volumus peccata vitare debemus et bonis operibus incumbere.

O fratres, *cum sero . . . factum esset, dixit dominus vineae procuratori suo : Voca operarios et redde illis mercedem.* [145] Si igitur salvari volumus, necesse est ut omnia letalia peccata vitemus ; nec id sufficit, necesse est ut pro viribus bene agere satagamus et misericordiae ac pietatis operibus incumbamus. Nec id solum adhuc sufficit, sed necessarium est ut bona opera nostra facta sint in caritate, quae forma est omnium virtutum, sicut lux colorum, ut bona opera quae agimus, agamus propter amorem Dei, ad gloriam Dei, recta et pura intentione, ut caritas sit *ex corde puro et conscientia bona et fide non ficta.* [146] Haec tria summopere ad salutem necessaria sunt ; si unum horum desit, nihil actum est, procul dubio cum haedis ad sinistram Christi statuemur.

Christum audire et imitari.

Nunc igitur, o fratres, cogitemus si nos oves an haedi sumus. Ovis animal innocens, mansuetum, utile, pastorem agnoscens et sequens ; sic Christus ait : *Oves meae vocem meam audiunt . . . et sequuntur me.* [147] Audire autem obedire est, sequi autem imitari : *Qui vult venire post me, abneget semetipsum et tollat crucem suam et sequatur me.* [148] Sequela haec et imitatio Christi necessaria est ad salutem, nam : *Qui sequitur,* inquit, *me non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitae.* [149] Christus autem fuit pauper spiritu, mitis et humilis corde et poenas potius quam voluptates huius vitae elegit, caritatemque perfectissimam habuit et erga Deum et erga proximum. In his virtutibus necesse est ut Christum imitemur, nam ait : *Discite a me quia mitis sum et humilis corde;* [150] *Beati pauperes spiritu;* [151] *Exemplum . . . dedi vobis, ut quemadmodum ego feci . . . ita et vos faciatis ;* [152] *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum ut sequamini vestigia eius.* [153]

Sed quia deest in nobis vera caritas erga

Sed, heu, heu ! fratres, ubi est imitatio voluntariae paupertatis, humilitatis et poenitentiae Christi ? *Mundus totus in maligno positus est,* [154] ubique regnat libido, ubique avaritia, ubique superbia.

144) 1 Cor 13, 3. Vulg.: *Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates,* etc. 145) Mt 20, 8. 146) 1 Tim 1, 5. Vulg.: *De corde,* etc. 147) Io 10, 27. 148) Mt 16, 24. Vulg.: *Si quis vult post me venire,* etc. 149) Io 8, 12. 150) Mt 11, 29. 151) Ibid. 5, 3. 152) Io 13, 15. 153) 1 Petr 2, 21. 154) 1 Io 5, 19.

Ubi est caritas Christi erga proximos tum amicos tum inimicos, pro quorum salute mortuus est et pro quibus Patrem oravit in cruce ?[155] Quod si fratrem nostrum, quem videmus, non diligimus, Deum, quem minime videmus, quomodo diligere possumus ?[156] Praesentia obiecti magis movet et similitudo causa amoris est.[157] Num cum caritate manere simul possunt irae, odia, inimicitiae, persecutiones, homicidia, furta, latrocinia, adulteria, falsa testimonia, detractiones, murmurationes, infamiae, contumeliae et his similia ? Si videntes fratrem nostrum in necessitate positum claudimus viscera nostra ab eo, *quomodo caritas Dei manet* in nobis ?[158] Si caritate erga proximum destituti sumus, multo magis contra Deum.

Deum, omnibus etiam reliquis virtutibus

Deinde, ubi sunt opera nostra bona ? Cui nostrum dicere poterit Christus : *Esurivi ... et dedistis mihi manducare; sitivi, et dedistis mihi bibere, hospes eram, et suscepistis me; nudus, et operuistis me: infirmus, et visitastis me; in carcere eram, et venistis ad me ?*[159] Quisnam hodie bonis hisce misericordiae operibus studet satagitque salutem suam operari ? O divites, o divites, quot bona opera divitiis vestris agere possetis, si velletis ad Dei gloriam et salutem vestram proventus vestros expendere ! Quot pauperes esurientes saturare ! quot nudos vestire ! quot ex inopia in carcere detentos liberare ! Et quisque dicit : non possum. Quomodo ergo ad luxum, ad vanitates, ad pompas potestis expendere ? Tandem quisque iniquitati et malignitati studere videtur, hic luxuriae et gulae, ille avaritiae, fraudibus et usuris, alius ambitioni et superbiae, et sic *totus mundus in maligno positus est.*

et bonis operibus destituti sumus, imo malis operibus abundamus.

XI. Quare in nobis triplex est damnationis causa, cum una tantum sufficiat ut iuste damnemur ; sufficit tantum caritatis defectus, non habere vestem nuptialem, non habere oleum in vasis : *Si caritatem non habuero, nihil mihi prodest*, nec martyrium, quale fuit illud Beati Laurentii :[160] *Si tradidero corpus meum, ita ut ardeam.* Nos vero, caritate destituti cum simus, nec bonis quidem operibus, saltem moralibus, incumbimus, nec curamus nec cogitamus qui-

Haec autem est triplex causa damnationis quam maxime nobis timendae.

155) Cf. Lc 23, 34. 156) Cf. 1 Io 4, 20. 157) Axioma ex Aristotele *Ethicorum Nicom.*, lib. 8, cp. 2, t. 2, pag. 59. 158) 1 Io 3, 17. 159) Mt 25, 35-36. Vulg.: *Hospes eram, et collegistis me ... cooperuistis me*, etc. 160) Cf. Breviarium Rom. die 10 Augusti in Festo S. Laurentii M. ad Mat., lect. secundi noct.

dem; sumus ergo et sine caritate et sine bonis operibus; ac tandem multis abundamus operibus malis, vitiis atque peccatis. Sic diabolus tribus hisce damnationis causis nobis aeternam mortem studet inferre, sicut Ioab tribus lanceis transfixit cor Absalom,[161] ut certius eum occideret, cum tamen una tantum lancea suffecisset. Ah! fratres, quid igitur? Damnari omnes volumus sic viventes? Nisi poenitentiam cum Ninivitis egerimus, absque dubio omnes damnabimur,[162] cum unum tantum letale peccatum sufficiens causa damnationis sit. Quis igitur nostrum iure salutem sperare potest?

Non tamen desperandum nobis est, sed divina misericordia implorandu.

Neque tamen hoc dico, fratres, ut vos in desperationis barathrum iniciam; absit! sed ut in quonam statu reperimur, salutis an damnationis, ostendam oculosque vestros aperiam, ut agnoscentes nos mille modis Deum offendisse, ad Christi pedes una cum sancta illa peccatrice[163] recurramus, sicut fecit Semei cognoscens gravissime se offendisse regem David, cum fugeret a facie Absalom, vocans eum virum Belial et virum sanguinum, mittens contra eum lapides;[164] cognoscens, inquam, se tam graviter in David regem peccasse, abiit ad eum et prostratus ad pedes eius veniam petiit dicens: *Ne reputes mihi, domine mi, iniquitatem* meam, *neque memineris iniuriarum servi tui... neque ponas, rex, in corde tuo; agnosco enim servus tuus peccatum meum.*[165] Tunc David videns eius humilitatem dixit ei: *Non morieris. Iuravitque ei.*[166] Sic agendum nobis est, fratres, si damnari minime volumus. Sicut etiam ipse David egit cum Deo, post peccatum adulterii et homicidii;[167] agendum sicut egisse legimus sanctum patriarcham Iacob, cum novit quod Esau veniret contra eum cum quadringentis viris armatis; metuens enim sibi ab eo vehementer, ad eum placandum, quem iratum putabat, destinavit nuncios cum magnis muneribus divinamque opem instantissime imploravit, visoque fratre, ad feritatem eius animi mitigandam septies coram eo pronus in terra adoravit eaque insigni eximiae humilitatis specie animum eius linivit.[168]

sicut egerunt David cum Deo et etiam Iacob cum Esau,

Sic, inquam, nobis agendum est modo, et multo amplius; illi enim cum germano fratre negotium erat et ob unam tantum

161) Cf. 2 Rg 18, 14. 162) Cf. Ion 3, 5-10; Lc 13, 3. 5. 163) Cf. Lc 7, 37-38. 164) Cf. 2 Rg 16, 5-13. 165) Ibid. 19, 19-20. 166) Ibid. vr. 23. 167) Cf. ibid. 12, 13. 168) Cf. Gn 32, 1-21; 33, 1-4.

offensam, si tamen offensa fuit, et nonnisi carnis interitum metuere sibi ab eo poterat; nobis autem cum iudice agendum est summoque rege, cui decem millia talentorum debemus,[169] *qui potest et corpus et animam mittere in gehennam*[170] in aeternumque interitum demergere peccatores, sicut in *Apocalypsi Angelus fortis* mittens magnum *lapidem* et *quasi molarem . . . in mare* dixit: *Hoc impetu mittetur Babylon civitas illa magna et ultra iam non invenietur.*[171]

ne in interitum aeternum demergamur.

Miror plane, fratres! Quid est quod, audita iudicii extremi voce, non contremiscimus? Daniel, accepta divinitus revelatione iudicii sententiaeque divinae contra Nabuchodonosor, quod regno privandus erat, eiciendusque ab hominibus cum feris victurus erat in deserto septem annis, vehementer perterritus per spatium unius horae nec loqui potuit, nec flagitanti regi respondere.[172] Nunc autem revelatur nobis iudicium, quod super nos exercendum est, quo peccatores privandi sunt omnibus bonis, eiciendi a mundo non in desertum, sed in infernum, non cum feris, sed cum daemonibus, quorum qualis sit erga nos animus dicat Beatus Iob a satana flagellatus;[173] nec septem annis supplicio hoc sumus plectendi, sed in perpetuum: *Ite, maledicti, in ignem aeternum.* Sed incredulitas procul dubio in causa est huius intrepiditatis. Si in magno campo magnus esset congregatus exercitus qui a coelesti Angelo vocem audiret quod mox innumera casura forent e coelo fulmina, quibus maior exercitus pars esset interitura, dicite, si coelesti voci fides adhibeatur a copiis, dicite, quaeso, quas non latebras perquirerent? Sed multi sunt sicut generi Loth, qui non credentes coelesti igne perierunt.[174]

Valde ergo extimescendum est divinum iudicium,

quia post hoc aeternum erit supplicium.

169) Cf. Mt 18, 24-26. 170) Ibid. 10, 28. Vulg.: *Qui potest et animam et corpus perdere in gehennam.* 171) 18, 21. 172) Cf. Dn 4, 16-30. 173) Cf. Iob 1, 13-2, 1 sqq. 174) Cf. Gn 19, 14-25.

II. ALIA HOMILIA

Cum venerit Filius hominis in maiestate sua et omnes Angeli eius cum eo, tunc sedebit super sedem maiestatis suae, etc. [1]

Maiestas Christi in finali iudicio revelata iam fuit Isaiae;

I. Vidit sanctus Domini propheta Isaias in spiritu Christum sedentem super sedem, *sedem maiestatis suae : Vidi*, inquit, *Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum, et ea, quae sub ipso erant, replebant templum*, et plena erat omnis terra maiestate eius. [2] Quoniam autem Deum in humana forma vidit, qui Christus est, Deus et homo, *Verbum caro factum*, [3] propterea Divus Ioannes inquit quod hic *Isaias . . . vidit gloriam* Christi. [4] Sed si Christus est Deus, iste visus, duo Seraphim, in quorum medio videtur, non possunt esse nisi Pater et Spiritus Sanctus. Christus enim media est in Trinitate Persona, ipse quoque Seraph, Deus, qui *ignis . . . est*, [5] qui *lux est*, [6] qui *caritas est ;* [7] sed humanitate indutus est, qua minor est Patre. Hinc *Seraphim stabant super illud* [8] solium, utraque enim Persona, Deus cum sit, maior est Christo quatenus homo ; sed quia homo iste Christus verus est etiam per hypostaticam cum Verbo unionem Deus : *In principio* enim *erat Verbum et Verbum erat apud Deum et Deus erat Verbum . . . et Verbum caro factum est*, [9] propterea inquit Vates : *Vidi Dominum ;* vidit autem in regia maiestate : *Regem*, inquit, *Dominum exercituum vidi oculis meis;* [10] regiae autem maiestati competit iudiciaria potestas atque suprema vitae et mortis; imo quod ad iudicandum tunc venit Dominus iste ac summus coelorum Rex Oziam regem Iudaeorum, qui in superbiam elatus voluit sacerdotalem sibi dignitatem officiumque arrogare, ut offerret tanquam summus sacerdos incensum Domino, quapropter indignatione commotus Dominus magno terraemotu terram concussit, [11] unde hic dicitur quod *commota sunt superliminaria domus a voce clamantis*, [12]

1) Mt 25, 31. Pronomen *eius* lect. cod. 2) 6, 1-3. 3) Io 1, 14. 4) Ibid. 12, 41. 5) Dt 4, 24. 6) 1 Io 1, 5. 7) Ibid. 4, 8. 16. 8) Is 6, 2. 9) Io 1, 1-14. 10) Is 6, 5. 11) Cf. 2 Par 26, 16; Am 1, 1. 12) Is 6, 4. Vulg.: *Superliminaria cardinum*, etc.

et Zacharia 14 legimus magnum fuisse terraemotum,[13] ipsum vero temerarium regem lepra statim percussit.[14]

Sic hodie Christum videmus hominem et Deum: *Cum venerit Filius hominis*, et: *Venite, benedicti Patris mei*,[15] quasi unigenitus Filius Dei loquitur; videmus regem: *Tunc dicet rex his qui a dextris eius erunt*;[16] videmus iudicem secernentem bonos a malis: *Sicut pastor segregat oves ab haedis.*[17]

veniet enim ut homo simul et Deus, rex et iudex.

II. Sed quidnam, quaeso, sunt sex alae Seraphim? Utique sex divinae essentiae proprietates: infinita potentia et sapientia, quam ostendit in creatione mundi; infinita caritas et misericordia, quam ostendit in redemptione humani generis, et infinita bonitas et iustitia, quam ostendet in die iudicii. Ad ostendendos hos divinitatis suae thesauros Deus universa creavit, sicut Assuerus septem diebus convivium sumptuosissimum celebravit ad ostendendam magnitudinem et gloriam divitiarum suarum.[18] Unaquaeque harum proprietatum infinita est, sicut Deus infinitae magnitudinis est. Sicut enim quantus est ignis tantus est calor, quantus est sol tanta eius est lux, ita quantus est Deus tanta est eius potentia, tanta eius sapientia, tanta bonitas, omnesque hae proprietates Dei aequales sunt, sicut aequales sunt alae cuiusvis avis suapte natura. Iustitia autem una est proprietatum Dei; igitur infinita est iustitia Dei sicut et ipse Deus, infiniti ignis infinitus calor, infiniti solis infinitus splendor. Si magnitudo coeli tanta est, ut terra respectu magnitudinis coeli vix punctum sit, tanta est magnitudo Dei, ut mundus universus a supremo convexo usque ad centrum respectu Dei vix sit granum minutissimae arenae. O magnitudo infinita Dei! Sed sic infinita est iustitiae divinae magnitudo.

Omnes divinae perfectiones aeque infinitae sunt,

ideo etiam iustitia infinita erit, sicut ipsemet Deus.

Sicut autem Deus in principio mundi maximam efficere voluit potentiae et sapientiae suae demonstrationem, in medio autem similiter maximam demonstrationem caritatis et misericordiae suae; ita in fine mundi maximam facturus est demonstrationem bonitatis iustitiae suae, ut ostendat omnibus quanto odio prosequatur vitium,

In fine mundi Deus maximam faciet demonstrationem bonitatis et iustitiae.

13) Cf. vr. 5. 14) Cf. 2 Par 26, 19-20. 15) Mt 25, 34. 16) Ibid.
17) Ibid. vr. 32. 18) Cf. Est 1, 3-8.

quantum sibi peccata displiceant, quo amore in virtutem affectus sit, quantum sibi bonitas placeat.

Multa terribilia iudicia fecit Deus in mundo, sed terribilior valde erit divina iustitia.

Fecit quidem huius rei magnam demonstrationem Deus in praeteritis saeculis, eiciendo peccatores angelos de coelesti paradiso [19] et homines de terrestri, [20] maledicendo Cainum, [21] mittendo aquas diluvii, [22] pluendo ignem de coelo, [23] flagellando Aegyptum, [24] tentando Hebraeos in deserto, quorum ob diversa crimina sexcenta sexaginta sex millia interfecit, [25] reprobando Saulem, [26] puniendo Davidem, [27] affligendo populum suum nunc fame, [28] nunc peste, [29] nunc bellis, [30] nunc servitute et captivitate sub impiis tyrannis, [31] sepeliendo Core vivum cum universa familia sua ob motam seditionem, [32] percutiendo Oziam lepra, [33] convertendo uxorem Loth in statuam salis [34] et Nabuchodonosor in bestiam, [35] et aliis huiuscemodi innumeris. Sed haec respectu divinae iustitiae nihil sunt.

Hanc multi nunc calumniantur, sed resplendebit in die iudicii in praemio electorum et in punitione reproborum.

Multi nunc divinam iustitiam calumniantur quod non praemiet, [36] ut par est, coronetque virtutes vitia puniendo, videntes multos improbos in mundo exaltatos omnibusque mundi huius bonis affluentes, sicut epulo, [37] et multos viros probos et iustos humiliatos, depressos, malis omnibus oppressos, sicut Iob in tribulatione sua, [38] sicut Lazarus mendicus. [39] Sed in die universalis iudicii cognoscetur divina iustitia : *Cognoscetur Dominus iudicia faciens;* [40] tunc videbitur praemium et corona virtutum : *Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum;* [41] tunc punitio et poena vitiorum : *Ite, maledicti, in ignem aeternum.* [42]

Et punitio quidem severissima erit

III. Cogitate, fratres, sententiae huius severitatem : *Ite, discedite.* Relegatic est perpetuumque exilium a patria paradisi, privatio omnium bonorum gloriae coelestis, quae infinitus thesaurus est,

19) Cf. Is 14, 12-17; 2 Petr 2, 4; Iud vr. 6. 20) Cf. Gn 3, 1 sqq. 21) Cf. ibid. 4, 8-12. 22) Cf. ibid. 7, 1 sqq. 23) Cf. ibid. 19, 1 sqq. 24) Cf. Ps 104, 28-36. 25) Cf. Nm 14, 22-31; Dt 1, 35-39. Cf. supra, Dominica Septuagesimae, not. 26, pag. 46.
26) Cf. 1 Rg 15, 10-28. 27) Cf. 2 Rg 12, 7-19; 24, 1 sqq. 28) Cf. Ex 16, 1 sqq.; 4 Rg 8, 1 sqq. 29) Cf. 2 Rg 24, 15; 1 Par 21, 14. 30) Cf. 1 Rg 4, 1 sqq. et loci paralleli.
31) Variae captivitates recensentur; sed prolixiores et celeberrimae sunt Theglathphalasar, cf. 4 Rg 15, 29; Salmanasar, cf. ibid. 17, 3-20; 18, 10-11; Nabuchodonosor, cf. ibid. 24, 10-25, 1 sqq.; 2 Par 36, 6 sqq. 32) Cf. Nm 26, 9-11. 33) Cf. 2 Par 26, 20-21. 34) Cf. Gn 19, 26. 35) Cf. Dn 4, 22-30. 36) Ms.: *Prenie.* 37) Cf. Lc 16, 19. 38) Cf. Iob 1, 13-2, 1 sqq. 39) Cf. Lc 16, 20-21. 40) Ps 9, 17. 41) Mt 25, 34. 42) Ibid. vr. 41. Vulg.: *Discedite a me, maledicti,* etc.

duplicem poenam importans: privationem omnium bonorum

sicut Deus infinitum omne bonum est. *Ite, maledicti.* Privantur non tantum gloria Dei, sed etiam gratia Dei, amicitia Dei, paterno amore Dei in aeternum, ut nunquam in aeternum possint a Deo beneficium aliquod vel minimum consequi, sicut epulo non potuit guttam aquae obtinere.[43] Maledictio haec aeternum Dei et immortale odium designat; haec damnatorum poena est quam dicunt damni,[44] privatio omnium bonorum tum gloriae tum gratiae Dei. Gratia est sicut ver, gloria sicut autumnus. Damnati in aeterna hieme erunt, omni privati tum gratia tum gloria. Hinc Christus vocavit infernum *tenebras exteriores,*[45] sive extimas, idest profundissimas. Sic hodie sol Hebraeis lucidissimus Aegyptiis tenebrosissimus erit,[46] et Christus tanquam Cherub faciem habebit hominis erga electos et rugientis leonis[47] contra reprobos: *Leo rugiet, quis non timebit?*[48]

et supplicium omnium malorum,

Sed nondum finis malorum. Magna quidem poena est bonorum privatio, habere famem, sitim, frigus, et non habere quippiam ad comedendum, ad bibendum, ad induendum, ad calefaciendum. Sed si hisce malis flagella et torturae addantur, multo maius malum efficitur. Hinc in sententia additur: *Ite, maledicti, in ignem,* sed inferni, in centro terrae.[49] Ignis autem eo urentior est quo in crassiori materia accensus est; magis urit flamma quam fumus, magis carbones quam flamma, magis ignitum ferrum quam carbones. Materia autem centri terreni crassissima est; nam sicut quo magis ascendimus eo rariora ac spiritualiora elementa reperimus, aqua enim terra est ra-

specialiter ignis intensissimi, ultra quam imaginari possit,

43) Cf. Lc 16, 24-26. 44) « Theologi, cum inferni poenas accuratius describunt, communiter distinguunt inter *damni* poenam et poenam *sensus.* Illa continetur summo damno, privatione scilicet boni summi eorumque bonorum, quae cum huius fruitione in coelo cohaerent. Huius nomine intelligitur quaevis poena positiva ultra damni poenam vi legis positivae per aliquam actionem damnatis illata, naturali inclinatione ingrata, per aliquod agens sensibile, quod et sensus hominum damnatorum possit affligere. Quare triplex est inter utranque poenam discrimen: 1° ratione Dei: poena damni consistit in subtractione influxus divini, poena sensus in actione positiva; 2° ratione animae: illa consistit in privatione, haec in cruciatu positivo; 3° ratione culpae: illa respondet aversioni a Deo, haec conversioni inordinatae ad creaturas. Inter varias autem poenas sensus eminet ignis ». H. Hurter *Theologiae Dogmaticae Compendium,* t. 3, tract. 10, *De Deo Consummatore*, cp. 2, pag. 607. 45) Mt 8, 12; 22, 13; 25, 30.
46) Cf. Ex 10, 22-23. 47) Cf. Ez 1, 10. 48) Am 3, 8. 49) De loco seu sede inferni diversae sunt sententiae. De eo Suarez statuit: « Quod infernus sit sub terra dubitandum non est propter communem sensum Patrum, ita intelligentium Scripturas quae semper de inferno tanquam de loco inferiori hoc mundo visibili loquuntur, et ideo motum in infernum semper descensum appellant ». *De Angelis,* lib. 8, cp. 16, pag. 719. Hinc Augustinus: « De inferis magis mihi video dicere debuisse quod sub terris sint, quam rationem reddere, cur sub terris esse credantur ». *Retractationum,* lib. 2, cp. 24, (P. L. 32, 640).

et aeterni,

rior, aer aqua, et sic ascendendo, ita descendendo semper materia multo crassior est. Sic intensissimum necesse est esse infernalis ignis calorem multoque urentiorem nostro hoc igne, quam sit hic noster suo fumo ; sed hic ignis aeternus est, semper ardens et corpora quae comburit nunquam consumens divina virtute, sicut ignis ardens in rubo Moysi : [50] *Ibunt hi in supplicium aeternum.* [51] O aeternitas nunquam habitura finem! Post infinita saecula saeculorum durabit supplicium istud tot saeculis! Quod si quisque damnatus singulis saeculis singulas lacrimas funderet, prius lacrimis suis mare multo maius diluvio Noe efficeret, quam supplicium istud finem haberet : *In ignem aeternum.*

cum daemonum societate.

Qui paratus est diabolo et angelis eius. [52] Haec est damnatorum societas : horribilia illa monstra semper videre, imo ab eis semper multo maiora pati quam passus fuit Iob a satana. Hanc poenam infliget divina iustitia omnibus peccatoribus. Sed pro qua culpa? *Quia esurivi, et non dedistis mihi manducare,* [52*] ob carentiam tantum caritatis et pietatis erga proximum, etiamsi nullum aliud peccatum commissum fuerit. Loquimur tamen de adultis et non de parvulis, qui tantum in originali decesserunt, hi enim sensus poenam non patientur.

Hinc autem apparet severitas divinae iustitiae quae tanto odio peccatum prosequitur, imo solum virtutis contemptum.

O fratres, considerate poenam et culpam propter quam infligitur poena ista, et videbitis qualis quantaque sit severitas divinae iustitiae, quale quantumque odium Dei in peccatum. Nam ob solum virtutis contemptum multi damnabuntur, uti fuerunt illi qui vocati ad nuptias noluerunt venire, hic dicens : *Villam emi et eo videre illam;* ille : *Uxorem duxi . . . non possum venire ;* alius : *Iuga boum emi quinque et vado probare illa, rogo te, habe me excusatum.* [53] Sed quia divinam coenam divinumque convivium contempserunt, utique perierunt : *Qui vocati sunt non fuerunt digni.* [54]

IV. Sed, quaeso, quotnam erunt contra quos fulminabitur sententia ista? Non sunt tot stellae coeli nec maris arenae, non tot flores veris et fructus autumni, non tot arborum folia et fructus nec

50) Cf. Ex 3, 2. 51) Mt 25, 46. 52) Ibid. vr. 41. 52*) Ibid. vr. 42. Vulg.: *Esurivi enim*, etc. 53) Lc 14, 18-20. Vulg.: *Et eo probare*, etc. Ordine inverso affert hos vrr. 54) Mt 22, 8. Vulg.: *Qui invitati erant*, etc.

tot messium grana, pluviae guttae et aeris atomi, quoniam valde pauci sunt qui salvantur. Ait Dominus: *Arcta* enim *via est quae ducit ad vitam*, et valde *pauci . . . inveniunt eam, lata* autem *et spatiosa . . . quae ducit ad perditionem*, et valde *multi sunt qui intrant per eam.* [55] Multo plures sunt viles communesque petrae, quam lapides pretiosi. In diebus Noe ex universo mundo octo tantum animae salvae fuerunt in arca; [56] ex universa Pentapoli solus Loth cum duabus filiabus salvatus fuit; [57] ex sexcentis sexaginta sex millibus Hebraeorum, qui ex Aegypto egressi fuerunt, duo tantum in terram promissionis ingressi fuerunt: Iosue et Caleb; [58] ex universa civitate Iericho sola Rahab meretrix cum sua familia salvata fuit. [59] *Ibunt . . . in supplicium aeternum* omnes infideles omnesque haeretici et omnes schismatici et mali christiani; soli salvantur qui vel nunquam peccaverunt, vel de peccatis poenitentiam condignam egerunt cum Ninivitis, [60] cum publicano, [61] cum David, [62] cum Magdalena. [63] Infinita igitur propemodum hominum multitudo tremendam hanc subibit sententiam, quoniam *stultorum infinitus est numerus* [64] et hominum vix millesima pars salvabitur. [65]

Multo plures erunt reprobi damnandi quam electi salvandi.

Quilibet autem nostrum de sua incertus salute est, nesciens an ad dexteram vel ad sinistram casurus sit; nemo scit an collocandus sit ad Christi dexteram vel sinistram, benedicendus an maledicendus, accepturus vitae an mortis sententiam; et tamen nemo est qui divinum iudicium extimescat, cum tamen sciamus omnes nos peccatores esse. Bone Deus! Si princeps multos haberet in carceribus reos mortis, velit autem nonnullos eorum ex gratia a morte et carceribus liberare, sed eos sorti committat, ponanturque sortes quis liberandus sit et quis ad patibulum ducendus, quonam cum timore et tremore stabit quisque de sua sorte incertus? Nos autem, incerti de sorte aeternae vitae aut perpetuae mortis sempiternique supplicii, nihil pavemus? Dominus dicit quod arescent homines *prae timore et expectatione, quae supervenient universo orbi* [66] in die iudicii.

Et tamen terribile hoc iudicium non timetur, licet quisque de sua sorte incertus sit,

55) Ibid. 7, 13-14. Ordine inverso affert hos vrr. 56) Cf. Gn 8, 16-18; 1 Petr 3, 20. 57) Cf. Gn 19, 15-30. 58) Cf. Nm 14, 29-38; 26, 65; 32, 11-12, et supra, Dominica Septuagesimae, not. 26, pag. 46. 59) Cf. Ios 6, 23-24. 60) Cf. Ion 3, 5-9. 61) Cf. Lc 18, 13-14. 62) Cf. 2 Rg 12, 13. 63) Cf. Lc 7, 37-38. 64) Eccle 1, 15. 65) Cf. S. Laurentius a Br. *Quadragesimale Primum*, pag. 75, not. 44-47. 66) Lc 21, 26.

nec gloriari possit mundum se habere cor.

Ah! fratres, securitas ista nostra timeo ne ex incredulitate oriatur. Potest quidem oriri ex testimonio bonae conscientiae, nam: *Gloria nostra haec est: testimonium conscientiae nostrae.*[67] Securus est quem conscientia non mordet neque reprehendit, sicut B e a t u s I o b ait: *Non... reprehendit me cor meum in omni vita mea;*[68] fuit enim semper divino testimonio *vir simplex et rectus ac timens Deum et recedens a malo.*[69] At vero quis gloriabitur mundum se habere cor? Deinde, *iustus vix salvabitur,* inquit D i v u s P e t r u s,[70] sicut vix salvatus fuit Loth de incendio Pentapolis. Laesa autem conscientia facit hominem timidum,[71] et nos, cum mille culpis laesam conscientiam habeamus, nihil pavemus ac si nostra nil interesset? ac si aliorum, non nostra causa ageretur?

Cum ergo divinum iudicium certissimum sit,

V. An credimus divinum hoc iudicium nunquam futurum? Sic homo nunquam se moriturum credit, quoniam anima suapte natura immortalis communicat quodammodo redundantia quadam corpori suam immortalitatem; hinc homo nunquam se moriturum credit, sed non propterea non moritur quisque. Sic de iudicio procul dubio mihi videtur esse. Moriturus est homo hic magnus et *omnes... nos* stare oportebit *ante tribunal Christi, ut referat quisque propria corporis,*[72] ut pro se quisque rationem reddat.

cavendum summopere est a peccatis,

Caveamus a peccatis, quoniam mortale peccatum, sive magnum sit sive parvum, mortis aeternae nos reos constituit; sive haedi simus sive caprae aut hirci, ad sinistram Christi collocandi sumus. Videte, fratres, quam magnum malum peccatum sit; quamvis parvum sit omissionis, non commissionis, non male fecisse, sed non fecisse bene pauperibus, nos ad sinistram Christi collocat.

et operibus caritatis incumbendum.

Considerate magnitudinem poenae: *Discedite... maledicti, in ignem aeternum.* Hanc sententiam fulminat Christus contra eos qui in pauperes immisericordes fuerunt. Christus fulminat, qui non tantum

67) 2 Cor 1, 12. 68) 27, 6. Vulg.: *Neque... reprehendit,* etc. 69) Ibid. 1, 1; 2, 3. 70) 1 Petr 4, 18. 71) Proverbium familiare S. Auctori, cf. *Explanatio in Genesim,* pag. 276, cui simile habent Virgilius:

« Degeneros animos timor arguit »,

Aeneid., lib. 4, vr. 13; et Seneca: « Proprium est nocentium trepidare », *Epistolae,* lib. 10, epist. 97, pag. 405. 72) 2 Cor 5, 10. Vulg.: *Ut referat unusquisque,* etc.

summa iustitia praeditus est, sed summa etiam et infinita erga genus humanum caritate et benevolentia. Indicat igitur ista sententia iudicis clementissimi peccatum suapte natura infinitum esse malum Deoque summe odibile, sicut, e contra, infinitum ostendit esse meritum pietatis in pauperem propter Deum, sententia pro electis lata: *Venite, benedicti . . . , esurivi enim,* etc.

III. ALIA HOMILIA

Cum venerit Filius hominis in maiestate sua et omnes Angeli eius cum eo, tunc sedebit super sedem maiestatis suae. [1]

Agit hodiernum Evangelium de finali iudicio, circa quod tria proponuntur consideranda:

I. In sacrosancto hodierno Evangelio de finali et universali iudicio tria proponuntur: primum est iudicis adventus, secundum convocatio iudicandorum ad tribunal Christi eorumque discrimen, et tertium sententia iudicis lata et executioni mandata. Quoad primum: *Cum venerit Filius hominis.* Iudex venturus dicitur *Filius hominis* et *Filius Dei: Venite, benedicti Patris mei;* [2] dicitur *pastor,* [3] dicitur *rex* [4] et dicitur *frater noster: Quod uni ex . . . fratribus meis . . . fecistis, mihi fecistis.* [5] Dicitur *Filius Dei* et *Filius hominis* propterea quod vere et Deus et homo est, habens *formam Dei* et formam hominis. [6] Haec est persona Christi, qui *mediator* est *Dei et hominum.* [7] Vult autem Deus ut ab homine, qui frater noster est, iudicentur homines, ne quis possit sententiam divinae iustitiae calumniari ex animi malivolentia. Iudex enim erit homo, frater noster, pastor noster et *pastor bonus* qui *animam suam* posuit *pro ovibus suis.* [8] Non tantum rex, sed *rex* dicitur Christus propter divinam naturam suprememamque potestatem et auctoritatem, unde sententia erit inappellabilis; *hominis* autem *Filius* et *pastor* dicitur propter infinitam erga nos caritatem; multo enim maiori caritate affectus est erga nos Christus, quam fuerit Ioseph erga fratres suos factus princeps summus in regno Aegypti. [9]

primum est persona iudicis,

1) Mt 25, 31. Pronomen *eius* lect. cod. 2) Ibid. vr. 34. 3) Ibid. vr. 32. 4) Ibid. vr. 34. 40. 5) Ibid. vr. 40. Vulg.: *Quandiu fecistis uni,* etc. 6) Cf. Phil 2, 6-7. 7) 1 Tim 2, 5. 8) Io 10, 11. 9) Cf. Gn 41, 40-44; 45, 1-24.

qui veniet in maiestate,

Sicut autem Ioseph factus princeps Aegypti a fratribus suis minime agnoscebatur ob gloriae magnitudinem,[10] ita Christus, *cum venerit... in maiestate sua*, in gloria divinitatis suae, ab electis vix agnoscetur; hinc dicunt: *Domine, quando te vidimus esurientem aut sitientem?* etc.[11] Hinc Christus post resurrectionem suam vix agnitus fuit a discipulis.[12]

et certe veniet, licet iudicii tempus ignoretur.

Cum venerit. Certum est venturum esse, sed tempus incertum est, sicut certum est hominem esse moriturum, sed dies et hora mortis ignoratur. Mundus autem hic magnus homo est, sicut homo parvus est mundus;[13] sicut autem homo, sic et mundus iste extremum diem claudet.

Secundum est convocatio iudicandorum ad tribunal eorumque discrimen.

II. Quoad secundum: *Congregabuntur ante eum omnes gentes, et separabit eos ab invicem, sicut pastor segregat oves ab haedis.*[14] Sicut pastor inerranter cognoscit oves et haedos, sic Christus omnes cognoscit, electos et reprobos, bonos et malos. Dicuntur autem electi *oves*, quoniam necesse est ut Christum, qui *Agnus Dei*[15] est, fide et caritate in corde conceperint ac pepererint confessione oris et operibus caritatis, nam: *Corde... creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem*,[16] et omnis anima quae salvatur necesse est ut Deo sit desponsata per fidem.[17] Reprobi autem non caprae dicuntur aut hirci, sed *haedi*, quia unum tantum, quamvis parvum, peccatum mortale, licet non sit commissionis, sed omissionis, sufficit ut in causa sit damnationis.

dividentur enim iuxta uniuscuiusque statum gratiae vel peccati.

Sicut autem, consistente arca Dei in medio, post transitum Iordanis, divisit Iosue populum, et sex quidem tribus posuit super montem Garizim ad benedicendum, sex vero super montem Hebal ad maledicendum,[18] sic erit in die iudicii: tunc dividet Deus lucem a tenebris,[19] tunc firmamentum dividet aquas superiores ab infe-

10) Cf. ibid. 42, 8. 11) Mt 25, 37. 12) Cf. Lc 24, 15-16; Io 21, 4.
13) Philo Iudaeus: « Hoc est quod quidam ausi sunt universo mundo aequare hominem, cum viderent utrunque constare ex corpore et rationali anima, ut, permutatis nominibus, hominem quidem mundum parvum, mundum vero magnum hominem dicerent ». *Quis rerum divinarum heres*, t. 1, pag. 433. Macrobius: « Physici mundum magnum hominem et hominem brevem mundum esse dixerunt ». *Comment. in Somnium Scipionis*, lib. 2, cp. 12, pag. 145. Cf. Lud. Caelius *Lect. Antiq.*, lib. 2, cp. 18, col. 82-84; lib. 24, cp. 30, col. 1371-1372. 14) Mt 25, 32. 15) Io 1, 29. 16) Rom 10, 10. 17) Cf. Os 2, 20. 18) Cf. Ios 8, 33-34. 19) Cf. Gn 1, 4.

rioribus,[20] tunc Iephte iudex populi Dei omnes Ephrathaeos nescientes dicere *scibboleth*, quod est spica, sed dicentes *sibboleth*, quod est onus, praefocabit aquis Iordanis.[21]

III. Quoad tertium: *Tunc dicet rex his qui a dextris eius erunt: Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi.*[22] Ubi complectitur Christus universum divinae praedestinationis mysterium, quoad principium et medium et finem. Principium est divina caritas, praeparans homini bona gratiae in hac vita et bona gloriae in futura vita. Hinc quoad principium dicitur: *Paratum vobis regnum*, quoad medium dicuntur *benedicti Patris*, quasi filii Dei per gratiam, et quoad finem: *Percipite regnum.* Sententia vero in reprobos lata continet praescientiae reprobationisque divinae arcanum: *Ite, maledicti, in ignem aeternum, qui paratus est diabolo et angelis eius.*[23] Principium reprobationis est divina iustitia, quae paravit ignem aeternum, medium est peccati maledictio, finis ipsa poena aeterna: *Ibunt hi in supplicium aeternum, iusti autem in vitam aeternam.*[24]

Tertium est sententia iudicis, in qua ostenditur principium, medium et finis tum praedestinationis tum reprobationis,

Ostendit autem Dominus quod opera bona necessaria sint ad salutem, cum ob defectum bonorum operum in reprobos fulminet damnationis sententiam: *Esurivi . . . et non dedistis mihi manducare.*[25] Et iusta quidem est damnationis sententia, quoniam cum potuerint una eleemosyna regnum coelorum aeternamque beatitudinem sibi comparare, noluerunt; electi enim eleemosynis coeleste regnum sibi compararunt: *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum . . . Esurivi enim, et dedistis mihi manducare.*[26] Quoniam vero iustum est ut rex iuxta tenorem latae legis iudicet populum, hinc Christus, cum legem caritatis tulerit: *Hoc est praeceptum meum, ut diligatis invicem,*[27] et: *Plenitudo . . . legis est dilectio,*[28] ideo secundum hanc legem iudicat omnesque caritate praeditos salvabit, caritate autem destitutos damnabit.

et necessitas operum caritatis ad salutem;

Caritas autem secum omnes alias virtutes affert; est enim velut

20) Cf. ibid. vr. 7. 21) Cf. Idc 12, 5-6. 22) Mt 25, 34. Vulg.: *Possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi.* 23) Ibid. vr. 41. Vulg.: *Discedite a me, maledicti.* 24) Ibid. vr. 46. 25) Ibid. vr. 42. 26) Ibid. vr. 35. 27) Io 15, 12. 28) Rom 13, 10.

nam secundum legem caritatis Christus iudicabit, quia caritas secum habere debet omnes virtutes.

luna in nocturno coelo quam omnes firmamenti stellae comitantur, neque enim bona opera sine caritate merentur vitam aeternam, nam: *Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, et si tradidero corpus meum ita ut ardeam, caritatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* [29] Caritas est signum *thau,* [30] quo signati sunt omnes electi ab aeterna perditione eripiendi. Sicut autem Nadab et Abiu sacerdotes divino igne consumpti fuerunt, quoniam non sacrum ignem, sed communem et alienum sacro altari adhibuerunt, [31] sic quicunque non divinum in corde, sed mundanum carnalemque habebit amorem, aeterno igni perpetuo cremandus tradetur.

Haec est autem quae nos similes Christo efficit,

Venite, benedicti, etc. Ad recipiendam benedictionem hanc opus est bonis operibus et sanctis virtutibus cum caritate et gratia Spiritus Sancti. Hoc est quod Rebecca induit Iacob *vestibus Esau valde bonis* ipsumque similem fratri maiori fecit cibosque dedit in manibus ipsius, quibus libenter pater vescebatur, et sic paternam benedictionem accepit. [32] Sic nobis necessarii sunt habitus virtutum, quibus Christo similes efficimur: *Quos praescivit et praedestinavit conformes fieri imagini Filii sui,* [33] et sancta opera, [34] quibus Deus libenter vescitur et delectatur.

qui sicut exemplar nostrum nunc est, ita iudex noster in fine erit.

Mirabile dictu est quod in libro *Iosue* legimus. Cum enim Iosue, congregato universo populo, divinae legis mandata ei proposuisset iurassetque populus se ea servaturum Dominoque serviturum, dimisso idolorum cultu, *scripsit* Iosue *omnia . . . haec in volumine legis Domini accepitque lapidem praegrandem et posuit eum subter quercum, quae erat iuxta sanctuarium Domini, et dixit . . .: En lapis iste erit vobis in testimonium,* eo *quod audierit* is *omnia verba Domini, quae locutus est vobis, ne forte postea negare velitis et mentiri Domino Deo vestro.* [35] Quisnam, quaeso, lapis est iste praegrandis positus iuxta sanctuarium Domini in testimonium contra universos divinae legis transgressores? *Petra autem erat Christus,* [36] *lapis offensionis et petra scandali,* [37] lapis, qui percussit statuam et factus est mons magnus. [38] Est autem Christus divina praeditus sanctitate, hinc positus est iuxta sanctuarium

29) 1 Cor 13, 3. 30) Cf. Ez 9, 4-6. 31) Cf. Lv 10, 1-2. 32) Cf. Gn 27, 5-29. 33) Rom 8, 29. Vulg.: *Imaginis Filii sui.* 34) Ms.: *Et sanctis operibus.* 35) 24, 26-27. Vulg.: *Et tulit lapidem pergrandem posuitque . . . in sanctuario Domini,* etc. 36) 1 Cor 10, 4. 37) 1 Petr 2, 8. 38) Cf. Dn 2, 35.

Domini, *constitutus est* autem *a Deo iudex vivorum et mortuorum,* [39] quoniam ipse audivit omnia verba quae locutus est Dominus. [40]

IV. Tunc *congregabuntur ante eum omnes gentes.* Omne hominum genus, omnes penitus homines, tum fideles tum infideles, venient ad iudicium. Sed quinam proprie iudicabuntur ? Dominus ait quod *qui credit ... non iudicatur; qui autem non credit, iam iudicatus est.* [41] Quinam ergo erunt qui iudicabuntur, cum omnes homines vel credentes sint vel non credentes ? Sed sicut inter extrema dantur media, inter coelum et terram aer et aqua, inter album et nigrum medii colores, inter calidum et frigidum quae tepida sunt ; ita inter perfectam omnino virtutem in supremo perfectionis gradu, et inter vitium a virtute omnino distans datur medium, veluti inter diem et noctem datur mane et vesperum. Qui omnino perfectae virtutis fuerint ut Apostoli, non iudicabuntur, sed iudicabunt ; [42] hi nanque cum Christo agno innocentissimo per gratiae Spiritus Sancti plenitudinem ac redundantiam agni facti sunt, divina quadam innocentia donati, veluti Angeli Dei in carne, quorum conversatio in coelis fuit ; [43] hoc est quod ait : *Qui credit ... non iudicatur, qui credit* perfecta fide, *quae per dilectionem operatur;* [44] *qui autem non credit,* qui destitutus est fide, quae omnium virtutum basis et fundamentum est, hic *iam iudicatus est.* Inter vivam autem perfectamque fidem, quae secum habet omnem virtutum chorum, et infidelitatem, quae veluti nox profundissima et obscurissima est, media est fides mortua, caritate destituta, [45] et hi iudicabuntur.

Omnes ad tribunal Christi congregabuntur, sed non omnes iudicabuntur,

nam electi cum Christo iudicabunt, infideles autem iam iudicati sunt;

Hinc sequitur ibi Christus : *Hoc est autem iudicium : quia lux venit in mundum, et dilexerunt homines magis tenebras quam lucem.* [46] Vix reperitur qui fidem quamvis mortuam [non] habeat, qui non diligat Deum, non diligat Christum, non diligat virtutem. Sed *hoc est iudicium : quia ... magis dilexerunt ... tenebras* creaturarum et vitiorum, *quam lucem* Dei et splendorem virtutum. Hi igitur iudicabuntur et damnabuntur, illi vero qui magis lucem quam tenebras dilexerunt, Deum quam creaturas et spiritum magis quam carnem,

sed iudicabuntur qui fidem mortuam, sine vera caritate habuerint.

39) Act 10, 42. 40) Cf. Io 1, 18; 15, 15. 41) Ibid. 3, 18. 42) Cf. Mt 19, 28; Lc 22, 30. 43) Cf. Phil 3, 20. 44) Gal 5, 6. Vulg.: *Per caritatem operatur.* 45) Iac 2, 14 sqq. 46) Io 3, 19.

hi iudicabuntur et salvabuntur. Hoc est quod Christus hodie ait: *Venite, benedicti*, etc., quia *esurivi*, etc.; eleemosyna enim ostendit quod Deum magis dilexerunt quam mammonam; e contra, vero reprobi: *Ite, maledicti*, etc., quia *esurivi;* hinc enim ostenditur quod mammonam magis dilexerunt quam Deum, sic *magis dilexerunt tenebras quam lucem.*

In quattuor nominibus quibus iudex appellatur, assignantur causae salutis electorum et damnationis reproborum;

V. *Cum venerit Filius hominis.* Quattuor nominibus hodie appellatur: *Filius hominis, rex, pastor* et *frater noster*, et in eis quattuor assignantur causae salutis electorum et damnationis reproborum. *Filius hominis* dicitur Christus ob humilitatem, quia, *cum in forma Dei esset*, aequalis Dei, *exinanivit semetipsum formam servi accipiens*, [47] assumendo humanam naturam. Dicitur autem non homo, sed *Filius hominis.* Filius autem subiectus est patri, homo est homini subditus, hominis suapte natura servus; hinc ait quod *formam servi* accepit; hinc nonnisi humiles salvabuntur, nam: *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam*, [48] humiles spiritu salvabuntur. [49] Videtur Scriptura assignare discrimen quoddam inter homines et filios hominum: *Homines et iumenta salvabis, Domine; quemadmodum multiplicasti misericordiam tuam, Deus; filii autem hominum in tegmine alarum tuarum sperabunt; inebriabuntur ab ubertate domus tuae, et torrente voluptatis tuae potabis eos, quoniam apud te est fons vitae et in lumine tuo videbimus lumen.* [50] Homines, qui gerunt imaginem Adami peccatoris, qui *cum in honore esset non intellexit* et iumentis similis factus est [51] tanquam alter rex Babylonis, [52] salvabis quandiu hic mundus duraverit salute iumentorum, salute tantum corporea, et hoc ex misericordia tua; sed filios hominum, quos tibi in filios adoptasti, constitues heredes hereditatis tuae gloriaque et felicitate aeterna afficies. Rex autem fideles servos suos legumque suarum servatores tuetur ab hostibus et honoribus ac beneficiis afficit; infideles vero, rebelles, contumaces legumque violatores punit. Sic Christus hodie. Pastor autem gregum curam gerit eosque pascit et multa pro gregis salute agit et patitur. Hinc Christus dicitur *pastor*

dicitur enim *Filius hominis* ad ostendendum quod humiles salvabuntur, non superbi;

dicitur *rex*, quia fideles salvabuntur, non rebelles;

47) Phil 2, 6-7. Vulg.: *Semetipsum exinanivit*, etc. 48) Iac 4, 6. 49) Ps 33, 19.
50) Ps 35, 8-10. 51) Ps 48, 13. 21. 52) Cf. Dn 4, 30.

ad designandum etiam quod, sicut pastor errare non potest in secernendo oves ab haedis, quoniam certissime novit differentiam quae est inter oves et haedos, sic Christus errare non potest in cognitione electorum et reproborum. Salvat autem electos, quoniam oves sunt, quae pastori agnos pepererunt, lanam lacque dederunt, grati Deo fuerunt de acceptis beneficiis ; reprobos vero tanquam ingratos damnat, haedus enim pastori nihil rependit pro acceptis beneficiis. Tandem Christus *frater noster* dicitur, et haec quarta causa est salutis et perditionis. Electi enim salvantur, quoniam cognoverunt se fratres Christi et filios Dei, ideo super omnia studuerunt vitam agere filiorum Dei, ut tandem hereditatem regni coelestis consequi mererentur ; reprobi [53] vero respuerunt hereditatem hanc et voluerunt potius filii huius saeculi et diaboli imitatores esse quam Dei, propterea cum diabolo damnantur.

pastor, quia salvabuntur qui acceptis beneficiis grato animo responderunt, non ingrati;

Frater noster, quia veri filii Dei et imitatores Christi salvabuntur, non autem imitatores diaboli.

VI. Regius Vates hac tantum iudicii ratione voluit avertere omnes peccatores ab iniquitate dicens : *Dixi iniquis : Nolite inique agere, et delinquentibus : Nolite exaltare cornu . . . quoniam Deus iudex est*, propterea non erit evasio *neque ab oriente neque ab occidente neque a desertis montibus*, [54] quoniam Deus ubique et semper est omnipotens et omnia sciens ; *hunc humiliat et hunc exaltat, quia calix in manu Domini vini meri plenus mixto ; et inclinavit ex hoc in hoc . . . bibent omnes peccatores terrae.* [55] Sic hodie videmus humiliatos et exaltatos a Christo, et omnes peccatores bibere de calice furoris irae Dei : [56] *Ite, maledicti, in ignen aeternum.* Hac, inquam, tantum ratione existimavit Divus Vates posse ab iniquitate omnes peccatores avertere; nam ubi nullus est metus iustitiae, ibi facile scelera perpetrantur, metus autem iustitiae aqua est ignem iniquitatis extinguens, et sicut non potest accendi ignis in aqua vel in ligno madefacto vel natante in aqua, ita non perpetratur malum ab eo qui magno iustitiae timore affectus est.

Solus timor divini iudicii potest a peccatis animas avertere.

Timor autem iustitiae ex tribus oriri solet : a iudice, a tribunali et a ministris iustitiae. A iudice, cum est sapiens ut decipi non possit,

Ex tribus oritur timor iustitiae:

53) Ms.: *Electi*, loco: *Reprobi*. 54) Ps 74, 5-7. Ordine inverso affert hos vrr.
55) Ibid. vrr. 8-9. 56) Cf. Apc 16, 19.

a iudice, a tribunali, a ministris.

rectus et iustus ut non possit precibus flecti vel muneribus corrumpi, severus ob nimium odium iniquitatis, et supremam habet auctoritatem ita ut non detur appellatio. A tribunali iustitiae ubi in conspectu multorum legitur processus et fertur sententia maxima cum rei confusione. A ministris, cum fideles sunt ad exequenda iudicis mandata.

Ex his tribus tremendum erit divinum iudicium,

Ecce tria haec hodie : *Cum venerit Filius hominis :* hic est iudex; *Et omnes Angeli* eius *cum eo :* hi sunt ministri fidelissimi, optimi et integerrimi; *Tunc sedebit super sedem maiestatis suae :* hoc est tribunal. At sunt tria haec maxima ; ex his ergo necesse est ut maximus oriatur timor qui manus ligat ut non possint malum agere, imo crucifigit manus et pedes : *Confige timore tuo carnes meas, a mandatis enim tuis timui.* [57]

et eo magis quia iudex omnia cognoscet, nec flecti poterit precibus aut muneribus corrumpi.

Quisquis autem in regem peccat, necesse est ut cogitet vel quod latebit regem ipsius peccatum, vel quod effugere poterit regem, vel quod muneribus, donis favoribusque magnatum poterit impedire iustitiam et poenas effugere. At si tu credis, homo, quod Deus omnia novit, omnia potest ubique et semper, nec flecti precibus, nec corrumpi muneribus potest, quomodo peccas ? Quomodo audes manus extendere ad iniquitatem ? Ubi est timor divini iudicii ?

Salutarem hunc timorem divini iudicii etiam Divus Ioannes ostendit.

Sicut autem Regio Vati sola iudicii ratio sufficiens visa est ad cohibendam omnem iniquitatem, ita etiam in *Apocalypsi* 14 legimus quod Angelus, qui habebat Evangelium aeternum et praedicabat gentibus, nullam aliam adduxit rationem : *Vidi,* inquit, *Angelum volantem per medium coeli, habentem Evangelium aeternum, ut evangelizaret sedentibus super terram et super omnem gentem et tribum et linguam et populum . . . : Timete Dominum et date illi honorem, quia venit hora iudicii eius.* [58] Quodnam autem sit hoc iudicium statim alius Angelus dixit : *Cecidit, cecidit Babylon illa magna !* [59] Quod capite 18 magis declaratur, ubi dicitur quod Angelus sustulit *lapidem magnum quasi molarem et misit in mare* ac dixit : *Hoc impetu mittetur Babylon, civitas illa magna, et ultra . . . non invenietur.* [60] Vide ergo, frater, ne sis civis Babylonis, vide ut sis civis Ierusalem,

57) Ps 118, 120. Vulg.: *A iudiciis enim,* etc. 58) Vrr. 6-7. 59) Ibid. vr. 8.
60) Vr. 21. Vulg.: *Lapidem quasi molarem magnum,* etc.

ut sis pius cultor Dei : *Timete Dominum et date illi honorem, quia venit hora iudicii eius, timete Dominum.*

qua propter Christus de eo saepe locutus est.

Propterea Christus saepe de divino iudicio verba fecit, [61] ut eo concipientes timorem abstineamus a malo, quemadmodum Deus iussit Ieremiae ut scriberet in libro omnia mala, quae comminatus fuerat contra Israel, et librum legeret coram universo populo : *Si forte*, inquit, *audiente domo Iuda universa mala quae ego cogito facere eis, revertatur unusquisque a via sua pessima, et propitius ero iniquitati et peccato eorum.* [62] Sed secus accidit ; audivit enim universus populus divinas illas comminationes et nihil motus fuit, audierunt principes et obstupuerunt ; audire voluit etiam rex, sed cum lectae fuissent coram eo tres vel quattuor pagellae, accepit librum et misit in ignem, quoniam impius erat idololatra et in Deum minime rectam fidem habebat. [63] Ita nunc accidit : infideles spernunt Divinas Scripturas, qui autem credunt, vel nihil penitus moventur vel tantum mirantur et stupent ; vix autem reperitur qui divino timore concussus mutet vitam in melius. Sciendum vero quod nihil profuit regi Ioachim librum in ignem proicere quoniam non credebat, siquidem acciderunt ei omnia mala, quae scripta ibi erant, propterea quod poenitentiam agere noluit. [64] Neque homines tempore Noe credebant quod venturum esset diluvium, [65] nec Sodomaei et Gomorrhaei quod descensurus erat ignis. [66] Sic multi iudicium negant. Sed nihil prodest incredulitas ; sicut fuit diluvium et incendium, sic erit iudicium ignis diluvium.

Multi vel spernunt vel audire nolunt, sed nihil incredulitas proderit.

Malachias etiam iudicii diem describit, in quo reprobi ad aeternas poenas mittentur.

VII. *Cum venerit Filius hominis*, etc. Diem adventus huius describit Malachias dicens : *Ecce enim dies veniet succensa quasi caminus, et erunt omnes superbi et omnes facientes impietatem stipula, et inflammabit eos dies veniens, dicit Dominus exercituum, quae non relinquet eis radicem et germen ; et orietur vobis timentibus nomen meum sol iustitiae et sanitas in pennis eius, et egrediemini et salietis sicut vituli de armento.* [67] Ignis, inquit, comburet impios et non relinquet radicem, nulla erit spes salutis, sicut cum arboris radix

61) Cf. Mt 10, 15; 11, 22; 12, 36. 41-42; 19, 28; 24, 1-25, 1 sqq.; 26, 64. 62) 36, 1-3. 63) Cf. ibid. vrr. 9-23. 64) Cf. ibid. vrr. 29-31. 65) Cf. Mt 24, 37-39; 1 Petr 3, 20. 66) Cf. Gn 19, 14. 67) 4, 1-2. Vulg.: *Quae non derelinquet*, etc.

et iusti ad aeternam gloriam vocabuntur.

fuerit combusta, nulla potest esse spes ut iterum germinet. Radix arboris Nabuchodonosor relicta fuit in terra et iterum germinavit, quoniam restitutus fuit in pristinum statum post septem annos afflictionis. [68] At non sic erit tunc. Iustis autem orietur *sol iustitiae;* transacta nocte omnium tribulationum, laetificabit omnes iustos, illustrabit eos lumine gloriae, manifestabit mundo eorum iustitiam : *Esurivi... et dedistis mihi manducare,* etc.

Eadem docet Divus Paulus multas causas damnationis assignans.

D i v u s P a u l u s eadem cum M a l a c h i a docet : *Scimus* autem *quoniam iudicium Dei est secundum veritatem, in eos qui talia agunt. Existimas autem..., o homo, qui iudicas eos qui talia agunt et facis ea, quia tu effugies iudicium Dei? An divitias bonitatis eius et patientiae et longanimitatis contemnis, ignorans quod benignitas Dei ad poenitentiam te adducit? Secundum autem duritiam tuam et impoenitens cor* tuum *thesaurizas tibi iram in die irae et revelationis iusti iudicii Dei, qui reddet unicuique secundum opera sua, iis quidem qui... gloriam et honorem et incorruptionem quaerunt, vitam aeternam; iis autem, qui sunt ex contentione et qui non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati, ira et indignatio. Tribulatio et angustia in omnem animam hominis operantis malum...; gloria autem et honor et pax omni operanti bonum.* [69] Assignat autem P a u l u s hoc loco multas causas damnationis : primo, quia ex certa scientia faciunt malum, quod sciunt malum esse et iudicant, idest condemnant talia facientes; secundo, ex contemptu divinae misericordiae; tertio, ob impoenitentiam et duritiam cordis. Hae autem sunt tres praecipue damnationis perditionisque aeternae causae.

Adhuc ostenditur iudicii divini terribilis apparatus,

VIII. *Cum venerit,* etc. Veniet Christus *in maiestate sua,* nam : *Dominus regnavit, decorem induit, induit Dominus fortitudinem et praecinxit se; etenim firmabit orbem qui non commovebitur;* [70] nam in die iudicii renovabitur mundus, ac *tunc sedebit super sedem maiestatis suae: Parata sedes tua,* Deus, *ex tunc, a saeculo tu es.* [71] Statuet electos a dextris et reprobos a sinistris. Aquae multae populi multi : [72] *Elevaverunt flumina, Domine, elevaverunt flumina vocem suam :* [73] *Domine,*

68) Cf. Dn 4, 31-33. 69) Rom 2, 2-10. Vulg : *Secundum opera eius.* Sic legitur in veteribus editionibus Vulg., cf. *Biblia Lovaniensis.* In posterioribus autem, iussu Clementis VIII recognitis, emendatum fuit : *Ignoras quod benignitas,* etc. 70) Ps 92 (hebr. 93), 1. Ex hebraico. 71) Ibid. vr. 2. 72) Cf. supra, sabbato post Cineres, not. 64, pag. 212. 73) Ps 92, 3.

quando te vidimus, etc. Sed alia flumina a sinistris *elevaverunt... fluctus suos* [74] superbe Christo respondentes. Super omnia autem tunc terribilis Christus erit: *A vocibus aquarum multarum mirabiles elationes maris*, hoc est terribiles, novit navis Ionae in maxima tempestate; [75] at vero multo magis *mirabilis*, idest terribilis, *in altis Dominus.* [76] Ex hoc autem iudicio constat quod: *Testimonia tua,* Domine, *credibilia,* sive firma, *facta sunt nimis, testimonia* autem dicuntur praecepta, quae divinam voluntatem testantur, *domum tuam decet sanctitudo... in longitudinem dierum.* [77] Semper sancte, pie et iuste oportet vivere, *expectantes beatam spem et adventum gloriae magni Dei.* [78]

de quo etiam Regius Vates loquitur Ps 96,

Regius Vates exultandum iubet in die iudicii: *Dominus regnavit, exultet terra, laetentur insulae multae.* [79] Loquitur autem de die iudicii, nam sequitur: *Nubes et caligo in circuitu eius,* quia in nubibus coeli Dominus veniet, [80] *iustitia et iudicium correctio,* sive firmitas, *sedis eius,* [81] *sedebit* enim *super sedem maiestatis suae; Ignis ante ipsum praecedet et inflammabit in circuitu inimicos eius:* [82] ecce ignis conflagrationis: *Illuxerunt fulgura eius orbi terrae, vidit et commota est terra,* [83] sicut cum venit ad dandam legem. [84] Et amplius: *Montes sicut cera fluxerunt a facie* eius, *a facie* eius *omnis terra.* [85] Per *montes* intelliguntur superbi et elati in Deum: *Exurgat Deus et dissipentur inimici eius, et fugiant qui oderunt eum a facie eius; sicut deficit fumus, deficiant; sicut fluit cera a facie ignis, sic pereant peccatores a facie Dei.* [86] Hinc sequitur: *Annunciaverunt coeli iustitiam eius,* [87] nam *sol obscurabitur... et virtutes coelorum movebuntur,* [88] *et viderunt omnes populi gloriam eius,* [89] *congregabuntur* enim *ante eum omnes gentes. Confundantur,* vel confundentur, *omnes qui adorant sculptilia et qui gloriantur in simulacris suis. Adorate eum omnes Angeli eius,* nam *omnes Angeli* eius *cum eo, audivit et laetata est Sion, et exultaverunt filiae Iudae propter iudicia tua, Domine; quoniam tu Dominus altissimus super omnem terram, nimis exaltatus*

describens iudicis maiestatem,

iustorum exultationem et impiorum confusionem;

74) Ibid. vr. 4. 75) Cf. Ion 1, 4. 76) Ps 92 (hebr. 93), 4-5. Habetur differentia interpunctionis horum vrr. inter Vulgatam et Versionem Hebraicam, quam sequitur hic S. Auctor. 77) Ibid. vr. 5. 78) Tit 2, 13. 79) Ps 96, 1. 80) Cf. Mt 24, 30; 26, 64; Mc 13, 26; 14, 62; Lc 21, 27. 81) Ps 96, 2. 82) Ibid. vr. 3. 83) Ibid. vr. 4. 84) Cf. Ex 19, 16-19. 85) Ps 96, 5. 86) Ps 67, 2-3. 87) Ps 96, 6. 88) Mt 24, 29. Vulg.: *Commovebuntur.* 89) Ps 96, 6.

es super omnes deos. [90] *Laetabitur iustus cum viderit vindictam,* [91] laetabitur propter gloriam Dei, Christi et Sanctorum.

Sic debet quisque vivere, ut ex testimonio conscientiae suae expectet potius et desideret diem iudicii cum gaudio et laetitia, quam timeat et formidet. Hinc Dominus, cum loqueretur de signis praecedentibus iudicium, dixit quod arescent homines *prae timore et expectatione quae superveniet universo orbi;* [92] sed fidelibus suis dixit: *His autem fieri incipientibus, respicite et levate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra.* [93] Erit dies iudicii iustis laetissimum ac iucundissimum spectaculum, erit dies infinitae exultationis et gloriae; sed non sic impiis.

Alibi quoque de eodem mysterio idem Vates loquitur dicens: *Deus deorum Dominus locutus est et vocavit terram* per resurrectionem mortuorum; *A solis ortu usque ad occasum,* ab omnibus orbis partibus, *ex Sion,* e loco excelso, *species decoris eius; Deus manifeste veniet,* hebraice: *Perfecti decoris Deus splendebit,* quoniam Christus erit sole splendidior; veniet *Deus noster et non silebit,* sicut nunc silet omnesque pro libitu vivere sinit; *Ignis in conspectu eius exardescet et in circuitu eius tempestas valida,* haec enim praecedent adventum iudicis; *Advocabit coelum desursum,* omnes Angelos, *et terram,* omnes homines, *discernere,* sive iudicare, *populum suum,* [94] non enim nisi fideles iudicandi sunt, nam: *Qui non credit, iam iudicatus est; Congregate mihi Sanctos meos, qui pepigerunt pactum mecum super sacrificium,* [95] hi enim tantum congregabuntur ad gloriam, qui obedire magis voluerunt quam sacrificare; [96] Saul enim damnatus fuit quia sacrificare potius voluit quam obedire; [97] sic: *Annunciabunt coeli iustitiam eius, quoniam Deus iudex est* [98] iustissimus, qui tunc *faciet iudicium et iustitiam* [99] facturusque est in illa die maximam demonstrationem iustitiae suae: *Annunciabunt coeli iustitiam,* nam alibi ait: *De coelo auditum fecisti iudicium, terra tremuit et quievit, cum exurgeret in iudicium Deus, ut salvos faceret omnes mansuetos terrae.* [100]

sic et iterum Ps 49.

90) Ibid. vrr. 7-9. 91) Ps 57, 11. 92) Lc 21, 26. Vulg.: *Supervenient.* 93) Ibid. vr. 28. 94) Ps 49 (hebr. 50), 1-4. 95) Ibid. vr. 5. Ex hebraico. 96) Cf. 1 Rg 15, 22. 97) Cf. ibid. 13, 8-14. 98) Ps 49, 6. 99) Ier 23, 5. 100) Ps 75, 9-10.

FERIA TERTIA DOMINICAE PRIMAE QUADRAGESIMAE

Naturale est homini desiderium cognoscendi veritatem.

I. Sicut[1] naturale est terrae in mundi centro immobiliter semper quiescere, mari semper fluere atque refluere, aeri semper ventos aurasque spirare, igni calefacere, coelo moveri, astris splendere, lunae noctem illuminare et soli clarum diem efficere; sic proprium est humano intellectui veritatem inquirere ac perscrutari magnoque et vehementi sciendi desiderio teneri, non minus quam oculus videndi pulcra spectacula, auris audiendi suaves harmonias, gustus esuriens et sitiens gustandi dulces cibos et potus, et tactus delectabilia quaeque tangendi. Veritas enim obiectum est intellectus, praecipue vero prima et summa veritas, a qua omnis veritas, sicut a sole omnis lux; hinc omnes animae sanctae cognoscendi Deum summo desiderio flagrant, ac propterea hodie universa civitas Ierusalem, quae Sanctae Ecclesiae hieroglyphicum est, flagrans desiderio cognoscendi Christum interrogat: *Quis est hic? Cum introisset Iesus Ierosolymam, commota est universa civitas dicens: Quis est hic?*[2] Quoniam vero Dei proprium est cibare esurientes et sitientibus potum dare, satisfacit pio huic sanctae civitatis desiderio loquens per os simplicium turbarum, quae, Spiritu Sancto dictante, respondebant dicentes: *Hic est Iesus propheta a Nazareth Galilaeae.*[3] Et ipse Christus verbis factisque mirabilibus ostendit manifestatque seipsum, sicut sol suis

Huic naturali desiderio hodie Christus satisfacit manifestando seipsum, qui suprema veritas est.

1) In margine haec alia introductio adiecta fuit: « Solet admirari mundus non tantum opera naturae: immobilitatem terrae, fluxum et refluxum maris, ventos aeris, lunae eclipsim, solis deliquium, coeli motum; sed etiam opera artis, unde apud profanos auctores legimus septem miracula mundi; Dei vero opera nec admiratur nec cognoscit. Sed non sic Dei et Christi fideles; hi solum Dei Christique opera admirantur. Hinc Ierusalem hodie Christum admiratur: *Commota est universa civitas dicens: Quis est hic?* » 2) Mt 21, 10. Vulg.: *Cum intrasset*, etc. 3) Ibid. vr. 11.

radiis ignisque suo calore, quoniam Dei Christique cognitio necessaria est ad salutem.

Cum introisset Iesus Ierosolymam, commota est universa civitas dicens : Quis est hic ? Populi autem dicebant : Hic est Iesus propheta, etc. [4]

Vere admirabilis hodie Christus revelatur.

II. Sicut filii Israel in deserto videntes manna, quod illis Deus pluerat de coelo, pleni admiratione atque stupore dixerunt : *Manhu? . . . quid est hoc* ? Moyses autem respondit dicens : *Hic est panis quem dedit vobis Dominus ad vescendum ;* [5] sic hodie universa civitas Ierusalem videns Christum commovetur dicens: *Quis est hic? Populi autem dicebant : Hic est Iesus propheta a Nazareth Galilaeae.* Est Christus suapte natura magnum miraculum. Hinc Isaias ait : *Vocabitur nomen eius admirabilis,* פֶּלֶא, [6] *miraculum,* sicut Angelus, qui parentibus Samsonis apparuit, *admirabilis* appellabatur. [7] Est Christus admirabilis ille rubus Moysi ardens incombustus, unde admiratione plenus Moyses ait : *Ibo et videbo visionem hanc magnam, quare non comburatur rubus.* [8] Sed abiens in rubo Deum invenit. Sic Christus rubus est, natus ex terra inculta, ex Maria Virgine, [9] sed plenus coelesti igne : *Deus noster ignis consumens est.* [10]

In universo tria sunt mirabilia: Deus, mundus et homo,

In universo tria sunt mirabilia : Deus mundus maximus, homo mundus parvus et natura universalis, mundus iste magnus, [11] quae forte in visione Ezechielis designata sunt. Vidit enim animal habens faciem hominis, leonis, vituli et aquilae : [12] hic homo est, qui universi ἀνακεφαλαίωσις [13] et compendium est ; vidit opus rotarum, quae oculis plenae erant, et quasi *rota in medio rotae :* [14] hic mundus magnus est plenus oculis, coelestibus astris, constans ex rotis sphaerarum elementalium et coelestium ; sed supra animalia et rotas Deum vidit sedentem in solio sapphirino supra firmamentum : [15] hic mundus est maximus.

4) Pericope huius diei Mt 21, 10-17. Cf. Missale Rom. Vulg.: *Cum intrasset*, etc. 5) Ex 16, 15, Vulg.: *Iste est panis quem Dominus dedit*, etc. 6) 9, 6. Ms.: פלא. 7) Cf. Idc 13, 18. 8) Ex 3, 3. Vulg.: *Vadam et videbo*, etc. 9) Cf. Mt 1, 16-25; Lc 1, 26-38; 2, 1-7. 10) Dt 4, 24; Hebr 12, 29. 11) Cf. supra, Feria praec., hom. tertia, not. 13, pag. 282. 12) Cf. 1, 10-21. 13) Ms.: *Anachephaleosis.* 14) Cf. Ez 1, 15-18. 15) Cf. ibid. vr. 2.

Tria haec Regius Vates admirans complectebatur: Deum mundum maximum: *Domine, Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra! quoniam elevata est magnificentia tua super coelos;* [16] naturam universalem mundum magnum: *Quoniam videbo coelos tuos, opera digitorum tuorum, lunam et stellas quae tu fundasti;* [17] et tandem hominem mundum parvum: *Quid est homo quod memor es eius? aut filius hominis quoniam visitas eum? Minuisti eum paulo minus ab Angelis, gloria et honore coronasti eum, et constituisti eum super opera manuum tuarum; omnia subiecisti sub pedibus eius.* [18]

quae etiam Regius Vates admirabatur.

Christus autem in se uno omnium horum trium mundorum mirabilia complectitur, quoniam Deus et homo est; homo mirabilis, simul complectens omnes quattuor naturae status: innocentiae, poenae, gratiae et gloriae, iuxta quattuor ipsius mirabilia mysteria, quae Sapiens admiratur: *Tria mihi difficilia sunt et quartum penitus ignoro: viam aquilae in coelo, viam colubri super petram, viam navis in medio mari et viam viri in virgine,* [19] mysterium nativitatis, passionis, resurrectionis et ascensionis; homo mirabilis natura, gratia, gloria et divinitate: *In quo inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter;* [20] homo mirabilis in essentia, in virtute, operatione: in essentia, Deus et homo; in virtute, omni praeditus virtute, divina, angelica, coelesti, humana; operatione tum humana tum divina.

Sed Christus in se omnia mirabilia haec complectitur, quia Deus et homo est,

vere mirabilis in essentia, in virtute et operatione,

Hinc hodie tanquam homo intrat in templum Domini ad Patrem adorandum et zelo divini honoris commotus eiecit de templo *omnes vendentes et ementes;* [21] solus unus ipse *omnes vendentes et ementes,* mirabile dictu! sicut Samson solus mille occidit Philisthaeos, [22] sicut solus Ionathas cum suo armigero innumerabilem aggressus fuit Philisthaeorum exercitum et in fugam convertit, [23] sicut solus Moyses universum populum adorantem vitulum aureum ab impietate compescuit atque punivit, confracto vitulo in pulveremque redacto; [24] et tandem sicut Deus illuminavit hodie caecos et sanavit claudos: *Accesserunt,* inquit, *ad eum caeci et claudi ... et sanavit eos;* [25] multa

ideo sua potentia hodie omnes eicit de templo et sua virtute infirmos sanat.

16) Ps 8, 2. 17) Ibid. vr. 4. 18) Ibid. vrr. 5-8. 19) Prv 30, 18-19. Ex hebraico. 20) Col 2, 9. Vulg.: *In ipso habitat,* etc. 21) Mt 21, 12. 22) Cf. Idc 15, 15-16. 23) Cf. 1 Rg 14, 1-24. 24) Cf. Ex 32, 19-28. 25) Mt 21, 14.

fuit miracula operatus tanquam verus Deus auctor naturae, fons gratiae, pater et origo gloriae, sol paradisi: *Manhu?... quid est hoc? Quis est hic? Hic est panis quem dedit vobis Dominus ad vescendum. Ego sum panis vivus, qui de coelo descendi, si quis manducaverit ex hoc pane vivet in aeternum;*[26] *Hic est Iesus propheta a Nazareth Galilaeae.* O felices qui Christum cognoscere satagunt!

Christus, verus Deus cum sit, perfecte a nobis cognosci non potest,

III. Nam et si perfecte cognosci non potest nisi a seipso, sicut verus Deus, qui propterea dicitur *templum paradisi: Templum,* inquit Ioannes, *in ea non vidi, templum enim ipsius Dominus Deus est et agnus,*[27] – dicitur Deus templum suiipsius, quoniam solus ipse seipsum comprehendit et capit: Quem *coelum et coeli coelorum... capere non possunt;*[28] *Fimbriae eius, ea quae sub ipso erant, replebant templum,*[29] – cognitio tamen ipsius vitam felicitatemque aeternam affert: *In ipso vita erat, et vita erat lux hominum;*[30] *Haec est... vita aeterna, ut cognoscant te... Deum verum et quem misisti Iesum Christum.*[31]

sed tantum imperfecte;

Moyses quidem quaesivit videre faciem et gloriam Dei, id super omnia petens a Deo;[32] quamvis autem dictum sit ei: *Non poteris videre faciem meam, non enim videbit me homo et vivet,*[33] tamen ait: *Ego ostendam tibi omne bonum,*[34] *posteriora mea videbis.*[35] Videre posteriora Dei in hac vita id est cognitio Dei, quae in hac vita perfecta esse non potest: *Videmus nunc per speculum in aenigmate..., nunc cognosco ex parte..., cum... venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est;*[36] et homo quidem, si nonnisi a tergo videtur, imperfecte admodum cognoscitur, a facie enim cognoscitur homo;[37] sic, inquam, imperfecta ista cognitio Dei affert omne bonum, quia causa est vitae aeternae: *Haec est... vita aeterna: ut cognoscant te... Deum.* Sufficit ut cognoscamus hic Deum esse auctorem, creatorem et gubernatorem mundi, ipsum esse fontem misericordiae et gratiae, iustum iudicem summe odientem omne peccatum et

at cognitio haec, licet imperfecta, vera vita est;

26) Io 6, 51-52. 27) Apc 21, 22. Vulg.: *Templum non vidi in ea, Dominus enim Deus omnipotens templum illius est.* 28) 3 Rg 8, 27. 29) Is 6, 1. Ex hebraico. 30) Io 1, 4. 31) Ibid. 17, 3. 32) Cf. Ex 33, 13-18. 33) Ibid. vr. 20. 34) Ibid. vr. 19. Vulg.: *Omne bonum tibi.* 35) Ibid. vr. 23. Vulg.: *Videbis posteriora mea.* 36) 1 Cor 13, 10-12. Ordine inverso affert hos vrr. 37) Cf. Eccli 19, 26.

omnem iniquitatem, esse dominum universi, esse regem gloriae paradisi.

Et Christus quidem hodie tanquam rex ingressus Ierosolymam fuit: *Rex... iustus et salvator:*[38] *iustus*, odio habens peccatum, unde eicit de templo impios mercatores; et *salvator*, unde: *Accesserunt ad eum caeci et claudi... et sanavit eos.* Sufficit cognoscere quod Christus est *Iesus propheta a Nazareth Galilaeae, Iesus* s a l v a t o r: *Ipse... salvum faciet populum suum a peccatis eorum*,[39] salvator, largitor vitae aeternae. Sed salvator iste est *propheta*, cui credendum est sicut Moysi, cuius servanda lex est; est rex gloriae, sed etiam fons gratiae: *Gratiam et gloriam dabit Dominus*,[40] sed non dat gloriam nisi quibus prius gratiam dedit. *Iesus propheta a Nazareth* f l o r i d u s, flos ille super quem requievit Spiritus Sanctus, *spiritus sapientiae et intellectus*,[41] *omnis plenitudo divinitatis;* et tandem *a Galilaea*, a c i r c u l a t i o n e, a revolutione; coelum vera est Galilaea, Christus homo coelestis,[42] qui de coelo descendit, qui rex est paradisi.

sufficit enim cognoscere eum esse verum Deum salvatorem, regem gloriae et fontem gratiae, sicut hodie vere ostenditur verbis et factis.

IV. *Cum introisset Iesus Ierosolymam, commota est universa civitas dicens: Quis est hic?* Sicut Moyses videns rubum ardentem et manentem incombustum mirabatur vehementer – et merito, erant enim simul combustivum et combustibile et non fiebat combustio: Quid est hoc? dicebat intra se: vel est ignis, vel non est ignis; si est ignis, quomodo non comburit? si non est ignis, quomodo ardet et splendet? – sic hodie universa civitas Ierusalem merito miratur. Videt Christum intrantem in Ierusalem cum gloria et triumpho summi regis, audit populos omnes et praecedentes et sequentes Christum clamantes cum ramis olivarum et palmis: *Hosanna! Benedictus qui venit in nomine Domini, rex Israel!*[43] Et tamen videt Christum pauperem, sedentem super asinum; hinc, inquam, merito miratur dicens: *Quis est hic?* Vel hic est rex, vel non est rex; si non est rex, quomodo cum gloria et triumpho regali ingreditur regiam civitatem acclamatus a populis rex? si est rex, quomodo pauper est sedens super asinum, absque ulla regali pompa?

Ierusalem miratur videns Christum pauperem, super asinam sedentem,

et tamen tanquam regem gloriosum civitatem ingredientem;

38) Zach 9, 9. 39) Mt 1, 21. 40) Ps 83, 21. 41) Is 11 2, 42) Cf. 1 Cor 15, 47. 43) Mt 21, 6-9; Io 12, 13.

sed Christus rex vere est, quia ditissimus bonis coelestibus,

Sic Zacharias ait: *Ecce rex tuus venit tibi iustus et salvator, ipse pauper... sedens super asinum filium subiugalis.* [44] *Rex et pauper.* Hoc quidem summa admiratione in Christo dignum est, quod ditissimus simul et pauperrimus esse voluit: bonis quidem spiritualibus, coelestibus et divinis ditissimus, bonis autem carnalibus, terrenis et mundanis pauperrimus. Propter copiam primorum bonorum dicitur *rex iustus et salvator:* ecce divitiae; propter inopiam vero posteriorum dicitur *pauper.* Hinc sponsa in *Canticis* interrogata qualis esset suus dilectus, respondit: *Dilectus meus candidus et rubicundus, electus ex millibus; caput eius aurum optimum et capilli capitis eius crispi, nigri sicut corvus;* [45] nigredo autem privatio est. Christus igitur interius *aurum optimum,* ditissimus, sed exterius *niger,* pauperrimus. Sic erat tabernaculum Domini: intus totum auro splendebat, [46] foris autem opertum erat pellibus mortuorum animalium; [47] sic Adam creatus fuit a Deo indutus interius veste innocentiae, exterius vero nudus. [48] Haec est varietas virgarum Iacob, quas ante oves proponebat, ut oves varios agnos parerent. [49] *Inspice,* homo, *et fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est.* [50] O summa Christi paupertas! *Vulpes foveas habent et volucres coeli nidos, Filius autem hominis non habet ubi caput* suum *reclinet.* [51]

quamvis pauper, quia destitutus terrenis.

Talis autem esse voluit ad nostrum exemplum, quia amor divitiarum ad interitum ducit,

V. Sed ut quid putatis, fratres, Christum voluisse in mundo pauperrimum esse? Num timebat se divitiarum amore peccare posse, sicut Adam, [52] Saul, [53] David, [54] Salomon? [55] Non utique, quia ipse nullo modo peccare poterat, sed ad nostrum exemplum, sciens quod avaritia perniciosissimum malum est, quod amor divitiarum hominem in interitum ducit; nam: *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem et in laqueum diaboli et* in *desideria... inutilia et nociva, quae mergunt homines in interitum et perditionem; radix enim omnium malorum est cupiditas.* [56]

Quod si contemptus terrenarum divitiarum ad salutem necessarius non est, ut quid Christus pauperem vitam ducere voluit, pauper

44) 9, 9. Ex Mt 21, 5. Vulg.: *Super asinum et pullum filium*, etc. 45) 5, 10-11. Ex hebraico. 46) Cf. Ex 25, 1 sqq.; 37, 1 sqq. 47) Cf. ibid. 36, 19; 39, 33. 48) Cf. Gn 2, 25. 49) Cf. ibid. 30, 37-42. 50) Ex 25, 40. 51) Mt 8, 20; Lc 9, 58. *Suum* lect. cod. 52) Cf. Gn 3, 1 sqq. 53) Cf. 1 Rg 13, 9-10; 15, 1-9. 54) Cf. 2 Rg 11, 1 sqq. 55) Cf. 3 Rg 11, 1-13. 56) 1 Tim 6, 9-10.

nasci, vivere et mori? Proposuit Deus hanc virgam sic partim decorticatam quoad privationem bonorum temporalium, ut nos tanquam oves ipsius agnos similes pareremus. Videte, fratres, quod hodie Christus nimios divitiarum amatores de templo eicit ad designandum quod nimius amor terrenarum rerum indignos nos tum gratia Dei tum gloria paradisi reddit.

earum autem contemptus necessarius est ad salutem.

Sed, o fratres, o fratres! quid nos agimus? Christus dixit: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum coelorum,* [57] et: *Vae vobis divitibus!* [58] Nec tantum id docuit dictis, sed etiam factis; cum enim potuisset in mundo esse ditissimus, voluit esse pauperrimus, sicut David qui non regalibus armis armatus contra philisthaeum incedere voluit, sed vilibus indumentis armisque simplicis pastoris; [59] et hodie videmus quod divites ac mercatores de templo eicit. Et tamen adhuc terrenis rebus inhiamus? Verbis Christum confitemur et dicimus eum esse sapientiam Dei, et factis illum negamus [60] iudicantes meliores esse divitias voluntaria paupertate, quam Christus elegit. Nonnunquam iudicium nostrum passerculi iudicio subicimus iudicantes [61] illam ficum meliorem esse quam passer gustavit in veris principio, cum incipiunt maturescere ficus, et non subicimus iudicium nostrum iudicio Christi?

sicut ipse Christus dictis et factis docuit.

Fratres mei, si salvari volumus, duo nobis necessaria sunt. Sicut enim Deus in terrestri paradiso duas praecipue arbores plantavit: arborem scientiae boni et mali et arborem vitae, [62] sic in anima nostra duas praecipue potentias posuit: intellectum et voluntatem; intellectum ad cognoscendum verum, et voluntatem ad diligendum bonum. Opus est ut intellectum captivemus *in obsequium Christi,* [63] ut cupiamus quidem cognoscere Christum: *Quis est hic?* sed *non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem;* [64] sufficiat scire quod *hic est Iesus propheta a Nazareth Galilaeae.* Deinde opus est ut, cupientes salutem animarum nostrarum, ad Christum in templo accedamus; sic enim hodie caeci et claudi accesserunt ad Christum, et curavit eos. Qui Christum fide cognoscit et caritate diligit, salvus erit. Sic Hebraei voluerunt quidem scire quidnam manna esset, sed audientes: *Hic est panis quem dedit vobis Dominus ad*

Haec est ergo nostra salus: Christum fide cognoscere, moribus imitari et caritate diligere.

57) Mt 5, 3. 58) Lc 6, 24. 59) Cf. 1 Rg 17, 38-40. 60) Cf. Tit 1, 16.
61) Ms.: *Iudicantem.* 62) Cf. Gn 2, 9. 63) 2 Cor 10, 5. 64) Rom 12, 3.

vescendum, comederunt illud usquequo in terram promissionis ingressi sunt. [65] Sic, si salvari nos volumus, necesse est ut Christum cognoscamus et diligamus bonaque spiritualia et divina corporalibus et mundanis praeferamus.

II. ALIA HOMILIA

***Cum introisset Iesus Ierosolymam, commota est universa civitas dicens : Quis est hic ? Populi autem dicebant,* etc. [1]**

Tria proponuntur consideranda in hodierno Evangelio: ingressus Christi in Ierusalem, opus iustitiae et opus misericordiae

I. In sacrosancto hodierno Evangelio tria proponuntur fidelibus : primum quidem, mirabilis Christi ingressus in Ierusalem ; secundum, mirabile opus divinae iustitiae contra templi violatores, et tertium, mirabile opus divinae misericordiae erga miseros, caecos et claudos, quos magno miraculo sanavit. [2] Quare totus mirabilis est Christus hodie : mirabilis in persona, quia *commota est universa civitas dicens : Quis est hic ?* et mirabilis in operationibus, quia fecit mirabilia hodie, ait enim quod videntes Pharisaei *pueros clamantes et mirabilia quae fecit ... dixerunt ...:* Magister, *audis quid isti dicunt ?* [3]

Circa primum vere mirabilis Christus hodie ostenditur,

II. Quoad primum est profecto valde mirabilis hodie ingressus Christi in Ierusalem, si quis consideret factum cum omnibus suis circumstantiis personae, loci et temporis. Persona est Christus, homo pauper et despectus ; locus est Ierusalem, civitas metropolis totius regni Iudaeorum, ubi manebat summus pontifex Iudaeorum omnisque sacer senatus principum sacerdotum ; tempus autem erat prope paschalem solemnitatem, quo omnes Iudaei ex mandato legis conveniebant Ierosolymam ad celebrandam ibi paschalem solemnitatem, [4] quare erat tunc temporis in Ierusalem infinita prope hominum multidudo. O magnum miraculum ! Christus, homo pauper et despectus, a Iudaeis tanquam eorum inimicissimus summe odio habitus, [5] hodie

65) Cf. Ex 16, 35; 2 Esr 9, 21.

1) Mt 21, 10-11. Vulg.: *Cum intrasset*, etc. 2) Cf. ibid. vrr. 7-14. 3) Ibid. vrr. 15-16. Vulg.: *Mirabilia quae fecit et pueros clamantes*, etc. 4) Cf. Dt 16, 5-6. 5) Io 5, 16; 7, 7; 15, 18-20.

pauper et despectus, et tamen tanquam rex acclamatus.

intrat in civitatem Iudaeorum tanquam rex summa populorum acclamatione: *Benedictus qui venit in nomine Domini, rex Israel,* [6] *pax in terra et gloria in excelsis.* [7] Sic ab innumera fere hominum multitudine rex acclamabatur et tanquam rex in suam civitatem securus ingreditur, cum tamen ingrediatur in civitatem acerrimorum inimicorum, qui eum ad mortem quaerebant, unde paucis ante diebus *nolebat in Iudaeam ambulare, quia quaerebant eum Iudaei interficere,* [8] hodie tamen securus ingreditur et summo cum applausu, honore et gloria, sic tamen pauper et inermis equitans super humile animal. [9] Quodnam, quaeso, est istud miraculum? Hinc *commota est universa civitas dicens: Quis est hic?*

Nil tamen mirum, ipse enim Deus et homo est.

Mirum profecto est: unus ingreditur Christus et universa civitas commovetur; sed mirum non est si Christi consider. mus personam, qui mundum ingressus totum universum commovit. Sic enim legimus: *Adhuc... modicum est, et ego commovebo coelum et terram... mare et aridam, et movebo omnes gentes, et veniet desideratus cunctis gentibus et implebo domum istam gloria.* [10] Imo commovit universum paradisum ascendens in coelum; aiunt enim Angeli: *Quis est iste qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra? iste formosus in stola sua, gradiens in multitudine virtutis suae.* [11] Et item Angeli audientes: *Attollite portas, principes, vestras et elevamini portae aeternales, et introibit rex gloriae,* dicunt mirantes: *Quis est iste rex gloriae?... Quis est iste rex gloriae?* [12] Hinc cum anima Christi ex hoc mundo discessit in alium intrans, commovit universum, nam: *Terra mota est et petrae scissae sunt et monumenta aperta sunt et multa corpora sanctorum... surrexerunt* [13] et, obscurato sole, *factae sunt tenebrae super universam terram.* [14] Si luna habens dominium supra mare, ut naturales philosophi dicunt, movet universum mare, et hinc aiunt oriri fluxum et refluxum maris, [15] quid mirum si Christus, dominus universi, commovet totum universum? In die iudicii ipse totum

qui in nativitate et in morte sua coelum et terram commovit.

6) Mt 21, 9; Io 12, 13. 7) Lc 19, 38. Vulg.: *Pax in coelo*, etc. 8) Io 7, 1. Vulg.: *Non... volebat*, etc. 9) Cf. Mt 21, 7. 10) Agg 2, 7-8. 11) Is 63, 1. Vulg.: *Fortitudinis suae.* 12) Ps 23, 7-10. 13) Mt 27, 51-52. 14) Ibid. vr. 45. Vulg.: *Tenebrae factae sunt*, etc. 15) S. Ambrosius *Hexaem.*, lib. 4, cp. 7, (P. L. 14. 202); Plinius *Hist. Nat.*, lib. 2, cp. 97, pag. 17; Lud. Caelius *Lect. Antiq.*, lib. 26, cp. 18, col. 1455; Conimbricenses *De Coelo*, lib. 2, cp. 3, q. 1, a. 2, col. 238.

commutabit ac renovabit universum, creans coelum novum et terram novam.[16]

Commovit mundum miraculis et praedicatione Evangelii;

III. Quoniam vero Ierusalem in Divinis Litteris aliquando quidem hunc mundum designat, aliquando Ecclesiam, aliquando animam fidelem et aliquando paradisum,[17] quocunque ingreditur Christus universa commovet: *Cum intrasset Ierosolymam, commota est universa civitas.* Sic cum intrasset Christus in mari, *motus magnus factus est in mari;* cum postmodum Christus *imperavit ventis et mari factaque est tranquillitas magna,* unde *homines mirati sunt dicentes: Qualis est hic, quia ventis et mari imperat et obediunt ei?*[18] Commovit Christus mundum faciens prodigia, sicut Moyses universam commovit Aegyptum.[19] Fama autem miraculorum Christi totus mundus commotus fuit, praedicatione Christi totus et commotus et mutatus est mundus, totus enim mundus fidem, religionem, mores, vitam mutavit, relicto idolorum cultu et fide Christi suscepta. Sic *commota est universa civitas.*

commovit synagogam et in Ecclesiam suam convertit;

Ingressus etiam in Ecclesiam, totam commovit atque mutavit. Ecclesia Dei tunc synagoga Iudaeorum erat, sed eam mutavit in Ecclesiam christianorum, mutavit legem Moysi in Evangelium, circumcisionem in Baptismum, sacrificia legis in sacrificium altaris, carnalia sacramenta in spiritualia, umbras et figuras in veritatem, legem timoris in legem amoris, severitatem iudiciorum in misericordiam et pietatem. Sic *commota est universa civitas* Ecclesiae.

commovit paradisum, cum, comitantibus Angelis, in coelum ingressus est sessurus a dextris Dei;

Similiter et paradisi; sic universa civitas Ierusalem commota fuit, cum Salomon unctus et coronatus fuit rex Israel loco David patris sui;[20] Christus autem in coelum ascendens *sedet a dextris Dei,*[21] quoniam a Patre data est ei *omnis potestas in coelo et in terra.*[22] Sic cum intrasset Christus coelestem Ierusalem, *commota est universa civitas,* quoniam tunc homo super Angelos constitutus est factusque dominus Angelorum omnesque Angeli occurrerunt Christo in coelum ascendenti, sicut in die iudicii omnes cum eo ve-

16) Cf. 2 Petr 3, 10-13. 17) In plurimis S. Scripturae locis ea quae a Prophetis de Ierusalem dicuntur litteraliter applicantur etiam figurate tum ad mundum tum ad animam fidelem. De Ierusalem autem figura Ecclesiae et paradisi cf. Gal 4, 25-26; Hebr 12, 22; Apc 3, 12; 21, 2-10. 18) Mt 8, 24-27. Vulg.: *Et facta est tranquillitas*, etc.; Lc 8, 24-25. 19) Cf. Ex 12. 31-33. 20) Cf. 3 Rg 1, 38-40. 21) Mc 16, 19. 22) Mt 28, 18.

nient,[23] nam : *Sic veniet quemadmodum vidistis eum ascendentem in coelum,*[24] dixerunt Angeli Apostolis post Christi ascensionem. Sed si cum omnibus Angelis descendet, ergo cum omnibus Angelis ascendit. Sic *universa civitas* paradisi *commota est*, intrante Christo in coelum ad thronum Dei.

Cum item in fidelem animam Christus ingreditur, tota commovetur ; nam anima veluti civitas est. I e r e m i a e etenim dicitur: *Dedi te ... in civitatem munitam ;*[25] et sponsae in *Canticis: Pulcra es ... et decora sicut Ierusalem. terribilis ut castrorum acies ordinata.*[26] Cives autem huius civitatis sunt cogitationes et desideria animique affectiones et passiones. Sed cum ingreditur in animam Christus tota commovetur; hinc cum, Angelo nuntiante, ingressus fuit in uterum Virginis, turbata ipsa est *et cogitabat qualis esset ista salutatio*, Angeloque dixit prae nimia admiratione : *Quomodo fiet istud quoniam virum non cognosco ?*[27]

commovet etiam animas fideles cum in eas ingreditur per gratiam,

Ingreditur autem in animam Christus per gratiam, facta per poenitentiam remissione peccatorum. Poenitentia autem praecipue in cordis contritione et spiritu contribulato consistit. Cum Ionas ingressus fuisset in Ninivem, tota civitas commota fuit atque mutata per poenitentiam et mutationem vitae in bonum.[28] Dum ad sacramenta Confessionis et Communionis accedis, o frater, tunc intrat Christus in civitatem animae tuae.

facta per poenitentiam remissione peccatorum;

Sed non operatur mirabilia Christus hodie, nisi commota civitate ; tunc eicit de templo vendentes et ementes claudosque et caecos sanat.[29] *Commota est universa civitas* intellectus in cognitione veri et falsi, voluntas in amore boni et odio mali, memoria in commemoratione beneficiorum Dei et peccatorum nostrorum. Vide, vide, frater, an sic commota sit civitas animae tuae in Christi ingressu.

tunc enim intellectum illuminat cognitione veritatis et voluntatem inflammat amore Dei.

IV. *Quis est hic ? ... Hic est Iesus propheta a Nazareth Galilaeae.*[30] Cur non dicunt : Hic est *Iesus Nazarenus rex Iudaeorum?*[31] Iam enim Christus acclamatus *rex* erat a turbis, nunc autem a populis

Christus futurus erat simul rex et propheta.

23) Cf. ibid. 25, 31. 24) Act 1, 11. Vulg.: *Euntem in coelum.* 25) 1, 18. 26) 6, 3. 27) Lc 1, 29. 34. 28) Cf. Ion 3, 5-10. 29) Cf. Mt 21, 12-14. 30) Ibid. vr. 11. 31) Io 19, 19.

sed rex gloriae in coelo, propheta veritatis in hoc mundo.

non rex dicitur, sed *propheta*. Christus quidem futurus erat simul rex et propheta, sed in hoc mundo propheta, in alio mundo rex; in hoc mundo propheta veritatis, in coelo autem rex gloriae. Gratia autem necesse est ut praecedat gloriam; venit autem Christus ad dandam prius in hac vita gratiam, deinde in alia vita gloriam. Propheta similis Moysi, redemptor, legislator et salvator. Fuit Moyses redemptor populi de captivitate Aegypti, dedit divinam legem eumque ad terram promissionis perduxit. [32]

Dicitur *propheta* propter excellentem sanctitatem, qua ipse sanctus est et alios sanctificat,

Dicitur autem Christus *propheta* propter excellentem sanctitatem, tunc enim viri sancti dicebantur *Prophetae.* [33] Sanctitas autem in duobus consistit: in puritate ab omnibus vitiis et in perfectione omnium virtutum; propterea Christus dicitur *Nazarenus,* quod s e p a r a t u m significat ab omni immunditia, et *Galilaeus,* quod significat c i r c u l u m, figuram suapte natura perfectam, sphaerica enim figura perfectionis hieroglyphicum est; sic Christus perfecte sanctus est et sanctificans. Christus igitur hodie dicitur *salvator,* sed tanquam propheta, sicut Moyses, salvat enim credentes in eum; salvat autem quos sanctificat, quos purgat ab omnibus peccatis;


ideo dicitur etiam *salvator,* quia salvat quos sanctificat.

Nazaraeos enim oportebat sese mundos servare ab omni pollutione et cavere ne quicquam de vite gustarent, nec uvam nec vinum, nihil penitus; [34] adhuc vero quos virtutibus omnibus perficit, nam caritas, quae *vinculum est perfectionis,* [35] omnes secum virtutes requirit. Hoc igitur modo mirabilis Chiistus mirabiliter Ierosolymam mirabilem civitatem ingreditur. Erat enim civitas regia et civitas sancta ac veluti fons totius sanctitatis quae in mundo erat.

Ostenditur mirabilis ingressus Christi in Ierusalem non tantum quoad personam,

V. Ingressus autem Ierosolymam Dominus templum adit ibique mirabilia operatur. Ostensus est Christus mirabilis in persona, quia *hic est Iesus;* in virtutibus, quia *propheta a Nazareth Galilaeae,* propheta sanctissimus et sapientissimus, hinc adducit Divinas Scripturas ad Pharisaeos confundendos: *Nunquam legistis: ... Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem?* [36] quo divinitatem suam aperit Christus seque mirabilem illum Deum esse, de quo R e g i u s V a t e s

32) Cf. Dt 31, 1 sqq. 33) Cf. Mt 13, 17; 14, 5; 21, 26-46; Mc 6, 15; Lc 1, 7; 7, 16; 24, 19; Io 9, 17; Act 3, 21. 34) Cf. Nm 6, 1 sqq. 35) Col 3, 14. Vulg.: *Est vinculum,* etc. 36) Mt 21, 16.



FACSIMILE SCRIPTURAE S. LAURENTII TERTIA PARTE DIMINUTAE

loquitur ibi dicens : *Domine, Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra !*[37]

sed etiam quoad opera misericordiae et iustitiae

Nunc mirabilia Christi opera videnda sunt. Esse enim, posse et operari sese consequuntur, secundum veram philosophiam ;[38] hinc Christus mirabilis in persona et virtute, mirabilia hodie operatus est. Praecipue vero duo opera mirabilia Christus operatus est hodie : mirabile opus iustitiae et mirabile opus misericordiae; opus iustitiae, quia vendentes et ementes eiecit de templo, opus vero misericordiae, quia *accesserunt ad eum caeci et claudi et curavit eos.*

Eiciens mercatores de templo ostendit legem veterem abolendam esse.

Intravit Iesus in templum, commota civitate, commovit templum, *et eiciebat omnes vendentes et ementes in templo et mensam nummulariorum et cathedras vendentium columbas evertit, et dicit eis: Scriptum est : Domus mea domus orationis vocabitur ; vos autem fecistis illam speluncam latronum.*[39] Hodie adimplevit Christus vaticinium illud : *Statim veniet ad templum... dominator, quem vos quaeritis, et Angelus testamenti, quem vos vultis. Ecce venit, dicit Dominus... et quis poterit cogitare diem adventus eius et quis stabit ad videndum eum? Ipse enim quasi ignis conflans et quasi herba fullonum... et purgabit filios Levi.*[40] Sic purgat hodie Christus ministros templi ab avaritia et simonia; eicit autem de templo animalia, quae Deo sacrificabantur, quoniam abolenda lex vetus erat; sic templum mutatur et renovatur. Invenit Christus in templo adorari non Deum, sed vitulum aureum[41] statuamque Nabuchodonosor ;[42] non Deum, sed Baal ;[43] serviri mammonae non Deo,[44] nam avaritia *est idolorum servitus.*[45] Sed : Dominus Deus noster *Deus zelotes* est,[46] et : *Zelus domus tuae comedit me.*[47] Hinc zelo ardens divini honoris eicit de templo impios profanatores, quoniam *avari... regnum Dei non possidebunt ;*[48] hinc avaros heri Christus damnavit : *Discedite a me, maledicti, in ignem aeternum... esurivi enim et non*, etc.[49] Eicit autem *vendentes et ementes in templo.* Si in Ecclesia non essent ven-

et avaritiam causam esse perditionis,

37) Ps 8, 1. 38) Nota sunt axiomata: « Operari sequitur esse », et: « Modus operandi sequitur modum essendi », ex variis locis Aristotelis deducta. Cf. S. Thomas *S. Theolog.*, 1ª, q. 89, a. 1; Georgius Reeb *Thesaurus Philosophorum*, part. 2, *Axiomata*, pag. 327-331.
39) Mt 21, 12-13. 40) Mal 3, 1-3. 41) Cf. Ex 32, 4-9. 42) Cf. Dn 3, 1-8.
43) Cf. Idc 2, 10-13; 3, 7; 10, 6. 44) Cf. Mt 6, 24; Lc 16, 13. 45) Eph 5, 5; Col 3, 5.
46) Ex 20, 5; 34, 14; Dt 4, 24; 5, 9; 6, 15; Nah 1, 2. Ex hebraico. 47) Ps 68, 10.
48) 1 Cor 6, 10. 49) Mt 25, 41-42.

dentes, nec ementes reperirentur; si non esset Giezi, non esset Simon; ille vendidit, [50] hic emere voluit gratiam Dei. [51]

mundi enim servitus servitutem et amorem Dei impedit.

Sicut non potest navis funibus in terra ligata ancorisque tenta navigare, non volare avis magno ad pedes saxo alligato alisque glutino tenaci implicatis, nec homo catenis compedibusque tentus ambulare, non natare piscis esca et hamo captus, sic animus noster non potest sursum in coelum tendere, in coelestibus conversari, Deum contemplari et frui, imo nec, ut par est, cognoscere et amare, si terrenis rebus mundanisque bonis nimium sit affectus. Impedit enim terrena negotiatio coelestem contemplationem et mundi servitus Dei cultum. Hinc hodie Christus eicit de templo *vendentes et ementes* dicens: *Scriptum est: Domus mea domus orationis vocabitur; vos autem fecistis illam speluncam latronum.*

Eicit mercatores de templo, qui mundana magis quam divina quaerebant,

VI. *Cum introisset Iesus Ierosolymam, commota est universa civitas dicens: Quis est hic? Populi autem dicebant: Hic est Iesus,* etc. Sicut Dominus Deus eiecit de paradiso primos parentes nostri generis, postquam suasu serpentis comederunt *de ligno... scientiae boni et mali,* [52] sic Christus hodie eicit de templo impios mercatores, qui in templo Dei non Deo serviebant, sed mammonae, non Deum adorabant, sed vitulum aureum et auream statuam regis Babylonis, confundentes terrena cum coelestibus, mundana cum divinis, volentes ut arca Dei cum Dagone deo Philisthaeorum simul maneret [53] et ponentes in templo idolum, sicut fecit impius Achaz. [54] Quare Christus hodie sicut piissimus Ezechias templum Dei a pollutione idololatriae emundat, [55] nam avaritia *est idolorum servitus.* Eiecit Christus de templo, de domo Dei, *omnes vendentes et ementes,* quoniam volebant simul *de ligno vitae* et *de ligno... scientiae boni et mali* comedere, [56] tanquam Samaritani idola cum Deo colere [57] et cum Israelitis, quos arguit Elias, Deum simul et Baal adorare. [58] Coniungere in unum ignem et aquam, lucem et tenebras, vitam et mortem impossibile est, fieri nullo modo potest.

ut templum a pollutione purgaret

Duae illae arbores, quas in medio paradisi terrestris plantavit

50) Cf. 4 Rg 5, 20-26. 51) Cf. Act 8, 18-19. 52) Cf. Gn 2, 17; 3, 1 sqq.
53) Cf. 1 Rg 5, 2-5. 54) Cf. 4 Rg 16, 2 sqq; 2 Par 18, 1-4. 55) Cf. 4 Rg 18, 3-7. 22; 2 Par 29, 1-19. 56) Gn 3, 22. 57) Cf. 4 Rg 17, 32 sqq. 58) Cf. 3 Rg 18, 21.

Deus, [59] duo sunt genera bonorum, sunt enim bona spiritualia et carnalia, terrena et coelestia, temporalia et aeterna, mundana et divina. Primum genus est arbor *vitae*, purum bonum, summum bonum, omne bonum absque ullo malo; in Deo enim nihil mali reperiri potest, sicut nil tenebrarum in sole, nil frigoris in igne; secundum vero genus est arbor *scientiae boni et mali.* Mundus hic ex contrariis compositus est: igne et aqua, coelo et terra, frigore et calore, luce et tenebris, aestate et hieme, die et nocte, generatione et corruptione, ortu et interitu, vita et morte. Ecce arbor *scientiae boni et mali*, sicut luna, in qua lumen est cum obscuritate tenebrarum.

et cultum Dei a cultu terrenorum;

Peccavit homo, quia, relicto ligno vitae, suasu diaboli comedere voluit *de ligno... scientiae boni et mali;* peccatum enim conversio est ab aeterno et incommutabili bono ad commutabile et temporaneum, conversio a Creatore ad creaturam, a Deo ad mundum. Bona temporalia sunt arbor *scientiae boni et mali, boni* pro carne, *mali* pro spiritu, *boni* pro corpore, *mali* pro anima, *boni* pro vitio, *mali* pro virtute; sunt enim bona temporalia vitiorum fomenta: superbiae, avaritiae, luxuriae, gulae et omnium malorum. Sic Divus Paulus ait quod: *Radix... ɩmnium malorum est cupiditas.* [60] Adamo, Caino, Sauli, Davidi, Salomoni, epuloni fuerunt ruinarum occasio.

impossibile enim est Deum simul et bona temporalia amare, quae sunt vitiorum fomenta,

Deinde impediunt virtutes bonaque spiritualia. Sic Christus docet quod semen cadens inter spinas a spinis simul exortis suffocatum fuit: *Quod autem cecidit inter spinas, hi sunt qui... a sollicitudinibus et divitiis et voluptatibus vitae euntes suffocantur et non referunt fructum.* [61]

virtutum maxima impedimenta

Tertio impediunt salutem aeternam. Sic Christus ait quod impossibile est divites intrare *in regnum coelorum*, quod *facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum coelorum.* [62] Hinc Christus proposuit damnationem divitis epulonis, [63] et propterea hodie Christus eiecit de templo mercatores, ut ostenderet quod multo magis indigni sunt domo Dei coelesti qui indigni iudicantur terrestri. Hinc praecepit Christus ne thesaurizemus in terra, sed in coelo [64] ut salvemur, quoniam utrunque simul agere im-

et causa perditionis aeternae.

59) Cf. Gn 2, 9. 17. 60) 1 Tim 6, 10. 61) Lc 8, 14. Vulg.: *Quod autem inter spinas cecidit*, etc. 62) Mt 19, 23-24. 63) Cf. Lc 16, 19 sqq. 64) Cf. Mt 6, 19-20.

possibile est: *Nemo potest duobus dominis servire... Non potestis Deo servire et mammonae.* [65]

Bona temporalia quaerenda non sunt cum nimia sollicitudine, nec inordinate amanda.

VII. Quod si necessariam existimamus bonorum temporalium acquisitionem ob necessarium victum atque vestitum, Dominus ait quod *haec... omnia Gentes*, quae [66] in Deum non credunt et providentiam divinam negant, sollicite *inquirunt: Scit enim*, inquit, *Pater vester quia his omnibus indigetis. Igitur primum quaerite regnum Dei et iustitiam eius, et haec omnia adicientur vobis*, [67] sicut Hebraeis in deserto fecit Deus, quibus nil necessarium defuit annis quadraginta, [68] cum esset innumerabilis populus. [69] Vult Deus ut super omnia divino servitio et saluti animarum nostrarum operam demus, et non anxia cum sollicitudine temporalia vel quaeramus vel diligamus, quia divitiarum amor, si non sit caritati subiectus et citra caritatem, semper perniciosus est hominemque in interitum mergit.

Bona temporalia contra voluntatem Dei aut iustitiam diligenda non sunt,

Ut autem amor iste sit caritati subiectus, tria necessaria sunt: primo, ut homo non diligat aestimativo amore bona temporalia contra voluntatem Dei et contra iustitiam, uti faciunt qui bona male acquisita restituere nolunt, hi enim tanquam fures et latrones semper vivunt in statu damnationis, et similiter qui contra iustitiam temporalia acquirere satagunt. Secundo, ut non diligat bona temporalia supra Deum, magis quam Deum, uti faciunt bonorum temporalium domini, qui iure iusteque possident bona sua, sed nonnisi in divitiis suis sperant atque confidunt et pro bonorum suorum conservatione multa peccata committunt, sicut fecit Ieroboam qui, ut regnum sibi conservaret, impietatem idololatriae induxit. [70] Qui si quod damnum in bonis suis patiuntur, non cum I o b patienter ferunt dicentes: *Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit ita factum est, sit nomen Domini benedictum*, [71] sed blasphemant nomen Domini, signum manifestum quod bona illa sua multo magis diligebant quam Deum. Tertio, non diligat aeque ac Deum; qui enim id agit idololatra est, uti agunt qui propter amorem Dei elee-

ita ut pro iis conservandis peccata committantur,

vel opera caritatis omittantur;

65) Ibid. vr. 24; Lc 16, 13. 66) Ms.: *Qui.* 67) Mt 6, 32-33. Vulg.: *Querite ergo primum*, etc. 68) Cf. Ex 16, 35; Dt 19, 5-8. 69) Cf. Ex 12, 38; Nm 11, 4. 70) Cf. 3 Rg 12, 15 sqq. 71) 1, 21.

mosynam facere contemnunt avaritia ducti ne eorum diminuantur divitiae.

Hoc triplex est idololatriae genus; et postremum quidem malum est, medium autem peius, sed primum pessimum est. Primum est adorare vitulum aureum in deserto post latam legem, secundum adorare vitulos aureos Ieroboam in Bethel, tertium adorare statuam auream regis Babylonis: Avaritia *est simulacrorum servitus,* inquit Paulus; [72] et iterum: *Avarus... est idolorum servitus.* [73]

hoc enim esset triplex genus idololatriae.

Hinc Christus ait: *Videte et cavete ab omni avaritia, quia non in abundantia cuiusquam eius vita est ex his quae possidet;* [74] et subiunxit Dominus similitudinem sive exemplum viri divitis damnati dicens: *Hominis cuiusdam divitis ager uberes fructus attulit, et cogitabat intra se dicens: Quid faciam, quia non habeo ubi congregem fructus meos? Et dixit: Hoc faciam: destruam horrea mea et maiora faciam et illuc congregabo omnia, quae nata sunt mihi, et bona mea, et dicam animae meae: Anima* mea, *habes multa bona posita in annos plurimos: requiesce, comede, bibe, epulare.* [75] Sed inquit Dominus quod homini huic, qui nihil de salute animae suae cogitabat, nihil de operibus misericordiae, nihil de amore Dei, *dixit... Deus: Stulte, hac nocte repetunt animam tuam a te; quae autem parasti cuius erunt? Sic,* inquit, *est* omnis *qui sibi thesaurizat et non est in Deum dives.* [76] Notate, fratres: hunc Dominus damnatum dicit ob id tantum, quod non esset *in Deum dives,* quod caritate destitutus erat, dives erat non ex furto et rapina, sed ex fructibus agrorum suorum; sed quia non Deum magis quam divitias suas dilexit, periit in aeternum. Similiter dives epulo damnatus fuit ob amorem divitiarum, quia mendico Lazaro propter Deum nullum misericordiae opus exhibebat. [77]

Ab hoc ergo inordinato amore maxime cavendum est, quia solus sufficit ad aeternam perditionem promerendum.

Qui igitur salvari vult, necesse est ut Deum magis quam bona sua diligat; nec tantum Deum, sed etiam proximum propter Deum. Qui enim non diligit proximum non potest Deum diligere; « pro-

nam salvari non potest qui bona sua magis quam Deum et proximum diligit.

72) Col 3, 5. 73) Eph 5, 5. 74) Lc 12, 15. Vulg.: *Vita eius,* etc. 75) Ibid. vrr. 16-19. Vulg.: *Uberes fructus ager attulit... quo congregem,* etc. 76) Ibid. vrr. 20-21. Vulg.: *Animam tuam repetunt,* etc. 77) Cf. ibid. 16, 19-22.

batio autem dilectionis exhibitio est operis », [78] a fructibus enim cognoscitur arbor. [79]

Inde elucet quam difficilis sit mercatorum salus ratione iustitiae

VIII. Hinc elucet quam difficilis sit mercatorum salus, primo quidem ratione iustitiae et secundo ratione caritatis. Ratione iustitiae, ut fiat mercatura sine dolis, sine fraudibus, sine usuris, sine iniustis lucris, sed iuste et recte, ut non declinet neque ad dexteram neque ad sinistram, sive vendendo sua sive emendo aliena, ne cupiat vendere caro et emere vili.

et ratione caritatis, difficile enim est divitias possidere

et eas non impense diligere supra iustitiam et caritatem.

Deinde ratione caritatis. Difficile est esurire in mensa et non comedere, sitire ad fontem et non bibere, tentari et sollicitari a muliere mala loco et tempore opportuno et non praebere ei consensum, ut sanctus patriarcha Ioseph egit gratia Dei munitus ; [80] sic mercaturae operam dare lucrisque intentum hominem esse et corde divitias non impense diligere, sed propter Deum pauperibus erogare vel in opera pia expendere, sicut David ex divitiis suis templum Domini voluit aedificare, [81] quod postea Salomon egit, [82] sicut populus Dei in deserto ex auro et argento et aliis pretiosis rebus tabernaculum Domino construxit. [83] Abraham vero divitias suas pauperibus peregrinis, quos hospitio recipiebat, summa cum caritate dispensabat. [84] Sed : *Beatus dives . . ., qui post aurum non abiit nec speravit in pecuniae thesauris. Quis est hic et laudabimus eum? Fecit enim mirabilia in vita sua.* [85]

Hinc Dominus Zachaeum ab usuris conversum laudavit;

Heu, heu ! Christus hodie mercatores vocat *latrones : Domus mea domus orationis vocabitur cunctis gentibus, vos autem fecistis illam speluncam latronum,* [86] hoc autem propter dolos, fraudes et iniusta lucra, unde restituere tenentur ac si furati essent. Hinc Zachaeus conversus ad Christum ait: *Ecce, Domine, dimidium bonorum meorum do pauperibus, et si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum.* Cui Dominus : *Hodie,* inquit, *salus domui huic facta est, eo quod et ipse sit filius Abrahae. Venit enim Filius hominis quaerere et salvum facere quod perierat.* [87] Zachaeus utique per fraudes per-

78) S. Gregorius M. *Hom. 30 in Evang.*, (P. L. 76, 1220). 79) Cf. Mt 7, 20. 80) Cf. Gn 39, 6-12. 81) Cf. 1 Par 22, 14; 29, 2. 82) Cf. 3 Rg 5, 13-6, 1-36; 2 Par 2, 1-2; 5, 1. 83) Cf. Ex 35, 1 sqq. 84) Cf. Gn 18, 1-8. 85) Eccli 31, 8-9. Vulg.: *In pecunia et thesauris*, etc. 86) Mt 21, 13. 87) Lc 19, 8-10. Vulg.: *Ecce dimidium bonorum meorum, Domine . . . filius sit Abrahae.*

ierat, sed per Christi gratiam restituendo salvus factus est. Quare habent mercatores quem imitentur: Zachaeum, habent et Matthaeum apostolum et evangelistam Christi. [88]

Fratres mei, divitiae huius saeculi esca diaboli sunt, quibus homines capit hamo peccati sicut capiuntur pisces. Sic ligno *scientiae boni et mali* usus fuit serpens antiquus tanquam esca ad capiendos primos parentes, ostendens oculis hominum arboris illius fructuumque pulcritudinem, suavitatem virtutemque magnam; sic esca ista deceptos cepit hamo peccati. [89] divitiae enim esca diaboli sunt ad capiendas animas.

IX. Non dico, fratres, ut mercaturae negotia simpliciter omittatis tanquam omnino illicita sint, sed dico cum Christo ut magis in coelo quam in terra thesaurizetis, ut si uxorem habeas et ancillam, filium et servum, potiorem curam rationemque uxoris et filii quam ancillae et servi habeatis. Et si duas possessiones habetis, magnam unam, alteram vero parvam, illam fecundam, hanc vero sterilem, illa reddat centuplum, ista vix decem, illa decem millia aureorum ex proventu uberrimo, ista vix centum, illius multo magis quam istius ratio et cura habenda est. Si in terra fossa duplicem venam invenires, unam quidem auri optimi ac gemmarum, alteram vero ferri aeruginosi ac feculenti, quid magis eligeres? Nonne aurum? Attamen sicut hodie mercatores isti in templo Dei non coelestibus thesauris operam dabant, sed terrenis – ecce thesaurus coelestis: *Domus mea domus orationis est*, hic thesaurus est omnium coelestium bonorum: *Quicquid orantes petitis, [credite] quia accipietis, et fiet vobis;* [90] et ecce ferrum aeruginosum: *Vos autem fecistis illam domum negotiationis*, imo *speluncam latronum*, [91] – ita nos non in coelo, sed in terra thesaurizamus, o fratres, non aurum, sed ferrum, imo ferri feces eligimus. Non prohibetur mercaturae operam dare, sed terrenos thesauros coelestibus praeferre;

Mercatores quidem oportet esse prudentes et iustos, sed quaenam haec prudentia est lutum auro praeferre? terrenos thesauros, vanos et corruptibiles coelestibus, aeternis et inamissibilibus? Quaenam iustitia seipsum animamque suam Deo furari et idolis tradere? nam mercatores prudentes atque iustos esse oportet.

88) Cf. Mt 9, 9; Lc 5, 27-29. 89) Cf. Gn 3, 1-6. 90) Mc 11, 24; Io 15, 7. Vulg.: *Quaecunque orantes*, etc. 91) Mt 21, 13; Io 2, 16.

Non tamen omnibus mercatura permittitur, nec ubique, nec quandocunque.

Fratres mei, mercatura quidem suapte natura mala non est, et reipublicae, si bene et iuste fiat, necessaria est; sed ut bene fiat videndum a quibus fit, quo loco et quo tempore. Quoad personam quidem non licet viris ecclesiasticis, propter sacerdotalem dignitatem, mercaturae operam dare: [92] *Nemo militans Deo*, inquit Apostolus, *implicat se negotiis saecularibus.* [93] Ne fiat in loco sacro; hinc Christus inveniens in templo vendentes et ementes eiecit eos inde; hinc apud Zachariam legimus: *Non erit mercator... in domo Domini*, [94] quae enim conventio lucis ad tenebras, Christi et Baal, templi [95] Dei cum idolis? [96] Nec fiat in tempore sancto diebusque festis: Non facies opus servile in sabbato, iussit Deus; [97] hinc qui collegit ligna in sabbato lapidatus a populo divina sententia fuit. [98] Sic Iudaei torcularia in sabbato calcare prohibentur, [99] nec permisit eis Deus ut vel ignem in sabbato accenderent. [100] Divus Basilius libro *Regulae Fusius Disputatae*, Interrogatio 40, [101] ex hoc Christi facto ostendit non licere christianis nundinas exercere in celebritatibus Sanctorum; diebus enim festis, saltem, pro viribus thesaurizandum nobis in coelo est.

Christus Ierusalem ingrediens civitatem et templum commovet,

X. *Cum introisset Iesus Ierosolymam, commota est universa civitas dicens: Quis est hic? Populi autem dicebant: Hic*, etc. Magnum miraculum! Commovit hodie Christus universam civitatem et templum, sed quid mirum cum ipse sit Dominus universi, *Angelus testamenti* [102] et *sol iustitiae?* [103] Cum Dominus venit ad dandam legem in deserto, coelum et terram commovit. [104] Unus Angelus, secundum theologos, movens primum mobile movet universum coelum usque ad aeream regionem hanc infernam, [105] et sol, dum vere ad nos accedit, movet atque commovet universam naturam mundumque renovat

92) *Decretum* Gratiani, D. LXXXVIII, cp. 1-13; C. XIV, q. 4, cp. 1. 3; C. XXI, q. 3; cp. 15; *Decretales* Gregorii IX, lib. 1, tit. 6, *de electione et electi potestate*, cp. 15-16; lib. 3, tit. 1. *de vita et honestate clericorum*, cp. 1. 6; tit. 50, *ne clerici vel monachi saecularibus negotiis se immisceant*, cp. 1; lib. 5, tit. 19, *de usuris*, cp. 1; *Clementinae*, lib. 3, tit. 1, *de vita et honestate clericorum*; Conc. Trident., sess. XXII, *de ref.*, cp. 1. 93) 2 Tim 2, 4. 94) 14, 21. 95) Ms.: *Templo.* 96) Cf. 2 Cor 6, 14-16. 97) Cf. Ex 20, 10; 31, 14-17; Dt 5, 12-15. 98) Cf. Nm 15, 32-36. 99) Cf. 2 Esr 13, 15-18. 100) Cf. Ex 16, 23; 35, 3. 101) P. G. 31, 1019. 102) Mal 3, 1. 103) Ibid. 4, 2. 104) Cf. Ex 19, 3 sqq. 105) Cf. S. Thomas *S. Theolog.*, 1ª, q. 70, a. 3; Opusc. 17, *Contra Gentiles*, cp. 80; S. Bonaventura *2 Sent.*, d. 14, a. 3, q. 2; Fr. Suarez *De Angelis*, lib. 4, cp. 27, pag. 355-356; lib. 6, cp. 18, pag. 518; Conimbricenses *De Coelo*, lib. 2, cp. 5, q. 6, a. 1, col. 347-349.

novis generationibus plantarum et animalium. Commovet hodie Christus non tantum civitatem, sed etiam templum, quia venerat renovare universam Ecclesiam, tum laicos tum clericos. Quoad laicos mutare legem in Evangelium et circumcisionem in fidem, ut omnes crederent quod *hic est Iesus propheta a Nazareth Galilaeae,* quod Christus est verus Messias, redemptor et salvator mundi; quoad clericos vero, mutando cultum Dei carnalem in spiritualem, nam: *Spiritus est Deus et eos, qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare,*[106] hinc eicit de templo oves et boves atque columbas,[107] quae Domino in sacrificia offerebantur, aitque: *Scriptum est: ... Domus mea domus orationis vocabitur.*

venerat enim renovare Ecclesiam quoad laicos et quoad clericos.

Hoc autem apud Isaiam legimus, ubi Divinus Vates de mosaicae legis mutatione verba facit; ait enim: *Non dicat filius advenae, qui adhaeret Domino, dicens: Separatione dividet me Dominus a populo suo; et non dicat eunuchus: Ecce ego lignum aridum. Quia haec dicit Dominus eunuchis: Qui custodiunt sabbata mea, et elegerunt quae ego volui, et tenuerint foedus meum, dabo eis in domo mea et* in *muris meis locum, et nomen melius a filiis et filiabus; nomen sempiternum dabo eis quod non peribit. Et filios advenae, qui adhaerent Domino, ut colant eum et diligant nomen eius, ut sint ei in servos; omnem custodient m sabbatum ne polluat illud, et tenentem foedus meum. Adducam eos in montem sanctum meum et laetificabo eos in domo orationis meae; holocausta eorum et victimae eorum placebunt mihi super altari meo, quia domus mea domus orationis vocabitur cunctis populis.*[108] Loquitur de duobus generibus hominum: de filiis alienigenis ac Gentilibus, qui non erant ex semine Abrahami secundum carnem, et de eunuchis, *qui seipsos castraverunt propter regnum coelorum.*[109] Haec est in hodierno Evangelio duplex commotio civitatis et templi.

quod Isaias iam vaticinatus fuerat.

Lex Moysi data fuit populo tantum hebraeo, qui erat tunc populus Dei electus aliasque omnes gentes veluti separavit Deus ab Hebraeis.[110] At veniens Christus commovit universam civitatem dans fidem et legem omnibus populis: *Praedicate Evangelium omni*

Renovavit universos populos dans omnibus fidem et legem;

106) Io 4, 24. 107) Cf. Ibid. 2, 15. 108) 56, 3-7. Vulg.: *Qui custodierint ... et elegerint,* etc. Ms.: *Adducam eum.* 109) Mt 19, 12. 110) Cf. Lv 20, 24. 26.

creaturae, [111] *quia,* inquit, *domus mea domus orationis vocabitur cunctis gentibus.*

renovavit clericos mutans rationem vitae eorum et cultum carnalem in spiritualem;

Deinde etiam templum commovit mutans cultum divinum carnalem in spiritualem. Hinc prius volebat in templo suo sacerdotes fecundos, uxoratos, [112] nunc autem quaerit eunuchos qui vitam caelibem ducant. Et templum quidem Dei potius erat domus sacrificii quam orationis. Mutat Christus ut sit potius domus orationis quam sacrificii, quoniam : *Beatius est magis dare quam recipere.* [113] Et hoc magis convenit Deo, qui sol est potens quidem dare lucem, sed non recipere, prius potius recipiebat Deus quam dabat ; Deo enim offerebantur a populo oves, boves et columbae, hodie vero haec Christus de templo eicit. Vult enim ut templum sit domus orationis magis quam sacrificii, locus accipiendi bona a Deo, non dandi bona Deo : *Domus mea domus orationis vocabitur cunctis gentibus.* Voluit Deus habere domum in terra qui rex est coeli. Hinc ait Isaias : *Deus, cuius ignis . . . in Sion et caminus . . . in Ierusalem,* [114] idest civis voluit esse civitatis Ierusalem et habere domum ac habitationem in Ierusalem. Qui enim habet domum et habitationem in aliqua civitate, dicitur habere ibi ignem. Sed habere quidem voluit domum et palatium non sicut mundani principes habent in civitate metropoli provinciae aut regni domum, sed domum iustitiae, non misericordiae ; Deus autem domum habere voluit non iustitiae, sed misericordiae et gratiae : *Domus orationis vocabitur cunctis gentibus;* habere domum non ad reponendos thesauros, sicut mundani principes habent aeraria ad reponenda tributa, vectigalia et census, quos a populis sibi subditis exigunt, sed voluit habere domum ad dispensandum thesauros suos. Hinc in templo erat arca, thesaurus Dei, cum aureo propitiatorio ; [115] continebantur autem in eo thesauro lex divina, [116] virga divinae virtutis, [117] quae aquas de petra eduxit [118] et manna coeli. [119]

Deus enim vult ut templum sit magis domus orationis quam sacrificii materialis,

ubi fidelibus suis thesauros coelestes dispensat,

Haec nobis a Deo petenda sunt principaliter : gratia ad observandam divinam legem, gratia omnium virtutum theologicarum et

111) Mc 16, 15. 112) Cf. Lv 21, 13-14. 113) Act 20, 35. Vulg.: *Accipere.*
114) 31, 9. Vulg.: *Dominus, cuius,* etc. 115) Cf. 3 Rg 8, 1-10; 2 Par 5, 7. 116) Cf. Ex 25, 16. 21; 40, 18; Dt 10, 5; 3 Rg 8, 9; Hebr 9, 4. 117) Cf. Nm 17, 10; 20, 9; Hebr 9, 4. 118) Cf. Ex 17, 5-6; Nm 20, 8-11. 119) Cf. Ex 16, 33; Hebr 9, 4.

cardinalium et gratia consequendi vitam aeternam in coelis, nec non et[120] adiutorium auxiliumque divinum in omnibus necessitatibus nostris.

qui supra omnia alia bona petendi sunt oratione;

Nec dubitandum quia potest Deus de petra durissima aquas educere: *Domus mea domus orationis vocabitur cunctis gentibus*, quia Deus *vult omnes homines salvos fieri.*[121] Sed Deus dixit Moysi ad eum accedere volenti: *Solve calceamenta de pedibus tuis, quia locus in quo stas terra sancta est,*[122] idemque dixit Angelus Domini duci populi Dei Iosue,[123] sic nobis, cum ad Deum accedimus, deponenda sunt involucra carnalium cogitationum,[124] hoc enim est quod eicit hodie Christus de templo avaritiae operam dantes.

ut autem oratio a Deo exaudiatur oportet carnales omnes cogitationes deponere.

XI. *Scriptum est: Domus mea domus orationis vocabitur, vos autem fecistis illam speluncam latronum.* Reperit hodie Christus populum Iudaeorum in eo statu in quo eum Isaias descripserat dicens: *Omne caput languidum et omne cor moerens; a planta pedis usque ad verticem* capitis *non est in eo sanitas.*[125] Principes et praelati sunt capita Ecclesiae, sacerdotes sunt veluti cor et stomachus. Purgat hodie Christus stomachum ad purgandum universum corpus: *Purgabit filios Levi.*[126] Sanitas animae acquiritur per orationem per quam a Deo gratiam et veniam peccatorum accipimus. Sed si in loco orationis et diebus festis non fit oratio, quando fiet? ubi fiet? Si sacerdotes saltem non orent, quinam orationi operam dabunt? Christus autem in loco et tempore orationis nec sacerdotes orantes invenit. Si in corpore non videat oculus nec auris audiat, ubi erit in toto corpore visus aut auditus? Si non orant in Ecclesia sacerdotes et ministri Domini, quis orabit? Quid igitur? Frustra Dominus locum orationis, locum gratiae et misericordiae, asylum refugii instituerit?

Talis oratio requiritur specialiter in sacerdotibus Ecclesiae.

O utinam, fratres, spiritu orationis praediti essemus, sicut Dominus per Zachariam ait: *Effundam super domum David et super habitatores Ierusalem spiritum gratiae et precum,*[127] nam:

Oratio necessaria est, utilis et delectabilis.

120) Ms.: *Est.* 121) 1 Tim 2, 4. Vulg.: *Omnes homines vult*, etc. 122) Ex 3, 5. Vulg.: *Solve calceamentum ... locus enim in quo*, etc. 123) Ios 5, 16. 124) Cf. S. Bernardus *Sermo in Dom. infra octavam Assumpt. B. Mariae V.*, (P. L. 183, 432).
125) 1, 5-6. 126) Mal 3, 3. 127) 12, 10.

Quid oremus... nescimus, ipse autem Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.[128] Utinam sciremus quam necessaria sit nobis oratio, quam utilis, quam etiam purgatis animis delectabilis! Haec enim scala coeli est; hinc Divus Dionysius eam comparat aureae catenae de coelo ad nos demissae,[129] per quam sursum

per eam enim omnia bona coelestia obtineri possunt,

ascendamus vel potius trahamur in coelum. Cum Salomon templum complesset et Domino dedicasset, apparuit ei Dominus dicens quod elegerat et sanctificaverat locum illum, ut ibi divinum invocaretur nomen, quod ibi teneret semper oculos apertos auresque intentas et paratum cor ad exaudiendas orationes de quacunque necessitate clamantium. Quod si tempore famis aut pestis sive belli populus poenitentia ductus ad eum recurret, misericordiam et gratiam pollicebatur;[130] ita ut, sicut ipsi Salomoni olim Deus in visione apparens dixit: *Postula* a me *quod vis ut dem tibi,*[131] sic nunc quoque cuilibet fidelium dicit..

quia Deus ipse invisibiliter orantibus adest;

Hinc enim est quod in divino propitiatorio nulla erat figura, nulla scriptura, sed tabula erat aurea veluti pagina alba, in qua nihil sit scriptum.[132] Petiit Salomon, et multo plura obtinuit quam petierit.[133] Incredibilis videtur vis orationis, sicut cum Moysi et Aaroni dixit Deus ut acciperent virgam Dei et loquerentur ad petram, quod illa daret aquam universo populo sitienti,[134] quoniam ibi invisibiliter praesens futurus esset ipsemet Deus; sic enim invisibilis manebat in sanctuario, divinum propitiatorium velo operiente videri non poterat.[135]

utilis etiam est ad purgandum cor a vitiis et animum virtutibus imbuendum.

Utilis est oratio ad purgandum cor, ad illuminandam mentem, ad imbuendum et perficiendum virtutibus animum, ad sanctificandam animam. Est veluti spiritualis quidam baptismus, nam cum oraret Dominus in Iordane quando a Ioanne baptizatus fuit, aperti sunt coeli super eum et Spiritus Sanctus in columbae specie super eum descendit auditaque est vox Dei: *Hic est Filius meus dilectus.*[136] Orans etiam Dominus transfiguratus fuit.[137] Oratio enim hominem terrenum in coelestem transformat, unde et Moyses orans divino quodam splendore donatus fuit.[138]

128) Rom 8, 26. Vulg: *Sed ipse Spiritus*, etc. 129) *De Divinis Nominibus*, cp. 3, (P. G. 3, 679). 130) Cf. 2 Par 7, 1-16. 131) 3 Rg 3, 5. 132) Cf. Ex 37, 10-13. 133) Cf. 3 Rg 3, 10-14. 134) Cf. Nm 20, 6-11. 135) Cf. Ex 30, 6. 36; Lv 16, 2; Nm 7, 89; 17, 4. 136) Mt 3, 16-17. 137) Cf. ibid. 17, 1-2; Mc 9, 1. 138) Cf. Ex 34, 29-35; 2 Cor 3, 7.

III. ALIA HOMILIA

Cum introisset Iesus Ierosolymam, commota est universa civitas dicens : Quis est hic ? Populi autem, etc. [1]

Quem principes non noverant, noverunt turbae Christum verum prophetam.

I. Cum rex Saul vidisset quod David prostrasset et occidisset Goliam fortissimum gigantem, totus admiratus dixit astantibus : Quis est adolescens iste ? [2] Sic hodie Ierosolyma, audito miraculo quod mortem Christus vicerit Lazaro resuscitato, [3] miratur dicens : *Quis est hic ?* Qualis est hic qui mortem potuit vincere ac superare, cum mors universum mundum vincat ? *Populi autem dicebant.* Asina Balaam cognovit Angelum Domini ipsumque loquens Balaamo ostendit ; [4] sic hodie simplex turba Christum cognoscens, principibus sacerdotum ostendit quisnam sit Christus, qui *Angelus* est *magni consilii.* [5] Sicut enim magno miraculo tunc Balaamo asina locuta fuit, sic hodie turba populorum et parvulorum, Spiritu Sancto dictante: *Commota est universa civitas dicens : Quis est hic?* Cherubim gloriae veluti admirantes divinum propitiatorium intuebantur, [6] sic fideles omnes Christum admirantes eum pro viribus cognoscere cupiunt.

Sicut homines qua homines, naturalia scire desiderant, ita qua fideles Deum et Christum cognoscere cupiunt;

Omnes enim homines natura scire desiderant, sed maxime naturalia ; hinc orta est naturalis philosophia. Fideles autem, quatenus fideles sunt, non naturales, sed supernaturales sunt homines. Hinc supernaturalia et Deum summopere cognoscere cupiunt et cum Moyse desiderant videre faciem Dei, [7] hinc petunt : *Quis est hic ? Populi autem dicebant : Hic est Iesus.* Dixit Dominus Moysi : *Posteriora mea videbis, faciem autem meam videre non poteris, non enim videbit me homo et vivet.* [8] Post mortem servatur electis visio divinae faciei: *Nunc cognosco ex parte, tunc autem . . . sicut et cognitus sum ; videmus nunc per speculum in aenigmate, tunc autem facie ad faciem.* [9] Sic de Christo imperfecta quaedam hodie cognitio traditur, et humanitatis potius quam divinitatis : *Hic est Iesus propheta a Nazareth Galilaeae.* [10] Haec sunt *posteriora* Dei ; et tamen in posterioribus Dei

sed nunc cognitio haec imperfecta est, cognoscitur tamen Christus ex eius operibus.

1) Mt 21, 10-11. 2) Cf. 1 Rg 17, 39 sqq. 3) Cf. Io 11, 34-44. 4) Cf. Nm 22, 22-31. 5) Is 9, 6. Ex Translat. Septuaginta. 6) Cf. Ex 37, 7-9. 7) Cf. ibid. 33, 13-18. 8) Ibid vrr. 20-23. Vulg.: *Videbis posteriora mea*, etc. Ordine inverso affert hos vrr. 9) 1 Cor 13, 12. Ordine inverso affert hunc vr. 10) Mt 21, 11.

vidit Moyses omne bonum Dei, videns mysteria divinae misericordiae et iustitiae.[11] Haec autem in sacrosancto hodierno Evangelio demonstrantur in mirabilibus Christi operibus.

Christus thesaurus est omnium bonorum Dei,

II. Audito quisnam sit Christus, sedatur civitatis commotio, nihil aliud quaerit Ierusalem. Sufficit animae fideli Christum cognoscere; est enim thesaurus absconditus in agro et pretiosa margarita, quibus inventis, omnia relinquuntur ut haec liceat possidere.[12] *Hic est Iesus propheta a Nazareth Galilaeae.* Sponsa in *Canticis* interrogata a filiis Ierusalem qualis esset dilectus suus, respondit : *Dilectus meus candidus et rubicundus, electus ex millibus ; caput eius aurum optimum* et *comae* capitis *eius sicut elatae palmarum, nigrae sicut corvus.* Cumque totum depinxisset sponsum a capite usque ad pedes : *Oculi eius columbarum . . ., genae eius . . . areolae aromatum . . ., labia eius lilia stillantia myrrham optimam,* sive rosae spirantes odorem optimum, *manus eius tornatiles, aureae, plenae hyacinthis, venter eius eburneus, distinctus sapphiris, crura illius columnae marmoreae . . . fundatae . . . super bases aureas, species eius ut Libani, electus ut cedri, guttur eius suavissimum et totus* ipse *desiderabilis;*[13] tunc filiae Ierusalem tantae pulcritudinis desiderio et amore captae, dixerunt sponsae : *Quo abiit dilectus tuus, o pulcherrima mulierum ? quo declinavit dilectus tuus, et quaeremus eum tecum ?*[14] Sic anima, quae per fidem Deum vere cognovit, eius ardentissimo desiderio flagrat. Hinc Paulus cupiebat *dissolvi et esse cum Christo ;*[15] hinc Regius Vates aiebat : *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus. Sitivit anima mea ad Deum fortem vivum, quando veniam et apparebo ante faciem Domini ?*[16] Et alibi : *Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo. Sitivit ad te anima mea, quam multipliciter tibi caro mea . . ., quoniam melior est misericordia tua super vitas.*[17] Quamvis, inquit, homini suapte natura dulcis et suavis sit vita, multo tamen melior ac iucundior est misericordia, bonitas et benignitas tua quam mille vitae : *Melior est dies una in atriis tuis super millia.*[18] Est

et in eius cognitione invenitur vera quies animae, quia ipse implet omnia desideria.

11) Cf. Ex 34, 5-10. 12) Cf. Mt 13, 44-46. 13) 5, 10-16. Vulg.: *Quasi corvus . . . oculi eius sicut columbae . . . genae illius . . . distillantia myrrham primam, manus illius . . . guttur illius,* etc. 14) Ibid. vr. 17. 15) Phil 1, 23. 16) Ps 41, 2-3. Vulg.: *Ante faciem Dei ?* 17) Ps 62, 2-4. Vulg.: *Sitivit in te,* etc. 18) Ps 83, 11.

veritas intellectui iucundissima ac multo suavior quam esurienti panis cibusque suavissimus; Deus autem summa veritas est.

III. Sicut autem sponsa in *Canticis* prius generali quadam descriptione ac veluti corporis totius delineatione sponsum depingit dicens: *Dilectus meus candidus et rubicundus, electus ex millibus,* sive *vexillatus inter decem millia,* et postea per partes vivis coloribus imaginem eius diligentissimo penicillo figurat, sic hodie Christus a Sancta Ecclesia, quae per fidelem turbam designatur. Clamabat prius turba: *Hosanna Filio David, benedictus qui venit in nomine Domini;* [19] deinde: *Hic est Iesus propheta a Nazareth Galilaeae.* Quattuor sunt quae praecipue laudat sponsa in sponso: *caput, manus, corpus* et *crura;* et de Deo [20] quattuor praecipue commendantur: s a p i e n t i a, haec est caput; p o t e n t i a, haec est manus; c a r i t a s, haec est corpus; et b o n i t a s, quae per misericordiam et iustitiam declaratur, haec sunt crura. In capite laudat quattuor: *capillos* cogitationum, sunt autem Dei cogitationes incomprehensibiles, hinc capilli dicuntur *nigerrimi; oculos,* clarissimam omnium rerum cognitionem; *labia,* divina eloquia, et *genas,* idest barbam, [21] divina desideria, quae omnia sanctitatis odorem spirant. In quattuor autem hisce sapientia consistit, sapiens enim est qui nunquam vel cogitationibus vel desideriis vel verbis aut rerum cognitione errat; universum autem caput *aureum* dicit, propter excellentiam divinae sapientiae. Manus vero laudat quod *tornatiles* sint, *aureae* et *plenae hyacinthis,* circulares propter perfectionem potentiae, quae omnia potest, hinc: *Dei perfecta sunt opera,* [22] *aureae* autem et *plenae hyacinthis,* quoniam opera Christi infiniti sunt meriti atque valoris. Venter, idest pectus, dicitur *eburneus* et *distinctus sapphiris,* quoniam Christi caritas et amor purissimus est et candidissimus, incorruptus omnino et infiniti pretii. Tandem crura eius *columnae marmoreae, fundatae super bases aureas,* Dei enim bonitas, tum quod spectat ad misericordiam tum quod ad iustitiam, immutabilis est, finis autem divinae tum misericordiae tum iustitiae aurum est gloriae divinae.

Sicut in *Canticis* quattuor praecipue commendantur de Deo:

sapientia sub figura capitis,

potentia sub figura manuum,

caritas sub figura pectoris et bonitas sub figura crurum,

19) Mt 21, 9. 20) Ms.: *Deus.* 21) Ms.: *Oculi, clarissima ... cognitio, ... et genae, idest barba.* 22) Dt 32, 4.

Ita in hodierno Evangelio quattuor haec praedicantur de Christo.

In sacrosancto autem hodierno Evangelio quattuor haec in Christo commendantur. S a p i e n t i a, qua adducit Divinarum Scripturarum testimonia : *Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem,* [23] quo testimonio sapientissime probat se Deum esse et quod scribae et Pharisaei erant inimici Dei mox destruendi, nam sequitur : *Propter inimicos tuos, ut destruas inimicum et ultorem ;* [24] prudenter tamen haec Christus reticuit, ne eorum animos magis ad odium concitaret. Deinde aliud testimonium adducit : *Scriptum est : Domus mea domus orationis vocabitur, vos autem,* etc. [25] Ostenditur c a r i t a s, qua civitatem ingressus recta tendit ad templum ad adorandum Patrem et praedicandum populo sanandumque infirmos ; haec perfecta est caritas gemina. Ostenditur p o t e n t i a, qua de templo eicit impios profanatores et sanat infirmos, caecos et claudos aliaque miracula operatur. [26] In quo simul ostenditur eius b o n i t a s in iustitia, qua impios eicit de templo, et misericordia, qua infirmos sanat.

quae etiam continentur in quattuor nominibus, quibus a populis appellatur.

Haec autem quattuor designantur in quattuor hisce nominibus : *Iesus propheta a Nazareth Galilaeae : Iesus* s a l v a t o r est, salus autem opus divinae est bonitatis, secundum decreta tamen divinae misericordiae et iustitiae, hinc non omnibus confert salutem, sed multis est *lapis offensionis et petra scandali :* [27] *Positus est hic in ruinam et in resurrectionem multorum in Israel ;* [28] *propheta* autem i n t e r p r e s est et p r a e d i c a t o r divinae sapientiae ; *Nazareth* p u r i t a t e m sanctitatemque significat, et *Galilaea* idem est ac c i r c u l u s t o r n a t i l i s, significat ergo divinae potentiae perfectionem cui nulla virtus deest ad operandum.

Haec ergo nobis cognoscenda sunt de Christo.

IV. Haec nobis de Christo cognoscenda sciendaque sunt : quod novit omnia, nihil eum latet, omnium corda, animos, mentes, intentiones et cogitationes scrutatur et clarissime intuetur ; quod omnia potest, et male et bene facere nobis secundum merita operum nostrorum, sicut videmus hodie, potest conferre bona et inferre mala ; quod omnia diligit, sed amore purissimo atque sanctissimo ; ad gloriam tamen conferendam efficaci amore non diligit nisi iustos et electos, qui per sapphiros designantur lapidesque pretiosos, quos supra

23) Ps 8, 3; Mt 21, 16. 24) Ps 8, 3. 25) Mt 21, 13; Is 56, 7. 26) Cf. Mt 21, 12-14. 27) 1 Petr 2, 8. 28) Lc 2, 34.

pectus et cor portabat summus pontifex Aaron;[29] quod tandem eius bonitas simul est misericordia et iustitia, sicut radius solis et calor ignis virtus est, qua cera liquescit et lutum induratur ob diversitatem materiei; sic Deus *cuius vult miseretur et quem vult indurat.*[30]

Ex hac cognitione facile oriuntur ceterae virtutes,

Non fuit agnitus Christus in Ierusalem, hinc nemo inventus est qui eum domi hospitio reciperet, propterea in Bethaniam reversus fuit;[31] nam, si quis cognovisset eum, fecisset utique ei sicut mulier sunamitis fecit Eliseo. Cum enim cognovisset sanctitatem divinamque virtutem Elisei, dixit ad virum suum: *Animadverto quod vir Dei sanctus sit iste, qui transit per nos frequenter; faciamus... ei coenaculum parvum et ponamus... in eo lectum et mensam et sellam et candelabrum, ut cum venerit ad nos, remaneat ibi.*[32] Praeparavit ei domum cum omnibus, quae necessaria sunt pro supellectili, non nudam domum. Sic enim Deus non nudam domum voluit sibi aedificari, sed cum supellectili necessaria: requisivit arcam veluti locum quietis et archivium thesaurumque, requisivit propitiatorium ubi sedebat, requisivit mensam et candelabrum; omnia autem haec fecit populus postquam Deum cognovit per legem.[33] Sic quisquis Deum novit praeparat ei in corde suo domum in habitaculum, domum autem *scopis mundatam et ornatam,*[34] cum provisione utensilium quae opus sunt. Sicut autem Eliseus ob gratitudinem huius beneficii mulieri illi, cum sterilis esset, impetravit a Deo filium illumque eundem mortuum suscitavit,[35] sic videmus quod hodie Christus in templo illuminat caecos et sanat claudos multaque divina miracula operatur.

quibus Deus summopere delectatur.

Christus ingrediens civitatem cum tanta gloria super asinum, mysterium est,

V. *Cum intrasset Iesus,* etc. Offert se Dominus hodie cum gloria conspiciendum, quoniam Deus est; sicut sol, qui nonnisi proprio lumine videri potest, ita nec Deus cognosci nisi seipsum praebeat cognoscendum; hinc manifestavit seipsum Patriarchis et Prophetis. Sed non magno mysterio vacat quod Christus super asinum[36] conspiciendum se praebet. Asinus hebraice dicitur חֲמוֹר,[37] idest m a t e r i a; Christus ergo super asinum significat Deum super omnem

29) Cf. Ex 28, 4-30. 30) Rom 9, 18. 31) Cf. Mt 21, 17. 32) 4 Rg 4, 9-10. Vulg.: *Sanctus est iste... lectulum et mensam... maneat ibi.* 33) Cf. Ex 25, 1 sqq.; 35, 1 sqq. 34) Lc 11, 25. 35) Cf. 4 Rg 4, 14-38. 36) Cf. Mt 21, 7. 37) Ms.: *Hamor.*

quo significatur eius supremum dominium in mundo,

materiam suapte natura positum. Hinc ubi in *Deuteronomio* legimus : *Ascensor coeli auxiliator tuus*, hebraice est : *Equitans coelum ;* [38] similiter *Psalmo : Qui ascendit super occasum*, hebraice : *Equitans coelos supremos ;* [39] itemque : *Qui ascendit super coelum coeli : Equitans coelum.* [40] Deus igitur toti mundo dominatur : *Quoniam elevata est magnificentia tua super coelos ;* [41] hinc [42] Deus est scalae innixus [43] et super Cherubim sedens. [44] In universo autem quo substantiae sunt superiores eo sunt magnitudine ampliores, virtute potentiores, dignitate nobiliores et natura spiritualiores; Deus ergo spiritus purissimus, nobilissimus, potentissimus, maximus, infinitus. Quod etiam per vivum animal mundus significatur, est quoniam sicut animal istud, quamvis rudissimum, sentit tamen imperium hominis, ita omnis creatura, quamvis insensata et inanimis, sentit imperium Dei. Tertio, designatur quod sicut animal istud vilissimum est, ita totus mundus nihili est apud Deum, talis est et tanta magnitudo Dei ; sicut terra respectu coeli punctus est, ita totus mundus respectu Dei. Nil minus gloriosus erat Deus ante mundi creationem ; hinc sceptrum Dei dicitur *ferreum*, [45] et regnum coeli et terrae vilissimo animali, quod nullius honoris est, ad equitandum comparatur. Sic divina natura consideranda nobis est super omnem creaturam non tantum materialem, sed etiam spiritualem : *Rex Israel*, Rex Angelorum, Rex coelestium exercituum. Rex igitur cognoscendus nobis est Deus, rex naturae, gratiae et gloriae, omnis penitus creaturae.

infinita excellentia divinae naturae

infinita magnitudo super universum mundum materialem et spiritualem.

Et quidem hodie Christus vere ostenditur rex potentissimus,

Rex autem ostenditur Christus potentissimus, sapientissimus et optimus. Potentissimus, per seipsum omnia valens, hinc dicitur *Deus exercituum*, quoniam ipse solus valet plusquam innumerabiles exercitus coeli et terrae, sicut plus valet sol quam omnes stellae. Propterea Christus hodie per seipsum eicit de templo *omnes vendentes et ementes* [46] et solus Samson contra omnem praevalet exercitum Philisthaeorum. [47] Sapientissimus auctor est et Dominus omnium scientiarum, [48] omnia novit, nihil eum latet, videt etiam secreta cordium : *Omnia . . . nuda et aperta sunt oculis eius,* [49] nihil omnino est quod eum latere

sapientissimus,

38) 33, 26. 39) 67 (hebr. 68), 5. 40) Ibid. vr. 34. 41) Ps 8, 2.
42) Ms.: *Hic.* 43) Cf. Gn 28, 12-13. 44) Cf. Ps 79, 2; 98, 1. 45) Cf. Ps 2, 29; Apc 2, 27; 12, 5; 19, 15. 46) Mt 21, 12. 47) Cf. Idc 15, 9-15. 48) Cf. 1 Rg 2, 3.
49) Hebr 4, 13.

possit. Optimus. Duo sunt quae principem optimum constituunt: iustitia et clementia, odium iniquitatis et amor virtutis, iustitia contra perniciosos, clementia erga populum suum, quem non tyrannice vexet et gravet, sed diligat, foveat beneficiisque tanquam pater afficiat. Talis Christus ostenditur hodie per opera iustitiae et misericordiae; iustitiae, iudicem enim agit.

optimus in clementia et in iustitia.

VI. *Cum introisset Iesus Ierosolymam, commota est universa civitas dicens: Quis est hic? Populi autem dicebant: Hic est*, etc. Adventus iste Domini in Ierusalem fuit postquam Lazarum quatriduanum in monumento suscitavit a mortuis. [50] Lazari autem suscitatio proculdubio figura et typus fuit universalis resurrectionis mortuorum in novissimo die. Post generalem autem mortuorum resurrectionem veniet Christus ad iudicandum mundum et tunc vere universa civitas commovebitur quia tunc totus renovabitur mundus. Venit autem Christus in Ierusalem comitatus innumerabili multitudine populorum; sic cum venerit ad iudicandum, venient *omnes Angeli cum eo*, [51] commovebitur, tunc universa civitas totius humanae reipublicae dicens: *Quis est hic?* Qui tanta gloria et maiestate venit, est hic Deus an homo? Si Deus, quomodo corpus habet et humana membra? Si homo, quomodo omnes Angeli serviunt ei? Unde tanta gloria et maiestas? *Quis est hic?* Populi autem qui Christum comitabantur responderunt quaerenti civitati: *Quis est hic?* dicentes: *Hic est Iesus propheta a Nazareth Galilaeae.* Tubis enim angelicis tunc Christi gloria universo praedicabitur mundo et Angeli declarabunt quisnam sit Christus.

Aliud mysterium: ingreditur Christus Ierusalem post resurrectionem Lazari,

ut figuret adventum suum in finali iudicio;

Hodiernus igitur Christi adventus in Ierusalem figura quaedam ac typus fuit gloriosi adventus Christi ad iudicium, nam et opus iustitiae hodie Christus exercet eiciens de templo *omnes vendentes et ementes.* Erit autem in iudicio mirabilis persona iudicis, ideo *commota est universa civitas dicens: Quis est hic?* Quoniam veniet Christus *in maiestate sua et omnes Angeli* eius *cum eo sedebitque super sedem maiestatis suae* [52] et resplendebit *facies eius sicut sol,* [53] millies milliesque sole isto splendidior.

gloriosissimus enim tunc apparebit

50) Cf. Io 11, 1-44. 51) Mt 25, 31. 52) Ibid. Vulg.: *Tunc sedebit*, etc. *Eius* lect. cod.
53) Ibid. 17, 2.

coram omnibus gentibus,

Erit praeterea admirandum spectaculum, quia ante conspectum iudicis *congregabuntur ... omnes gentes,* [54] infinita hominum multitudo. Sic hodie in Ierusalem omnes undique Iudaei convenerant ex mandato legis ad celebrandam paschalem solemnitatem, [55] hoc est *universa civitas,* universa Iudaeorum respublica, omnes Iudaei.

sententiam salutis vel damnationis pronunciaturus,

Tertio, erit admirabilis salus electorum et damnatio reproborum lata sententia, cum *dicet rex his qui a dextris eius erunt : Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum ...; his* [56] autem *qui a sinistris ... : Discedite a me, maledicti, in ignem aeternum.* [57] Sic hodie Christus magno miraculo eicit de templo vendentes et ementes et curat caecos et claudos ad ipsum accedentes.

utriusque causam iudicaturus

Quarto, mirabilis erit causa salutis electorum : *Esurivi enim, et dedistis mihi manducare,* [58] et damnationis reproborum : *Esurivi enim, et non dedistis mihi manducare.* [59] Sic hodie Christus eicit de templo vendentes et ementes, quia in domo Dei non orabant, sed mercaturae negotia exercebant; curat autem caecos et claudos, quia ad eum accesserunt.

et maiestatem suam, iustitiam et pietatem revelaturus.

Mirabilis est persona iudicis : *Ecce rex tuus veniet tibi iustus et salvator ;* [60] mirabilis maiestate, quia *rex ;* mirabilis iustitiae severitate, quia *iustus ;* mirabilis pietate, quia *salvator ;* sic mirabili iustitia damnabit reprobos et mirabili pietate salvabit electos. Hinc Christus *leo* [61] est et *agnus Dei,* [62] cherub apud E z e c h i e l e m habens faciem hominis et faciem leonis, [63] sol faciens iustis ver et autumnum, dans eis flores et fructus gloriae tum essentialis tum accidentalis, et reprobis faciens hiemem poenae damni, privationis omnium bonorum, et aestatem ardentissimam poenae sensus : *Discedite ..., maledicti, in ignem aeternum ;* arca est Dei continens manna [64] et virgam, [65] Moyses salvans Hebraeos et perdens Aegyptios, [66] Iosue introducens Israelitas in terram promissionis et eiciens Chananaeos. [67]

VII. Sed animus est ut iuxta sacrosanctum hodiernum Evangelium mysteria videamus: quinam sunt qui damnantur et qui sal-

54) Ibid. 25, 32. 55) Cf. Dt 16, 5-7; 2 Par 30, 1 sqq.; Io 11, 35; 12, 20.
56) Ms.: *Hic.* 57) Mt 25, 34-41. 58) Ibid. vr. 35. 59) Ibid. vr. 42.
60) Zach 9, 9. 61) Am 3, 8; Apc 5, 5. 62) Io 1, 29. 36. 63) Cf. 1, 10. 14.
64) Cf. Ex 16, 33-34; Hebr 9, 4. 65) Cf. Nm 17, 10; 20, 9; Hebr 9, 4. 66) Cf. Ex 14, 15-31. 67) Cf. Ios 3, 1 sqq.

vantur et quam ob causam. Eicit Christus de templo divites et sanat pauperes; sic ait : *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum coelorum,* [68] et : Impossibile est divites intrare *in regnum coelorum.* [69] Quid igitur ? Damnabuntur omnes divites, et omnes pauperes salvabuntur ? Videnda est causa salutis et perditionis.

Habentur etiam in hodierno Evangelio figurae electorum et reproborum

Hodie Christus in templo exercet iudicium. Quid est hoc ? Templum significat fidelem Ecclesiam; fideles iudicabuntur, quia : *Qui . . . non credit iam iudicatus est.* [70] Hinc hi, quos hodie Christus de templo eicit, Iudaei erant, de populo Dei electo, de filiis Israel. Sed cur eiciuntur ? Quia in templo, in domo Dei, in domo orationis divinique cultus non Deum colebant, non orabant, sed mercaturae negotiis operam dabant ; non serviebant Deo, sed mammonae ; [71] non adorabant Deum, sed vitulum aureum ; hinc sicut Moyses omnes illos impios idololatras zelo Deo ardens occidit, [72] sic omnes avaros Christus in die iudicii in aeternum damnabit.

et insinuatur causa electionis et reprobationis.

Damnabuntur ergo omnes divites, qui divitias magis diligunt quam Deum bonaque temporalia et corporalia magis curant quam spiritualia et aeterna. Hoc est quod invenit eos in templo vendentes et ementes. Damnabuntur igitur omnes divites qui non diligunt Deum super omnia et pauperes sicut seipsos ; divites autem pietate praediti salvabuntur, qui operibus misericordiae sibi thesaurizant in coelo : [73] *Quia,* inquit, *esurivi, et dedistis mihi manducare.* Pauperes vero salvabuntur, at non omnes, sed qui pauperes sunt spiritu et voluntate, qui patienter propter Deum ferunt paupertatis incommoda, qui fide et caritate fratres sunt Christi ; ait enim : *Esurivi . . . sitivi . . . nudus* fui, *hospes . . . infirmus,* etc. [74] Declarat autem : *Quod uni ex his fratribus meis minimis fecistis, mihi fecistis.* [75] Sed si pauperes fratres sunt Christi, profecto fratres Christi sunt qui Dei faciunt voluntatem : *Quicunque . . . fecerit voluntatem Patris mei, qui in coelis est, ipse meus frater . . . est.* [76] Si autem sic fratres sunt Christi, profecto filii sunt Dei : *Si . . . filii, et heredes; heredes quidem Dei, coheredes autem Christi.* [77] Hi sunt pauperes qui in die iudicii salvabuntur, hinc ait : *Accesserunt ad eum caeci et claudi . . . et*

Damnabuntur qui bona terrena magis quam coelestia diligunt,

salvabuntur qui paupertatem pro amore Dei ferunt,

ac fide et caritate fratres sunt Christi;

68) Mt 5, 3. 69) Ibid. 19, 23-24. 70) Io 3, 18. 71) Cf. Mt 6, 24; Lc 16, 13. 72) Cf. Ex 32, 4-20; Dt 9, 12-19. 73) Cf. Mt 6, 20. 74) Ibid. 25, 35-36. 75) Ibid. vr. 40. Vulg.: *Quandiu fecistis uni,* etc. 76) Ibid. 12, 50. 77) Rom 8, 17.

curavit eos. [78] Curavit quidem caecos et claudos, at non omnes, sed eos qui *accesserunt ad eum*, qui credentes in Christum ei per fidem et caritatem adhaeserunt.

ad salutem enim fides cum caritate necessaria est.

Ad salutem igitur consequendam omnibus fides et caritas necessaria est. Non sufficit sola fides, nam hi, quos Christus eicit de templo, fidem habebant, sed quia caritate destituti erant, damnati sunt. Divitibus autem ad salutem necessaria est pietas in pauperes operaque misericordiae, pauperibus autem patientia propter Deum et ferre paupertatis aliarumque adversitatum crucem saltem patienter, nam : *In patientia vestra*, inquit Dominus, *possidebitis animas vestras ;* [79] et Paulus ait : *Patientia ... vobis necessaria est, ut ... reportetis promissionem ;* [80] *Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum et glorificabo eum.* [81]

IV. ALIA HOMILIA

Commota est universa civitas dicens : Quis est hic ? Populi autem dicebant : Hic est Iesus propheta a Nazareth Galilaeae. [1]

De Deo quattuor praecipue cognoscenda sunt: bonitas, sapientia, sanctitas et potentia,

I. De Deo quattuor praecipue cognoscenda nobis sunt : bonitas, voluntas, desiderium et animus semper bene nobis faciendi ; sapientia divina, rerum omnium cognitio quae unquam fuerunt, sunt et futura sunt ; sanctitas infinita, infinitus amor virtutum infinitumque odium vitiorum ; ac tandem perfectio potestatis, potest enim omnia quaecunque vult perficere. Haec designantur per quattuor ista : *Iesus propheta a Nazareth Galilaeae. Iesus* salvatorem significat ; *propheta* dicebatur quisquis supernaturali sapientia divinitus accepta coelitusque infusa praeditus erat ; *Nazareth* sanctitatem significat, hinc qui singularem sanctitatis professionem faciebant *Nazaraei* dicebantur ; [2] *Galilaea* vero circulum sphaeramque perfectissimam omnium figurarum designat. Deus autem sapientibus sphaera est spiritalis, cuius centrum ubique, sed circumferentia nusquam.

quae etiam significantur quattuor nominibus, quibus Christus a turbis hodie appellatur.

78) Mt 21, 14. Vulg.: *Sanavit eos.* 79) Lc 21, 19. 80) Hebr 10, 36. 81) Ps 90, 15.

1) Mt 21, 10-11. 2) Cf. Nm 6, 1-21; Idc 13, 5-14; 16, 17; Lc 1, 15.

Primum quod de Deo cognoscendum nobis est, hoc est : quod sit salvator ; hoc Dei munus hoc officium, hoc studium, haec ars et professio, hoc desiderium, mens, animus, voluntas : conferre salutem omnemque salutem, animae et corporis, temporalem et aeternam. *Salvator* dicitur absolute, quoniam omnem potest, scit et vult conferre salutem, sicut hodie curavit Christus caecos et claudos.[3] Medicus, cuius officium est infirmitates curare, aliquando non potest curare infirmitatem, quoniam suapte natura incurabilis est ; aliquando ignorat curationis remedium, et aliquando non vult curare infirmum ex malivolentia vel ex avaritia aut etiam ex negligentia refugiendo laborem, quem cura illa requirit. Deus autem potest, scit et vult. Salvator autem dicitur vel praeservando a malis et periculis, vel liberando a malis et periculis praesentibus. Quod si non omnium salvator est, sicut fuit hodie istorum caecorum et claudorum, non minus tamen ei omnes debemus, imo multo magis, quoniam multo maius contulit beneficium praeservando nos a malis huiuscemodi et aliis quibuscunque malis et periculis. O nos felices si oculos haberemus ad cognoscendam hanc bonitatem Dei quatenus salvator est, liberator et praeservator ab omnibus malis animae et corporis !

Deus primo cognoscendus est ut salvator

praeservans et liberans a malis.

II. Si videas pulcram aliquam imaginem factam a pictore excellentissimo, proculdubio dices pulcram esse imaginem illam non casu, sed quia pictor sic fecit ; habere oculos, aures, nasum, os et alia quaevis non casu, sed quia pictor fecit. Nunc autem, quid est homo ? Imago Dei. Quis fecit hanc imaginem ? Ipsemet Deus : *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram . . . Et creavit Deus hominem ad imaginem suam, ad imaginem Dei creavit illum.*[4] Ergo si imago haec pulcra est, si perfecta est, si nihil ei deest, Deus sic eam fecit, potuitque non facere. Est item *salvator* ac idem summus benefactor, omnia enim bona nostra, animae, corporis, interna, externa, ipsius sunt beneficia, omnes creaturae visibiles et invisibiles factae sunt ab eo tui causa.

Deus est vere summus salvator et benefactor, qui omnia bona homini contulit;

Tu autem, o homo, scis quid agis cum aliqua tui parte Deum

3) Cf. Mt 21, 14. 4) Gn 1, 26-27.

summa ergo ingratitudo est his bonis abuti contra Deum peccando,

offendis? Idem ac si cum [5] pauperi panem propter amorem Dei porrexeris, ille panem accipiat et in faciem tuam trahat. Quid tu, quaeso, pauperi illi faceres? Num, accepta tali tantaque iniuria, dignum illum reputares beneficio tuo, gratia, amore et benevolentia tua? Nos autem cum peccamus, Dei beneficiis abutimur in ipsummet Deum. Oh ingratitudinem infinitam!

cuius bonitatem omnes creaturae praedicant,

Sed signum est quod non cognoscimus vere hanc Dei bonitatem, cum ei mala pro bonis semper reddamus, fel pro melle, toxicum pro saccharo. Et tamen omnes creaturae divinam bonitatem praedicant et omnia divina bonitate constant et creata sunt, omnia etiam membra et partes vel minimae corporis. Sumus nos sponsae adulterae similes, quae omnia dona, quibus a sponso afficitur, ut [6] in ipsius amorem magis magisque accendatur, amasio mittit et rivali ut ab eo adametur, existimans quod hoc sponsum latebit. Num existimamus nos latere posse Deum, vel cogitationes cordis nostri? Nescimus quod Deus scrutator est cordium? [7] Ubi fides est divinae scientiae et cognitionis? Credis, homo, Deum scire omnia, etiam quae cogitas? Quomodo ergo in oculis Dei peccas et turpissima etiam peccata committis? An forte putas non displicere Deo peccata? Ubi est fides sanctitatis Dei? Vel putas non posse Deum punire peccata tua? Ubi fides est et cognitio divinae omnipotentiae, in cuius signum solus Christus hodie eiecit de templo *omnes vendentes et ementes?* [8] Novit sponsa adultera non latere sponsum adulteria, sed scire eum et honoris sui zelo velle punire et facillime posse, nec desistet ab adulteriis? nec desistet? Nisi forte omnino insana sit, amens et mente capta, non poterit non desistere. Sic, si nos vere divinam bonitatem, sapientiam, sanctitatem et potentiam credamus, non poterimus vitam nostram non emendare.

cuius omniscientiam cognoscimus, omnipotentiam atque iustitiam.

III. *Commota est universa civitas dicens: Quis est hic? Populi autem dicebant: Hic est Iesus,* etc. Videbat asina Angelum Domini, quem Balaam non videbat; [9] agnoscebant Christum humiles populi, non autem magnates civitatis: *Abscondisti haec a sapientibus et pru-*

5) Ms.: *Cum* bis ponitur. 6) Ms.: *In* bis ponitur. 7) Cf. Ps 7, 10; Ier 17, 10.
8) Mt 21, 12. 9) Cf. Nm 22, 23.

dentibus et revelasti ea parvulis.[10] Cum Isaias Christum in gloria et maiestate divina vidisset a Seraphim adoratum et collaudatum dixissetque: *Plena est omnis terra gloria eius,* tunc ait quod templum, prius plenum gloria Domini, repletum fuit fumo et commota superliminaria domus.[11] Fumus et caligo impediunt oculos ne videant; hinc divina vox ait Vati: *Excaeca cor populi huius... et oculos eius claude, ne... videant oculis suis et convertantur, et sanem eos.*[12] Mysterium est, quod Dominus agnoscendus erat a populis Gentium, non autem a synagoga Iudaeorum. Hinc hodie Ierusalem Christum non agnoscit, populi autem ipsius gloriam praedicant: *Hic est Iesus propheta.*

Humiles turbae Christum agnoscentes figurabant populos Gentium ad fidem convertendos, synagoga infideli remanente.

10) Mt 11, 25; Lc 10, 21. 11) 6, 1-4. 12) Ibid. vr. 10. Vulg.: *Ne videat... convertatur, et sanem eum.*

FERIA QUARTA DOMINICAE PRIMAE QUADRAGESIMAE

Sicut mundani principes, quamvis liberalissimi, gratias negant irreverenter petentibus eosque e praesentia eiciunt,

I. Si[1] mundanus princeps et magnus hominum rex, quamvis piissimus et clementissimus, in concedendis gratiis liberalissimus tanquam fons qui nemini aquas suas negat, tanquam sol qui omnibus lucis suae dona largitur, cum tamen quis magna cum irreverentia accedit, absque ulla humilitate, sed magna cum arrogantia et temeritate ad aliquid petendum, iusta indignatione commotus et gratiam negat et temerarium effrontemque oratorem eicit, quoniam magna cum modestia, humilitate et reverentia loquendum supplicandumque magnis principibus est, maxime cum nulla merita, sed demerita potius intercedunt; quid mirum igitur [quod] hodie Christus summus princeps, *Rex regum et Dominus dominantium,*[2] omni principe omnique rege multo maior quam sol quovis astro : *Ecce plus quam Salomon hic,*[3] quamvis piissimus et clementissimus Deus, fons omnium gratiarum, accedentibus tamen scribis et Pharisaeis ad petendum signa, sed magna cum temeritate et arrogantia : *Magister,* non dicunt : Domine, hoc saltem titulo Christum honorantes, *Magister, volumus a te signum videre,*[4] gratiam negat et acriter arguit : *Generatio* haec *mala et adultera signum quaerit, et signum non dabitur ei, nisi signum Ionae prophetae?*[5] Nam : *Tentantes signum de coelo quaerebant ab eo.*[6] Sic

sic hodie Christus Pharisaeis arroganter petentibus signa negat eosque acriter arguit et repellit.

1) In margine haec alia introductio adiecta fuit: « Felix nauclerus, qui suo navigio aequora sulcans sereno coelo marique tranquillo et prospero flante vento, si lateat sub aquis scopulus, ubi magnum est periculum naufragii, alia praecedens navis in illum impingat naufragiumque patiatur, unde ipse alieno periculo, imo naufragio, factus cautus vertat alio navim ad periculum illud evitandum; sic nos felices qui in navi Ecclesiae Sanctae sumus; nam, cum navis synagogae, quae nostram praecedebat, impingens in lapidem offensionis et petram scandali per perfidam incredulitatem naufragium passa sit aeternae damnationis, felices, inquam, si synagogae periculo, imo naufragio, cautiores facti, damnationis pericula evitemus. Hinc de causis damnationis synagogae disserit Christus hodie ». 2) 1 Tim 6, 15; Apc 19, 16. 3) Mt 12, 42; Lc 11, 31. 4) Mt 12, 38. 5) Ibid. vr. 39. 6) Lc 11, 16.

sua culpa pereunt quicunque pereunt, quia indigni sunt ut a Domino salutis gratiam consequantur ; sic sua culpa damnata synagoga est.

Accesserunt ad Iesum scribae et Pharisaei dicentes: Magister, volumus a te signum videre. Qui respondens ait illis : Generatio mala, etc. [7]

Synagoga reprobata fuit non ex defectu gratiae ex parte Dei;

II. Sicut magnus rex Assuerus repulit Vasthi reginam propter inobedientiam, [8] et sicut Abraham eiecit domo Agar cum filio Ismaele, [9] sic Deus ob peccatum iusta indignatione commotus synagogam cum universo populo Iudaeorum damnavit, quemadmodum etiam antiquis temporibus civitatem Ierusalem ob peccata ipsius dedit in manu regis Babylonis, qui eam una cum templo destruxit atque igni combussit. [10] Hanc damnationem proponit hodie Dominus : *Viri Ninivitae surgent in iudicio contra generationem istam et condemnabunt eam . . . Regina Austri surget in iudicio contra generationem istam et condemnabit eam.* [11]

nam Deus ad synagogam misit ipsum Filium suum, qui virtute sua multa edidit miracula,

Damnationis autem huius causa non est ex defectu gratiae, caritatis et misericordiae Dei, Deus enim *vult omnes homines salvos fieri,* [12] Hinc sicut cupiens salutem Ninivitarum misit Ionam ad praedicandum eis poenitentiam, per quam salvari possent volentes, sicut et salvati fuerunt poenitentiam agentes ad praedicationem Ionae, [13] sic ad salvandos specialiter Iudaeos Deus Christum Filium suum misit ; ait enim : *Non sum missus nisi ad oves quae perierunt domus Israel.* [14] *Et ecce plus quam Ionas hic ;* [15] ille enim servus Dei, hic Filius Dei; ille purus homo, hic Deus et homo ; ille Ninivitis praedicavit, sed miracula nulla edidit, iste et praedicavit et innumera miracula divina virtute edidit, sicut Moyses in Aegypto; [16] huic enim Deus potestatem virtutemque dedit faciendi miracula [17] in veritatis comprobationem, [18] ut verbis ipsius fides adhiberetur

7) Pericope huius diei Mt 12, 38-50. Sic legitur in Missali Rom. iussu S. Pii V edito (a. 1570) et a Clemente VIII recognito (a. 1604); posterius autem ab Urbano VIII a. 1634 emendatum fuit iuxta Vulg.: *Responderunt Iesu quidam de scribis et Pharisaeis dicentes*, etc. 8) Cf. Est 1, 9-22. 9) Cf. Gn 21, 9-14; Gal 4, 30. 10) Cf. 4 Rg 24, 1-25, 1 sqq. 11) Mt 12, 41-42. Vulg.: *Cum generatione ista*, etc. 12) 1 Tim 2,4. Vulg.: *Omnes homines vult*, etc. 13) Cf. Ion 1, 1-2, 3-10. 14) Mt 15, 24. 15) Ibid. 12, 41. 16) Cf. Dt 34, 10-12; Ios 24, 5-7; Ps 104, 26-36. 17) Ms.: *Faciendi* repetitur. 18) Cf. Ex 4, 1-17.

et crederent homines ipsum a Deo missum. Sic Christus non virtute accepta a Deo tanquam Moyses, sed ut verus Deus, ad praedicationis suae veritatem confirmandam sua divina virtute innumera miracula edidit: *Ecce plus quam Ionas hic.*

et sapientia Ionam et Salomonem superavit, et tamen ei credere recusavit.

Quod si praedicatio Ionae absque ullis miraculis potuit Ninivitas convertere, multo magis praedicatio Christi, quae non tantum virtute miraculorum excessit praedicationem Ionae, sed etiam altitudine divinae sapientiae; Ionas enim nihil aliud praedicavit nisi: *Adhuc quadraginta dies et Ninive subvertetur,* [19] sed Christus praedicavit altissima divinissimaque mysteria de regno Dei tum gratiae tum gloriae. Hinc ait: *Ecce plus quam Salomon hic,* idest Salomone multo sapientior. Quod si sapientia Salomonis potuit convertere ad fidem veri Dei reginam Saba, [20] multo magis sapientia Christi synagogam; quod enim potest luna, multo magis potest sol: *Ecce plus quam Salomon hic,* tanto plus quam Salomon quanto Deus plus quam homo. Et Salomon quidem sapientiam a Deo accepit, [21] non virtutem operandi miracula; Christus autem utrunque; hinc a Paulo dicitur *Dei virtus* et *Dei sapientia,* [22] virtus omnium miraculorum operatrix, sapientia mysteriorum omnium cognitrix: *Ecce plus quam Salomon hic.*

Christus Deus Homo super omnes creaturas est,

Mundus hic noster est sicut scala Iacob, sicut tabernaculum Domini, sicut indumenta summi sacerdotis, sicut statua Nabuchodonosor in somniis visa. Superiora semper nobiliora sunt inferioribus; sic in scala Deus, natura nobilissima, innixus erat in summitate scalae, [23] sic in tabernaculo pars superior nobilior erat inferiori, [24] sic in vestimentis summi sacerdotis vestes superiores semper nobiliores ac pretiosiores erant, hyacinthina enim superior multo nobilior erat byssina, et superhumerale multo pretiosius; adhuc *Rationale* iudicii cum gemmis; tandem in capite lamina aurea veluti corona; [25] sic in statua pedes erant fictiles, tibiae ferreae, venter aeneus, pectus argenteum, caput aureum. [26] Ita in mundo isto supra terram nobilior aqua, deinde nobilior aer, deinde ignis, hinc coelum, supra coelum paradisus, supra paradisum Deus. Quo autem creatura Deo pro-

19) Ion 3, 4. 20) Cf. 3 Rg 10, 1-13. 21) Cf. ibid. 3, 5-12; 2 Par 1, 7-12. 22) Cf. 1 Cor 1, 24. 23) Cf. Gn 28, 10-13. 24) Cf. Ex 36, 1 sqq. 25) Cf. ibid. 39, 1-30. 26) Cf. Dn 2, 31-33.

pinquior est, eo et nobilior; sic Angelus nobilior coelo empyreo, Archangelus Angelo, etc. Sic quaecunque perfectiora sunt entia, tanquam Deo similiora, sunt utique multo nobiliora. Christus autem Deo propinquissimus est, imo verus Deus est, quia Verbum est, *Verbum* autem *caro factum est.*[27] Homo est ratione divinae unionis factus Deo aequalis: *Ecce* ergo *plus quam Ionas... ecce plus quam Salomon hic, ecce plus quam* Moyses, quam Abraham, quam omnes Sancti, quam omnes Angeli *hic.*

Hunc misit Deus pro salute synagogae post Prophetas innumeros, sicut post innumeras stellas oritur sol in mane. Deus autem multo potentior ad salvandum est quam sol ad diem efficiendum. Christus vero Deus est *sol iustitiae;*[28] sed Hebraeis accidit sicut Aegyptiis, quibus trium dierum spatio sol diem non effecit, quem tamen Israelitis faciebat, sed nebulae tam crassae et densae operiebant Aegyptios, ut palpabiles tenebras noctemque obscurissimam eis efficerent, radios lucemque solis omnem penitus prohibentes.[29] Sic, inquam, Iudaeis Christus *sol iustitiae* diem salutis non effecit, quia, ut inquit Ioannes: *Lux in tenebris lucet, et tenebrae eam non comprehenderunt:*[30] ecce tenebrae Aegypti: *Lux venit in mundum, et dilexerunt homines magis tenebras quam lucem:*[31] ecce tenebrae quibus universa synagoga operta sepultaque erat.

et omnibus Prophetis potentior ad salvandum, et tamen synagoga salvata non fuit, quia salvari noluit.

III. *Generatio mala et adultera signum quaerit, et signum non dabitur ei, nisi signum Ionae prophetae;*[32] *Sic fiet... generationi huic pessimae.*[33] O tenebrae! *Generatio mala*, generatio *adultera*, generatio *pessima:* haec pravitas causa est damnationis; erat enim synagoga multo magis quam Ninive peccatis plena; nam Ninive quidem credidit sine miraculis, haec autem non vult sine miraculis credere: *Magister, volumus a te signum videre. Iudaei signa petunt,*[34] sicut Deus Noe signum dedit in coelo iridem, signum, inquam, pacis et misericordiae, quod non sit missurus amplius diluvium ad dissipandam terram;[35] Abraham petiit a Deo signum, in quo scire posset quod terram promissionis hereditaturus esset;[36] Gedeon duplex signum pe-

Causa ergo perditionis synagogae sua ipsius pravitas fuit.

27) Io 1, 14. 28) Mal 4, 2. 29) Cf. Ex 10, 21-23. 30) 1, 5. 31) Ibid. 3, 19. 32) Mt 12, 39. 33) Ibid. vr. 45. Vulg.: *Sic erit... generationi*, etc. 34) 1 Cor 1, 22. 35) Cf. Gn 9, 8-11. 36) Cf. ibid. 15, 7-18.

tiit a Deo de victoria contra Madianitas obtinenda;[37] Ezechias petiit ab Isaia signum de consequenda promissa sanitate.[38]

Hebraei semper vitio incredulitatis laboraverunt,

Gens hebraea laboravit semper vitio incredulitatis; hinc mittens Deus Moysen ad eos in Aegyptum dedit ei virtutem faciendi miracula propter incredulitatem eorum; ob eandem causam sancti Prophetae miracula divinitus operati fuerunt. Christus autem innumera operatus cum fuisset miracula, adhuc non vicit iudaicam incredulitatem: *Magister, volumus a te signum videre.* Non tamen qualecunque signum petunt, sed *signum de coelo,* sicut fuerunt illa quae Moyses operatus in Aegypto fuit solem Aegyptiis obscurando maximamque tempestatem in coelo commovendo,[39] quale fuit illud Iosue qui firmavit in coelo cursum solis et lunae,[40] quale fuit illud Elisei qui statim coeli serenitatem convertit in maximam tempestatem,[41] quale fuit illud Eliae qui ignem de coelo fecit descendere,[42] quale fuit illud Isaiae qui solem per decem horas fecit retrocedere in coelo.[43] *Signum de coelo quaerebant ab eo,* non tamen bona intentione ut crederent, sed *tentantes: Alii,* inquit, *tentantes signum de coelo quaerebant ab eo,*[44] quasi non possent daemones in coelo turbines et tempestates commovere humanosque oculos spectris confictis eludere. Petunt signa vana et curiosa; Christus autem semper utilia in hominum salutem operari miracula voluit sanando infirmos,[45] illuminando caecos,[46] liberando obsessos a daemonibus,[47] suscitando mortuos,[48] ad ostendendam caritatem et misericordiam suam benignitatemque, qua diabolus destitutus est et male novit agere, non bene, ad conciliandam sibi fidem et benevolentiam ex collatis beneficiis, ad ostendendum quod homines ab omni malo ad salvandum advenerat. Non concessit autem eis Christus gratiam quam petebant, eo quod male petebant: *Petitis et non accipitis, eo quod male petatis;*[49] *Magister, volumus a te signum videre,* eo quod *tentantes* petebant signum de coelo curiosum, inutile, non necessarium, sicut patres eorum in deserto petie-

et cum Christus innumera edidisset miracula,

aliud signum quaerunt ab eo vanum et curiosum, ut in eum credant;

Christus autem non concessit, quia male petebant,

37) Cf. Idc 6, 17-40. 38) Cf. 4 Rg 20, 8-11; 38, 1-8. 39) Cf. Ex 10, 21-29. 40) Cf. Ios 10, 12-13. 41) Cf. 4 Rg 3, 16-20. 42) Cf. 3 Rg 19, 38. 43) Cf. 4 Rg 20, 8-11; Is 38, 8. 44) Lc 11, 16. 45) Cf. Mt 8, 1-17; 9, 1-8. 20-22. 35; 12, 9-13. 15; 15, 21-28. 30-31; Mc 6, 5. 53-56; Lc 4, 38-40; 13, 10-17; Io 5, 1-10. 46) Cf. Mt 9, 27-30; 15, 30-31; Lc 18, 35-43; Io 9, 1-7. 47) Cf. Mt 9, 32-33; 12, 22; Mc 1, 23-26. 32-34; 2, 1-12; Lc 4, 41; 8, 27-39. 48) Cf. Mt 9, 18-25; Lc 7, 11; Io 11, 41-44. 49) Iac 4, 3.

et ut ostenderet miracula ad salutem necessaria non esse, sicut ad fidem sufficientia non sunt.

runt aquam, non quod necessaria eis esset ad sitim extinguendam, nam manna et fami et siti satisfaciebant, sed *tentantes : Est ne Deus in nobis an non?* [50] atque ut ostenderet Dominus miracula ad salutem consequendam non esse necessaria, nam Ninivitae sine miraculis conversi salvatique fuerunt; neque sunt ad fidem sufficientia et efficacia, nam Aegyptii viderunt omnia miracula, quae ibi apud eos Moyses fecit, nec tamen crediderunt, quoniam fides est donum Dei. Quod si ad credendum signum de coelo petiissent, visoque eo vere credere in Christum voluissent, profecto in passione viderunt signa de coelo, [51] nec tamen crediderunt.

Promittit tamen signum magnum se daturum quod nullam pateretur calumniam.

Sicut tamen Hebraeis Deus aquam de petra eduxit, ita Christus hodie signum promittit maximum: *Signum non dabitur ei, nisi signum Ionae prophetae,* signum resurrectionis Christi. Hoc enim signum nullam penitus calumniam pati iure poterat; nam si existimabant Christum virtute daemonum miracula operari, [52] sicut magi Pharaonis, [53] profecto si magus Christus fuisset, post mortem nihil penitus operari potuisset. Sed post mortem Christus seipsum resuscitavit occisum ac triduo mortuum et sepultum; [54] ergo divina praeditus erat virtute et potestate; solius enim divinae potestatis est mortuum suscitare. Quod si Christum Deus suscitavit, gratus igitur Deo Christus erat et divina virtute miracula operabatur, non daemonum ut magus.

idest resurrectionem suam, et tamen non crediderunt.

Quod si miraculo resurrectionis Christi minime crediderunt, nullo utique alio miraculo edito credidissent; Christi enim resurrectio inter eius miracula est sicut sol inter astra, sicut homo inter omnia opera, quae Deus fecit in terra. Ex sola igitur perfidia et cordis duritie ac caecitate non crediderunt Iudaei in Christum, atque ista quidem incredulitas causa fuit damnationis eorum.

Causae incredulitatis Iudaeorum fuerunt: a) eorum mala voluntas vitiis depravata,

IV. Incredulitatis autem huius causa fuit pravitas voluntatis vitiis et concupiscentiis carnis corruptae ac depravatae: *Generatio mala et adultera, mala* quoad se, *adultera* quoad Deum, qui synagogam sibi per fidem et iustitiam desponsaverat. [55] Hinc peccata

50) Ex 17, 7. Vulg.: *Est ne Dominus*, etc. 51) Cf. Mt 27, 45-52. 52) Cf. ibid. 9, 34; 12, 24-27; Mc 3, 22. 53) Cf. Ex 7, 11. 22; 8, 18. 54) Cf. Mt 28, 1-10; Mc 16, 1-14; Lc 24, 1-12; Io 20, 1-18. 55) Cf. Os 2, 19-20.

letalia in Divinis Litteris *fornicationes* et *adulteria* [56] dicuntur, quoniam sicut mala mulier est quae viro suo fidem frangit aliumque amatorem admittit, sic anima Deo per fidem desponsata quotiescunque aliquid supra Deum diligit vel aeque ut Deum, alium sibi deum facit, alium amasium admittit adulteriumque committit. Hinc Christus ait: *Generatio mala et adultera signum quaerit.* Haec malitia et spirituale adulterium incredulitatis causa erat. Hinc Christus ait: *Quomodo . . . potestis credere, qui gloriam ab invicem accipitis, et gloriam, quae a . . . Deo est, non quaeritis?* [57] Fides enim a voluntate etiam vel maxime dependet, hinc enim iis, quibus bene affecti sumus et de quibus optime sentimus, facillime credimus.

b) eorum impoenitentia,

Alia causa damnationis aeternae Iudaeorum fuit illorum impoenitentia: *Viri Ninivitae surgent in iudicio contra generationem istam, quia poenitentiam egerunt in praedicatione Ionae; et ecce plus quam Ionas hic;* [58] poenitentia autem ad salutem necessaria est: *Poenitentiam agite, appropinquavit enim regnum coelorum;* [59] *Nisi poenitentiam egeritis, similiter omnes peribitis.* [60]

c) contemptus verbi Dei et Evangelii

Alia adhuc causa spernere verbum Dei et Evangelii divinaeque sapientiae praedicationem: *Regina Saba surget in iudicio contra generationem istam et condemnabit eam, quia venit a finibus terrae audire sapientiam Salomonis; et ecce plus quam Salomon hic.* [61] Alibi Iudaeis Dominus dixit: *Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi? Qui ex Deo est, verba Dei audit; propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.* [62] Contempsit synagoga Christi sapientiam atque doctrinam, et propterea iure damnata est, nam: *Beati qui audiunt verbum Dei et custodiunt illud.* [63]

d) et gratiae Legis Veteris, in cuius fide salvari poterant,

Adhuc alia causa est, post acceptam Spiritus Sancti gratiam iterum *locum dare diabolo:* [64] *Cum . . . immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida* et inaquosa *quaerens requiem, et non inveniens . . . dicit: Revertar in domum meam unde exivi. Et veniens invenit eam . . . scopis mundatam et ornatam. Tunc vadit et assumit secum alios septem spiritus nequiores se, et ingressi habitant ibi, et*

56) Cf. Ier 13, 27; Ez 16, 14 sqq.; 23, 1 sqq.; 43, 7. 9; Os 4, 10-18; 7, 4; 9, 1. 57) Io 5, 44. 58) Mt 12, 41. Vulg.: *Cum generatione ista*, etc. 59) Ibid. 3, 2; 4, 17. 60) Lc 13, 5. Vulg.: *Si poenitentiam non egeritis omnes similiter peribitis.* 61) Mt 12, 42. Vulg.: *Regina Austri . . . cum generatione ista*, etc. 62) Io 8, 46-47. 63) Lc 11, 28. 64) Eph 4, 27.

fiunt novissima hominis illius peiora prioribus. Sic erit generationi huic pessimae.[65] A generatione, inquit, ista pulsus fuit divina virtute diabolus per fidem et sacramenta Veteris Legis, cum educta ex Aegypto fuit; sed quoniam per incredulitatem et perfidiam suam iterum dedit diabolo locum, damnata multo graviores poenas procul dubio luet.

Accidit enim ut quemadmodum si homo a potentiori aliquo sua eiciatur a domo, in qua iucundissime habitabat, non habens aliam in qua habitare possit domum, necesse est ambulare illum per loca arida et inaquosa ad quaerendam sibi honesto loco decentem mansionem ; quod si non inveniat, revertitur utique ad videndum si pristinam possit recuperare habitationem. Quod si usuvenerit ut eam vacantem inveniat, quasi domum locandam ad recipiendum quemvis hospitem habitatoremque paratam,[65a] illam ingressus iterum inhabitat studens ne ex ea iterum expelli possit. Sic, inquit, diabolus ab aliquo homine divina virtute expulsus per gratiam Spiritus Sancti, vadit ad quaerendam sibi aliam habitationem ; quod si aptam minime inveniat, revertitur ad tentandum si possit rehabere priorem. Quod si inveniat vacantem, otiosum hominem, qui bonis operibus, sanctis virtutibus divinoque cultui minime satagat operam dare, quamvis scopis mundata et ornata sit domus, ante recidivum et prolapsum in letale peccatum – quoniam iustificatus semper iustus manet quousque per letale peccatum iustitiam illam amittat, unde dicitur domus scopis mundata a vitiis letalibusque peccatis et ornata virtutibus bonorumque operum meritis, – si tamen otio incipiat homo acediaque torpescere, coelesti destitutus consolatione ac spiritus fervore, tunc diabolus *vadit et assumit septem alios spiritus . . . nequiores se et ingressi* per letale peccatum *habitant ibi* multo securius quam prius, *et fiunt novissima hominis illius peiora prioribus. Sic,* inquit, *erit . . . generationi huic pessimae,* eo quod [ob] infidelitatem ac perfidam incredulitatem suam iterum dedit locum diabolo. Sicut etiam corporaliter videmus in captivitate Iudaeorum praesenti ; haec enim multo est miserabilior ac diuturnior quam captivitas illa babylonica,[66] et babylonica multo fuit miserabilior quam aegyptiaca ;[67] in ea enim

r) et desideria in exercendis virtutibus,

qua in peiorem diaboli servitutem ceciderunt

et in perfidam incredulitatem;

65) Mt 12, 43-45. Vulg.: *Et non invenit . . . alios septem spiritus secum . . . et intrantes habitant ibi*, etc. 65a) Ms.: *Quasi domus locanda . . . parata.* 66) Cf. 4 Rg 24, 10-25, 1-11; 2 Par 36, 6 sqq. 67) Cf. Ex 1, 9 sqq.; 5, 1 sqq.

multo maioribus[68] bonis privati, multo gravioribus malis fuerunt affecti.

f) postrema tandem, defectus caritatis ac bonorum operum.

Postrema vero causa damnationis huius est defectus caritatis ac bonorum operum, defectus observantiae divinae legis. Hinc hodie Dominus dicenti: *Ecce mater tua et fratres tui foris stant quaerentes loqui tibi,*[69] respondit: *Quae est mater mea et qui sunt fratres mei?... Quicunque... fecerit voluntatem Patris mei, qui in coelis est, ipse meus frater et soror et mater est.*[70] Mater Christi secundum carnem synagoga est, fratres Iudaei: hi foris stant extra Ecclesiam, extra salutis statum, extra arcam Noe; quaerunt loqui Christo: adhuc verum Messiam expectant; Christus autem spernit eos eo quod non faciant voluntatem Dei, divinam legem minime servent: *Quicunque... fecerit voluntatem Patris mei, qui in coelis est, ipse meus frater et soror et mater est.*

His causis synagoga reprobata fuit et eius loco Ecclesia Gentium electa.

Sic ob causas has omnes misera et infelix synagoga damnata et reprobata est. Quam quidem reprobationem in spiritu praevidens Ionas recusabat ire ad praedicandum in Ninive,[71] sciebat enim quod Gentium salus futura erat Iudaeorum perditio, illarum electio horum reprobatio, aedificatio templi Salomonis destructio tabernaculi Moysi; quod, nato Isaac, eiciendus erat Ismael;[72] quod, dilecto ac benedicto Iacob, Esau odio habendus ac maledicendus erat;[73] quod, facta fecunda Anna, filiis privanda orbandaque erat Phenenna;[74] quod, uncto electoque David, reprobandus ac abiciendus erat Saul;[75] quod, illuminato hemisphaerio poloque antarctico per solis accessum ad australia signa, in tenebris relinquendus erat arcticus polus per solis eiusdem cum sua luce discessum.

Timendum autem nobis est ne iisdem causis in eandem ruinam incidamus.

V. Sed, o fratres, si ex praedictis causis damnata est synagoga Iudaeorum, reprobatus populus ille Deo tam carus, tam dilectus, tam electus, si incredulitas causa est damnationis, quis nostrum vere, ut par est, credit? Si malitia cordis est[76] spirituale adulterium, quis nostrum non male agit, non adulterat, non sua idola colit? Si impoenitentia, quis nostrum vere poenitentiam agit? Si verbi

68) Ms.: *Maioris*. 69) Mt 12, 47. Vulg.: *Quaerentes te*. 70) Ibid. vv. 48-50. 71) Cf. Ion 1, 3. 72) Cf. Gn 21, 9-10; Gal 4, 29-30. 73) Cf. Mal 1, 1-3; Rom 9, 13. 74) Cf. 1 Rg 1, 1-2, 1-5. 75) Cf. ibid. 13, 13-14. 76) Ms.: *Et*.

Dei contemptus, quis nostrum non divinum istud manna cum impiis Hebraeis fastidio et nauseae habet? [77] Si *locum dare diabolo*, bone Deus, quis nostrum diabolicis tentationibus resistit? Si defectus bonorum operum et voluntatis divinae faciendae incuria, quis nostrum curat, quis studet, quis satagit divinam voluntatem, divinam legem, divina praecepta, ut par est, adimplere?

Mihi quidem omnes lucernae in templo Dei videntur extinctae; et tamen unumquodque horum ad salutem adeo necessarium est, ut si unum tantum desit, actum sit de omnibus: Si quis *offendat... in uno, factus est omnium reus.* [78] Audite, audite, quid Christus hodie dicat: *Quae est mater mea et qui sunt fratres mei?* Si mater Christi, Sanctissima Virgo Maria domina et regina nostra, in uno horum defecisset, salvata minime, sed damnata utique fuisset; si, inquam, divinam voluntatem non fecisset, si divinam legem minime servasset. Et nos, o fratres, divinam iustitiam non timemus?

quarum una tantum sufficit ad nos perdendos,

Causamur impotentiam, infirmitatem carnis, fragilitatem mentis, spiritus debilitatem; sed *viri Ninivitae surgent in iudicio* contra nos *et condemnabunt* nos; *regina Saba surget* contra nos *et condemnabit* nos, quoniam illi quoque homines erant similes nobis, et omnes Sancti homines fuerunt similes nobis. Tu dicis: Non possum continentiam servare; *surgent* contra te in iudicio omnes sancti Religiosi continentes, omnes sanctae Virgines. Tu dicis: Non possum ieiunare et poenitentiam agere macerando carnem; *surgent* contra te omnes sancti eremitae, monachi, anachoritae, qui asperrimam poenitentiam cum Ioanne Baptista [79] in desertis egerunt. Sic omnes Sancti in iudicio *surgent* contra omnes peccatores *et condemnabunt* eos. O fratres, o fratres, et nos de numero esse volumus damnatorum? Heu nos miseros! De numero horum scribarum et Pharisaeorum in hodierno Evangelio volumus esse?

et sine excusatione erimus, quia omnes Sancti homines similes nobis fuerunt.

VI. *Magister, volumus a te signum videre.* Quaerebant miraculum minime necessarium et ob id noluit Christus dare postulatum signum. Nos autem omnes similia miracula quaerimus. Nunquid non verum est? Unicum spei nostrae refugium ac peccatorum omnium

Conversio differenda non est ad horam mortis,

77) Cf. Nm 11, 4-7. 78) Iac 2, 10. 79) Cf. Mt 3, 1-4; Mc 1, 4-6.

veluti portus est finalis poenitentia in extrema mortis hora, ut cum latrone beato salvemur. [80] Sed salus illa latronis vel maximum fuit omnium miraculorum Christi, ut tunc homo ille in Christum crederet, [81] quando Apostoli omnes a fide defecerunt propter scandalum crucis Christi. [82] Omnes igitur per miraculum salvari volumus, omnes non necessaria miracula quaerimus. Sed, quaeso, frater, audi: unum tantum salvatum sic legimus in spiritu, multos autem a Deo salvatos in corpore. Sustentavit Deus Moysen duabus et forte etiam tribus quadragesimis, [83] sine omni penitus corporali cibo; sustentavit Hebraeos, gentem innumerabilem, [84] quadraginta annis in deserto absque omni labore, pluens eis quotidie panem de coelo. [85] Eia, igitur, fac et tu similiter: ne comedas, ne bibas, sine ut te Deus absque omni cibo per miraculum sustentet, aut panem de coelo quotidie pluat, [86] vel per corvum mittat, sicut quotidie mittebat Eliae, [87] quem etiam quadraginta diebus sine cibo sustentavit, [88] sicut et Christum. [89] Legimus quod Christus multos caecos illuminavit, multos mortuos suscitavit: vade, erue tibi oculos, ut te Christus illuminet; occide teipsum, ut te Christus resuscitet. Ah! non quaeris ista miracula, cur quaeris, ergo, absque ulla necessitate in morte miraculum? Non vult Christus miracula sine necessitate facere. Ah! igitur cognosce, cognosce, frater, diabolicas fraudes, dolos, deceptiones laqueosque diaboli. Nam Christus ait: *Generatio* haec *mala et adultera signum quaerit, et signum non dabitur ei, nisi signum Ionae prophetae.* Pro salute nostra sufficit passio Christi, mors Christi, resurrectio Christi, gratia Sacramentorum Christi, Evangelium Christi, observantia legis Christi.

hoc enim esset miraculum non necessarium a Deo petere,

quod utique Deus non faciet, quia ad salutem nostram iam alia media sufficientia dedit.

VII. His autem sex rationibus praedictis, ob quas synagoga reprobata est, apud Divum Lucam adhuc septima additur: *Nemo,* inquit Dominus, *lucernam accendit et in abscondito ponit aut*

Alia causa reprobationis synagogae

80) Cf. Lc 23, 39-43. 81) Ms.: *Crederent.* 82) Cf. Mt 26, 56; Mc 14, 50-52. 83) Iuxta Hebraeos, Lyranum, Caietanum, Iansenium aliosque, tres sunt quadragesimae ieiunii Moysi: una cum primas tabulas accepit, cf. Ex 24, 18; alia cum accepit secundas tabulas, cf. ibid. 34, 28; tertia vero quando procidit coram Deo deprecans propter peccata populi, cf. ibid. 32, 30-31; Dt 9, 18. Alii vero catholici interpretes duas primas tantum quadragesimas dierum esurialium admittunt. Cf. Aug. Calmet *Comment. in Exodum*, cp. 34, 28. 84) Cf. Ex 12, 38. 85) Cf. ibid. 16, 35. 86) Ms.: *De coelo* repetitur. 87) Cf. 3 Rg 17, 3-6. 88) Cf. ibid. 19, 4-8. 89) Cf. Mt 4, 2.

sub modio, sed supra candelabrum, ut qui ingrediuntur lumen videant. Lucerna corporis tui est oculus tuus; si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit; si autem nequam fuerit, etiam corpus tuum tenebrosum erit. [90] Est, inquit, oculus in corpore sicut lucerna accensa ad illuminandam domum obscuram; intellectus autem in anima est sicut oculus in corpore. Oculus datus est homini ad videndum lumen, sic intellectus ad cognoscendum verum. Ad videndum autem, puto, opus est oculo; sic, puto, intellectu ad cognoscendum verum, ne sit intellectus affectus ignorantia pravae affectionis; sic enim est veluti oculus obcaecatus, qui lumen videre non potest. Sic affectio rerum terrenarum obfuscat atque obscurat mentem nostram mentique densam caliginem tenebrasque obfundit. Sic Dominus dicere vult quod ignorantia pravae affectionis Iudaeis in causa ruinarum fuit atque haec eos extra Ecclesiam detinet.

fuit amor terrenorum, qui mentem excaecat et causa fit omnium malorum;

Quoniam vero ignorantia haec omnium est causa malorum, subiungit Christus: *Vide ergo ne lumen, quod in te est, tenebrae sint. Si ergo corpus tuum... lucidum erit,* idest illuminatum, *erit lucidum totum,* idest totum lumine respersum, *et sicut lucerna fulgoris illuminat te.* [91] Sicut enim lucerna nimium ardens claro lumine splendens ut sol totum corpus illuminat, sic intellectus veritatis luce illustratus totam hominis vitam luce virtutis illustrat. Voluntas enim, quae bonum suapte natura diligit atque desiderat, lumen intellectus sequitur, et quod intellectus bonum iudicat, ipsa affectu prosequitur.

sicut enim intellectus luce veritatis illustratus totam hominis vitam virtuosam reddit,

Multi sunt autem qui depravato mentis affectu nolunt intelligere veritatem; quare hi frustra videntur accepisse intellectum a Deo et accensam lucernam sub modio et in abscondito posuisse, sicut avari, qui thesaurizare sibi statuerunt in terra, nolunt intelligere quam bonum sit per eleemosynas thesaurizare sibi in coelo. [92] Sic intemperatus non vult intelligere castitatis decus, honoris cupidus gloriam humilitatis. Iudaeis autem Dominus dixit: *Quomodo potestis credere, qui gloriam ab invicem accipitis, et gloriam, quae a solo Deo est, non quaeritis?* Ambitione igitur et avaritia depravata mens Iudaeorum Christum minime cognovit et hinc reprobata est.

ita pravus intellectus pravam efficit animam, ut pulcritudinem virtutis non videat nec eam sequatur.

90) 11, 33-34. Vulg.: *Neque sub modio,* etc. 91) Ibid. vrr. 35-36. Vulg.: *Lucidum fuerit..., erit... illuminabit te.* 92) Cf. ibid. 6, 19-20.

Hoc est quod iam Isaias de populo hebraeo prophetaverat, et Christus de synagoga.

Hoc est quod Isaias ait: *Israel... me non cognovit... populus meus non intellexit. Vae genti peccatrici*, etc. [93] Sic praedicit miserabilem captivitatem, quam infelix synagoga nunc patitur: *Ideo captivus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam*, [94] quia Christum non cognovit. Hinc Christus praedicens Ierosolymae excidium ait: *Eo quod non cognoveris tempus visitationis tuae; [95] Quia si cognovisses et tu... quae ad pacem tibi.* [96] Haec autem ignorantia non fuit purae negationis, sed pravae affectionis. Sic ignorantia pravae affectionis nunc omnes infideles damnat omnesque haereticos, nec non et malos christianos ignorare volentes doctrinam christianam et mandata Dei, qui acceperunt in vanum animam suam, ideo non ascendent in montem Domini neque stabunt in loco sancto eius. [97]

Ergo cum timore salutem nostram operemur.

Attendamus igitur nobis, fratres, et cum timore ac tremore salutem nostram operemur, [98] nec expectemus a Domino miraculum ut salvemur, quia Deus non facit miracula absque necessitate. Hinc hodie Christus Pharisaeos miracula non necessaria petentibus cum obiurgatione denegavit: *Generatio mala et adultera signum quaerit et signum non dabitur ei.* Mementote quod Esau non invenit poenitentiae locum, quamvis cum lacrimis exquisisset eam, quoniam vilissimo pretio vendidit primogenituram suam, [99] unde merito privatus postea fuit paterna benedictione, qua donatus fuit Iacob, qui primogenituram emerat. [100]

Christus maiorem se dicit Iona et Salomone, quia maior est omnibus creaturis.

VIII. *Ecce plus quam Ionas hic... ecce plus quam Salomon hic.* Seipsum hodie Dominus Ionae et Salomoni comparat illisque superiorem esse se dicit, quoniam utique Deus maior est homine, creator creaturis, dominus servis, dux militibus, pater filiis, magister discipulis; nec tantum ut Deus, sed etiam ut homo Christus noster Iona omnibusque Prophetis et Salomone omnibusque regibus infinitis gradibus superior fuit.

Magnus fuit Ionas sanctitate et spiritu prophetiae;

In Iona quidem duo dona Dei considerantur: donum gratiae gratum facientis et sanctificantis, nam vir utique sanctus erat, plenus fide et caritate, et donum gratiae gratis datae, spiritus prophetiae,

93) 1, 3-4. 94) Ibid. 5, 13. Vulg.: *Propterea captivus*, etc. 95) Lc 19, 44. 96) Ibid. vr. 42. 97) Cf. Ps 23, 3-4. 98) Cf. Phil 2, 12. 99) Cf. Gn 25, 30-34. 100) Cf. ibid. 27, 27-40.

divino enim Spiritu afflatus futura praedicebat: *Adhuc quadraginta dies et Ninive subvertetur.* [101] In Salomone item duo considerantur: regia potestas, fuit enim rex gloriosissimus, ditissimus et felicissimus totius israelitici regni, et sapientia divina, quae illi coelitus data fuit in adolescentia sua, non enim fuit sapientia eius humanitus acquisita, sed divinitus inspirata. [102]

magnus Salomon regia potestate et sapientia;

Sed: *Ecce plus quam Ionas hic... ecce plus quam Salomon hic; plus quam Ionas* quoad gratiam: *Verbum caro factum est... plenum gratiae et veritatis... et de plenitudine eius nos omnes accepimus... gratiam pro gratia, quia lex per Moysen data est, gratia et veritas per Iesum Christum facta est;* [103] quoad prophetiam: *Propheta magnus surrexit in nobis;* [104] *Hic est* ille *propheta, qui venturus est in mundum;* [105] *Hic est Iesus propheta;* [106] *Qui fuit vir propheta potens in opere et sermone coram Deo et omni populo.* [107] *Ecce plus quam Ionas hic.* Vaticinatus fuit Ionas subversionem Ninive, sed non fuit adimpletum vaticinium ipsius; vaticinatus fuit hodie Christus destructionem synagogae, et adhuc hisce oculis subversionem huius Ninive videmus. Sic exaruit hedera, קִיקָיוֹן, [108] Ionae, *umbraculum* ipsius, corrosa radice eius a vermiculo praeparato a Deo: [109] *Ego... sum vermis et non homo,* [110] ait Christus. *Ecce plus quam Ionas hic.*

sed maior Iona Christus, quoad gratiam et prophetiam, quia ipse est Verbum Dei caro factum:

Et *ecce plus quam Salomon hic.* Quoad regiam potestatem, quoniam inquit: *Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra;* [111] *Rex regum et Dominus dominantium;* [112] *Dedit illi nomen quod est super omne nomen, ut in,* etc.; [113] quoad sapientiam: *In quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae* [114] Dei, quae quidem sapientia data fuit Christo non in adolescentia ut Salomoni, sed in primo instanti conceptionis, in incarnatione Verbi, facta anima Christi beata per beatificam visionem Dei: *Ecce plus quam Salomon hic.*

maior etiam Salomone potestate et sapientia, quia ipse est Rex regum et sapientia Dei.

Ionae et Salomoni se comparat hodie Christus, quia simul propheta et rex erat, sicut Melchisedech rex et sacerdos; [115] sed prius Ionae quam Salomoni sese comparavit, quia prius munere Ionae

Comparat autem se Ionae et Salomoni,

101) Ion 3, 4. 102) Cf. 3 Rg 3, 5-13. 103) Io 1, 14-17. 104) Lc 7, 16. 105) Io 6, 14. 106) Mt 21, 11. 107) Lc 24, 19. 108) Ms.: *Kikaion.* 109) Cf. Ion 4, 6-7. 110) Ps 21, 7. 111) Mt 28, 18. 112) 1 Tim 6, 15; Apc 19, 16. 113) Phil 2, 9-10. Vulg.: *Donavit illi, etc.* 114) Col 2, 3. 115) Cf. Gn 14, 18; Hebr 7, 1-2.

quia simul propheta et rex erat;

quam munere Salomonis fungi voluit, prius munere Prophetae quam regis; voluit enim in mundo hoc propheta esse et poenitentiae praedicator; in coelo rex et omnis felicitatis possessor atque largitor; prius Ionas praedicator ponitentiae verbo et opere, imo factis prius quam dictis: prius quadraginta diebus ieiunavit, [116] deinde poenitentiam praedicavit dicens: *Poenitentiam agite, appropinquavit enim regnum coelorum.* [117]

et sicut Ionas signum fuit Ninivitis, sic Christus universo mundo.

Sicut... fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus, sic erit Filius hominis in corde terrae tribus diebus et tribus noctibus. [118] Lucas ait: *Sicut fuit Ionas signum Ninivitis, ita erit et Filius hominis generationi isti.* [119] Voluit Deus ut Ionas tribus diebus in ventre ceti maneret ac deinde vivus redderetur et praedicaret, [120] ut manifestum signum Ninivitis esset quod vere missus erat a Deo. Sic Christus tribus diebus mansit in sepulcro, [121] ut resurgens postea signum esset mundo quod vere missus esset a Deo verus propheta et sanctus Dei.

Hinc patet quanto desiderio salutis nostrae Deus teneatur, qui talem poenitentiae praedicatorem in mundum misit.

IX. Hinc autem videre licet, fratres, quali quantoque salutis nostrae desiderio teneatur Deus, qui talem tantumque praedicatorem misit ad praedicandam nobis salutarem poenitentiam et ad docendum nos coelestem sapientiam: *Ecce plus quam Ionas hic... ecce plus quam Salomon hic;* misit in mare aureum hamum cum aureo filo ad capiendum aliquem piscem, ad salvandum aliquem hominem, nam pauci sunt qui salvantur; imo quali quantaque caritate nos prosequatur Christus, qui tanquam Ionas [122] sua sponte voluit in amarissimum mare deici passionis et a morte devorari pro salute nostra ne nos periremus, sed salvarentur omnes [123] qui erant in navi, omnes fideles in arca Noe, [124] in navi Ecclesiae. Ne igitur nos tum Dei tum Christi caritatem spernamus, nam Christus sic dilexit nos ut pro nobis seipsum morti exponeret. *Maiorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis;* [125] Deus autem *sic... dilexit mundum ut Filium suum unigenitum daret.* [126]

116) Cf. Mt 4, 2. 117) Ibid. vr. 17. 118) Ibid. 12, 40. 119) 11, 30. 120) Cf. Ion 2, 1-3, 1 sqq. 121) Cf. Mt 27, 57-28, 1-7; Mc 15, 42-16, 1-6; Lc 23, 50-24, 1-6; Io 19, 38-20, 1-9. 122) Cf. Ion 1, 12. 123) Ms.: *Omne.* 124) Cf. Gn 7, 23. 125) Io 15, 13. 126) Ibid. 3, 16.

Agamus, agamus igitur, fratres, poenitentiam ad praedicationem huius nostri Ionae, nam poenitentiam nobis ante omnia praedicavit: *Poenitentiam agite, appropinquavit enim regnum coelorum.* Si nos cum Christo volumus frui felicitate Salomonis, faciamus prius cum eo poenitentiam Ionae. Ecce felicitas Salomonis: regnum coelorum; sed ecce praedicatio et vita Ionae: *Poenitentiam agite.* Voluit Christus vigiliam prius et postea festum celebrare, vigiliam in hac vita, festum autem in aeterna vita. Agamus et nos sic.

Agamus ergo prius poenitentiam cum Christo, si volumus cum eo frui aeterna felicitate.

II. ALIA HOMILIA

Accesserunt ad Iesum scribae et Pharisaei ab Ierosolymis dicentes: Magister, volumus a te signum videre. [1]

I. Sicut Moyses multis signis in Aegypto probavit se missum a Deo, Deus enim cum eum mitteret promisit se futurum secum docturumque eum: *Ego ero tecum et docebo te quid loquaris,* virtutemque divinam contulit ad facienda miracula: *Virgam . . . hanc sume in manu tua, in qua facturus es signa;* [2] sic hodie Iudaei a Christo signa petunt, quibus se probet vere missum a Deo. A Prophetis enim duo expectabant Iudaei: revelationem mysteriorum fidei divinorumque arcanorum et operationem miraculorum ad demonstrandam fidei veritatem eamque comprobandam, sicut regiae litterae regiis sigillis comprobantur; atque haec duo signa lex praescribit ad cognoscendum verum prophetam. [3] Hoc est quod a Christo hodie scribae et Pharisaei petunt; signa autem non qualiacunque, sed coelestia petunt, sic enim Moyses multa fecit signa in coelo. [4]

Duo erant signa veri prophetae: revelatio divinorum arcanorum et operatio miraculorum.

Dominus autem ostendit hodie non solum verum se esse prophetam, sed etiam summum et maximum Prophetarum: *Ecce plus quam Ionas hic . . . ecce plus quam Salomon hic.* [5] Et hoc quidem quoad utrunque, quod a propheta in signum requiritur an sit verus propheta. Si a propheta miraculum supernaturale requiritur, susci-

Christus autem hodie ostendit se maximum Prophetarum esse.

1) Mt 12, 38. Cf. supra, not. 7 praec. hom., pag. 331. 2) Ex 4, 12. 17. Vulg.: *Ego ero in ore tuo, doceboque, etc.* 3) Cf. Dt 18, 22. 4) Cf. Ex 9, 18-25; 10, 21-29; 16, 11 sqq. 5) Mt 12, 42.

tare mortuos supernaturale est opus. Hinc vidua sareptana cognovit Eliam verum esse prophetam Dei, quia mortuum filium ipsius suscitavit; [6] Eliseus autem magnum miraculum fecit, nam non solum vivus, ut Elias, mortuum suscitavit filium mulieris sunamitidis, [7] sed etiam mortuus suscitavit hominem occisum, [8] quod multo maius est.

Mortuum suscitare magnum miraculum est;

Datur igitur in miraculis ut hoc quidem sit maius, illud vero minus. Magnum fuit miraculum quod Isaias fecit sanando Ezechiam infirmum, [9] maius quod Elias vivus mortuum suscitavit, maius et mirabilius quod Eliseus mortuus occisum hominem revocavit ad vitam, et vix in Divinis Litteris Veteris Instrumenti maius eo miraculo legimus. Christus autem multos sanavit infirmos, [10] multos suscitavit mortuos vivus, [11] multos mortuus, nam, eo moriente, *multa corpora sanctorum, qui dormierant, surrexerunt;* [12] et tandem, quod maximum omnium est, seipsum suscitavit occisum. Hoc est signum quod ait: *Et signum non dabitur ei, nisi signum Ionae prophetae; sicut enim fuit Ionas tribus diebus et tribus noctibus in ventre ceti, sic erit Filius hominis in corde terrae.* [13] Et sicut fuit Ionas signum Ninivitis, sic Christus, ac sicut Ionas egressus de ventre piscis praedicavit Ninivitis poenitentiam eosque ad Dei cognitionem cultumque perduxit, [14] sic Christus post mortem suam universum mundum ab idololatria ad Dei cultum perduxit.

Christus autem et vivus et mortuus multos suscitavit, et seipsum suscitavit occisum,

Hoc igitur maximum summumque est omnium miraculorum, omnia excedens Prophetarum miracula. Hoc miraculum est quod iure nullam pati potest calumniam ac per seipsum sufficiens est ad convertendum universum mundum, quod homo mortuus seipsum suscitet, et ad vitam immortalem atque sempiternam. Totus mundus non potest mortuum suscitare, non sufficit vis universae naturae creatae; et Christus potuit semetipsum.

quod maximum est miraculum

Vere igitur dicere potuit Dominus: *Ecce plus quam Ionas hic... ecce plus quam Salomon hic. Ecce plus quam* omnes Prophetae *hic,* quia nullus Prophetarum talia est operatus miracula. Hoc miraculum

et nullus Prophetarum patrare potuit.

6) Cf. 3 Rg 17, 17 sqq. 7) Cf. 4 Rg 4, 18-37. 8) Cf. Ibid. 13, 20-21. 9) Cf. ibid. 20, 1-11; Is 38, 1-8. 10) Cf. Mt 8, 1-17; 9, 1-8. 20-22. 27-30. 35; 12, 9-13. 15; 15, 21-28. 30-31; Mc 6, 5. 53-56; Lc 4, 38-40; 13, 10-17; 18, 35-43; Io 5, 1-10. 11) Cf. Mt 9, 18-25; Lc 7, 11; Io 11, 41-44. 12) Mt 27, 52. 13) Ibid. 12, 39-40. Vulg.: *In ventre ceti tribus diebus*, etc. 14) Cf. Ion 2, 11-3, 1-4.

sol est inter omnia astra firmamenti : *Solvite templum hoc et in tribus diebus excitabo illud ;* hoc autem dixit *de templo corporis sui.*[15] Hoc signum est solari luce multo clarius probans Christum Dominum nostrum et verum esse prophetam et verum esse Messiam Prophetis omnibus maiorem.

II. Similiter quoad alterum, si a propheta requiritur coelestis doctrina divinaque sapientia : *Ecce plus quam Ionas hic . . . ecce plus quam Salomon hic.* Non docuit quidem Christus vanam inutilemque doctrinam inanis philosophiae, physicam, metaphysicam, mathematicam, astrologiam, sicut nec miracula vana et inutilia facere voluit, quamvis requisitus hodie esset a scribis et Pharisaeis, ut signa in coelo faceret ; sed sicut utilia hominibus signa facere voluit : *Caeci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt,*[16] sic utilem doctrinam populis semper proposuit suosque discipulos docuit : *Ego . . . Deus . . . docens te utilia.*[17]

Maximus quoque propheta ostenditur hodie Christus sapientia coelesti

Hoc munus Prophetarum erat : arguere peccata populi hominesque ad Deum timendum et colendum perducere futuraque secundum rationem divinae praescientiae praesago corde vaticinari, atque in terris ducere vitam coelestem. Sic Christus hodie arguit peccata populi : *Generatio mala et adultera signum quaerit ;*[18] cupit ut omnes faciant voluntatem Dei : *Quicunque . . . fecerit voluntatem Patris mei, qui in coelis est, ipse meus frater et soror et mater est.*[19]

et praedicatione

Praedicit hodie multa : primo passionem et resurrectionem suam in figura Ionae, mundique conversionem ad viam iustitiae in poenitentia Ninivitarum ; quod Christus ipse gentibus futurus esset miraculum, sicut Ionas Ninivitis ; praedicit futurum universale iudicium atque in eo salutem multarum gentium ac damnationem Iudaeorum propter incredulitatem eorum et impoenitentiam : *Viri Ninivitae surgent in iudicio cum generatione ista et condemnabunt eam, quia poenitentiam egerunt in praedicatione Ionae ; et ecce plus quam Ionas hic. Regina Austri surget in iudicio cum generatione ista et condemnabit eam, quia,* etc.[20]

et futurorum praedictione,

Sic praedicit quod omnes impoenitentes ac spernentes divinum

15) Io 2, 19-21. 16) Mt 11, 5; Lc 7, 22. 17) Is 48, 17. 18) Mt 12, 39.
19) Ibid. vr. 50. 20) Ibid. vrr. 41-42.

praesertim circa impoenitentiam et reprobationem synagogae,

verbum statuendi sunt in die iudicii ad sinistram Christi, maledicendi atque damnandi, salvandi autem omnes vere poenitentes et divinam legem servantes ; praedicit synagogae miserabilem captivitatem multo peiorem quam fuerit captivitas Aegypti,[21] exemplo daemoniaci liberati, sed qui in vires et possessionem diaboli iterum devenit : *Et fiunt novissima hominis illius peiora prioribus ; sic,* inquit, *erit... generationi huic pessimae.*[22] Liberata ex Aegypti servitute synagoga erepta fuit de potestate diaboli, cui serviebat colens idola,[23] liberata autem fuit suscipiens fidem, cultum et legem Dei sub Moyse ; nunc autem et fidem et cultum et legem veri Dei amisit nolens credere in Christum, quae a septem nequioribus spiritibus malignis infelix possidetur et inhabitatur. Haec autem omnia Christi vaticinia luce clarius cernimus evenisse, praeter quam universale iudicium, quod in novissimo die saeculi futurum esse praedixit.[24] Vidimus Christi passionem et resurrectionem, videmus Gentium conversionem et totius synagogae Iudaeorum subversionem.

quae semel liberata de potestate diaboli per legem Moysi, fidem Christi suscipere noluit;

Et tandem vita ostenditur Christi tota spiritualis et ab omni carnis affectione aliena. Hinc enim hodie cum, praedicante ipso, quidam dixisset ei : *Ecce mater tua et fratres tui foris stant quaerentes loqui tibi,* respondit : *Quae est mater mea et qui sunt fratres mei ? Et extendens manus in discipulos suos dixit : Ecce mater mea et fratres mei. Quicunque... fecerit voluntatem Patris mei qui in coelis est, ipse meus frater et soror et mater est.*[25] Nulla, inquit, teneor carnali et mundana affectione, sed tantum spirituali et divina, eos tantum diligo et amore prosequor tanquam mihi coniunctissimos consanguineos et amicos, qui Deo sunt grati divinamque semper voluntatem adimplent. Hinc igitur constat Christum non solum esse verum prophetam, sed summum maximumque Prophetarum principem, hierarcham et coryphaeum.

maximus tandem sanctitate vitae.

III. Dicetis : Nos quidem credimus plena fide talem esse Christum : ad quid haec nobis exposuisti ? O nos, fratres, ter quaterque beatos, si plena fide haec crederemus ! Ninive credidit Ionae dicenti : *Adhuc*

si ergo talem eum vere credimus.

21) Cf. Ex 1, 9 sqq.; 5, 1 sqq. 22) Mt 12, 45. 23) Cf. Ios 24, 14; Ez 23, 3-21.
24) Cf. Mt 24, 1-31; 25, 31 sqq. 25) Ibid. 12, 47 sqq. Vulg.: *Quaerentes te... extendens manum,* etc.

quadraginta dies et Ninive subvertetur,[26] credens autem fecit arctissimam poenitentiam;[27] Christus autem – *ecce plus quam Ionas hic,* – praedicat nobis poenitentiam: *Nisi poenitentiam egeritis, similiter omnes peribitis;*[28] *Poenitentiam agite, appropinquavit enim regnum coelorum;*[29] *Omnis arbor quae non facit fructum bonum,* dignos poenitentiae fructus,[30] *excidetur et in ignem mittetur.*[31] Si credimus nos Christo, sicut Ninivitae Ionae prophetae, ubi est poenitentia Ninivitarum apud nos? Ah fratres! *Viri Ninivitae surgent in iudicio* contra nos *et condemnabunt* nos, *quia poenitentiam egerunt in praedicatione Ionae; et ecce plus quam Ionas hic... ecce plus quam Salomon hic. Regina Austri* credens famae quae de sapientia Salomonis percrebuerat in mundo, *venit a finibus terrae* ad audiendam perdiscendamque divinam hominis illius sapientiam, nos autem doctrinam christianam, veluti Hebraei in deserto coeleste divinumque manna fastidimus, carnes Aegypti desiderantes.[32]

imitari et audire debemus facientem et praedicantem poenitentiam.

IV. *Viri Ninivitae surgent in iudicio cum generation, ista et condemnabunt eam, quia poenitentiam egerunt in praedicatione Ionae; et ecce plus quam Ionas hic. Regina Austri surget in iudicio cum generatione ista et condemnabit eam,* etc. Hodie quoque Dominus de universali iudicio loquitur, quod gens Iudaeorum in universali iudicio condemnanda sit propter impoenitentiam et desidiam. Loquitur autem Dominus hodie de duplici iudicio synagogae: altero quidem in saeculo venturo, altero autem in praesenti saeculo. De primo ait: *Viri Ninivitae surgent in iudicio cum generatione ista et condemnabunt eam;* de secundo vero: *Cum immundus spiritus exierit ab homine, ambulat,* etc., ubi praedicit Dominus Iudaeis captivitatem multo miserabiliorem ac infeliciorem ea quam passi fuerunt in Aegypto: *Erunt novissima hominis illius peiora prioribus; sic erit... generationi huic pessimae.*[33]

Loquitur etiam Christus de duplici iudicio Iudaeorum, in praesenti saeculo et in futuro,

Et istud quidem iudicium iam oculis videmus manibusque tangimus in praesenti captivitate infelicissimae synagogae miserabilium Iudaeorum, alterum vero expectamus. Veritas autem praesentis ma-

idest de infelicitate in praesenti et de reprobatione in futuro;

26) Ion 3, 4. 27) Cf. ibid. vrr. 5-10. 28) Lc 13, 5. Vulg.: *Si poenitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis.* 29) Mt 4, 17. 30) Cf. ibid. 3, 8; Lc 3, 8. 31) Mt 7, 19. 32) Cf. Nm 21, 5. 33) Mt 12, 43-45. Vulg.: *Fiunt novissima,* etc.

nifeste comprobat veritatem futuri; et in illo quidem iudicio Dei gloria privabuntur, quam eis tanquam filiis et heredibus praeparaverat Deus; in isto autem Dei gratia privati sunt, ablato ab eis regno Dei.

et de duplici causa huius reprobationis, idest impoenitentia et desidia a bonis operibus,

Quod vero spectat ad futurum iudicium, de quo hodie Christus vaticinatur, ponit condemnationem et causam condemnationis, causam vero duplicem: altera est impoenitentia: *Viri Ninivitae surgent in iudicio cum generatione ista... quia poenitentiam egerunt in praedicatione Ionae; et ecce plus quam Ionas hic;* altera vero est desidia a bonis operibus et contemptus divinae sapientiae: *Regina Austri surget in iudicio cum generatione ista et condemnabit eam, quia venit a finibus terrae audire sapientiam Salomonis; et ecce plus quam Salomon hic.*

et propterea dicitur generatio mala et adultera.

Iudicandam autem dicit Dominus generationem, qui populus Dei fidelis et electus erat; fideles igitur iudicabuntur, quoniam *qui... non credit, iam iudicatus est;* [34] condemnabitur autem non tanquam infidelis et incredula, sed tanquam *mala et adultera, mala* propter impoenitentiam, *adultera* autem quia magis mundanam gloriam quam divinam dilexit. [35]

Iustificat Dominus hanc sententiam reprobationis ex gravitate culpae, quia omne peccatum est spirituale adulterium in Deum;

V. Iustificat autem Dominus hodie condemnationis sententiam ex multis. Primo quidem ex gravitate culpae dum ait: *Generatio mala et adultera.* [36] Omne enim peccatum est spirituale adulterium, tanto gravius corporali quanto Deus, qui per fidem et caritatem sponsus est animarum nostrarum: *Desponsabo te mihi in fide,* [37] maior est homine, qui corporali adulterio ab uxore nimium laeditur. Dicet quis peccator: Quid mali feci Deo peccans? Et uxor quid mali facit viro adulterium committens? Malum quod agit uxor viro adulterando, facit homo Deo peccando. Sicut autem uxori nil carius atque pretiosius debet esse viro suo, sic animae nil Deo carius et pretiosus esse debet. Cum autem aliquid praefert Deo et diligit supra Deum, pluris faciens quam Deum, tunc adulterium in Deum committit: *Generatio mala et adultera.*

34) Io 3, 18. 35) Cf. ibid. vr. 19. 36) Mt 12, 39. 37) Os 2, 20. Vulg.: *Sponsabo, etc.*

Altera causa est, quia scribae et Pharisaei tentaverunt hodie Christum petentes signum atque miraculum,[38] quo moti in eum crederent. Sic multi Deum tentant, nec nisi per miraculum salvari volunt. Sed *generatio* haec *mala et adultera signum quaerit, et signum non dabitur ei;*[39] *signum quaerit* tentando, sed: *Non tentabis Dominum Deum tuum,*[40] ut faciunt qui sub spe veniae et misericordiae Dei peccant ut in fine salventur, sicut latro in cruce.[41] Hoc autem est tentare Deum ac quodammodo irridere; veluti enim irridentes Christi miracula hodie scribae et Pharisaei petunt signa de coelo. Sed *Deus non irridetur,*[42] nec indiget bonorum nostrorum,[43] nec tenetur facere voluntatem nostram: *Volumus a te signum videre,* sed nos tenemur facere voluntatem Dei. Si vis, inquiunt, ut credamus tibi, *volumus a te signum videre.* Sed quid inquit Christus? Nunquid ego vestri indigeo? *Generatio mala et adultera signum quaerit, et signum non dabitur ei.*

ex pravitate animi, quia Iudaei signum quaerunt tentantes Christum;

Tertio, Christus iustificat causam condemnationis ex impoenitentia, quia misit Deus Christum ad praedicandum mundo poenitentiam, sicut misit Ionam ad eam Ninivitis praedicandam; misit autem non Ionam, qui tantum praedicavit et miracula nulla fecit purusque homo fuit, sed misit Christum unigenitum Filium suum verumque Deum, qui non tantum praedicavit sed innumera miracula plane divinissima fecit: *Plus quam Ionas hic,* et tamen contempserunt facere poenitentiam, sed secundum duritiam suam et impoenitens cor thesaurizare sibi voluerunt iram in die irae.[44]

ex duritia cordis, quia Christo Filio Dei credere noluerunt ut poenitentiam agerent;

Quarto, iustificat causam condemnationis ex contemptu divinae gratiae divinaeque sapientiae, quae scala coeli est: *Regina Austri surget in iudicio cum generatione ista, quia* flagrans desiderio sapientiae, mulier cum esset et regina, *venit a finibus terrae audire sapientiam Salomonis; et ecce plus quam Salomon hic,* qui tamen ad vos venit ut divinam sapientiam doceret, et contempsistis nec audire voluistis. Damnat igitur eos qui viam salutis salutemque ipsam spreverunt et contempserunt.

ex contemptu divinae gratiae, quia Christum viam salutis docentem spreverunt.

VI. Cavendum igitur nobis est, fratres, ne in nobis quoque Dominus has causas damnationis reperiat, quoniam Christus *iustus*

38) Cf. Lc 11, 16. 39) Mt 12, 39. 40) Ibid. 4, 7. Ex Dt 6, 16. 41) Cf. Lc 23, 42-43. 42) Gal 6, 7. 43) Cf. Ps 15, 2. 44) Cf. Rom 2, 5.

Caveamus igitur ne in nobis quoque has causas damnationis reperiat.

est *iudex*[45] et nulla est apud eum personarum acceptio,[46] nec affectu aliquo carnis tenetur. Hinc hodie nec matrem nec fratres, idest coniunctissimos consanguineos, quodammodo agnoscit, ait enim: *Quae est mater mea et qui sunt fratres mei?... Quicunque fecerit voluntatem Patris mei, qui in coelis est, ipse meus frater et soror et mater est.* Illos igitur tantum in die iudicii ad dexteram suam salvandos statuet tanquam fratres suos regnique coelestis heredes, uti Dei filios suosque coheredes,[47] qui divinam fecerint voluntatem, qui divinam legem ex caritate Dei ad finem usque servaverint. Quapropter, o fratres, si ad vitam ingredi volumus, servemus mandata;[48] caveamus ne simus *generatio mala et adultera*, ne Deum tentemus, ne simus impoenitentes, ne divinam gratiam contemnamus.

III. ALIA HOMILIA

Magister, volumus a te signum videre.[1]

In hodierno Evangelio duo praecipue mysteria elucent:

I. Sicut[2] in paradiso terrestri inter innumeras arbores duae leguntur insignes:[3] altera quidem quae dicitur *lignum vitae* eratque causa vitae perpetuae et immortalis: *Ne... sumat... de ligno vitae... et vivat in aeternum*,[4] altera vero *lignum scientiae boni et mali*, quae fuit causa mortis et omnium malorum,[5] ita in sacrosancto hodierno

45) 2 Tim 4, 8. 46) Cf. Rom 2, 11; Gal 2, 6. 47) Cf. Rom 8, 17.
48) Cf. Mt 19, 17.

1) Mt 12, 38. 2) In margine haec alia introductio adiecta fuit: « Sacrosanctum hodiernum Evangelium videtur mihi esse sicut terrestris paradisus, in quo innumerae erant arbores, sed praecipue duae, sicut coelum cum innumeris astris, sed duo sunt luminaria magna; sic in hodierno Evangelio innumera sunt mysteria. Agitur de signis et miraculis Christi; agitur de reprobatione Iudaeorum: *Generatio mala;* agitur de electione gentium: *Viri Ninivitae;* agitur de finali iudicio: *Surgent in iudicio;* agitur de via salutis, quae salutaris est poenitentia: *Quia poenitentiam egerunt;* agitur de munere Prophetarum: *In praedicatione Ionae;* agitur de excellentia Christi super omnes Prophetas: *Ecce plus quam Ionas hic;* agitur de excellentia Christi supra reges et sapientes: *Ecce plus quam Salomon hic;* agitur de maximo omnium mysteriorum et miraculorum Christi, quod eius est passio et resurrectio; agitur de nequitia daemonum, quomodo semper quaerunt et satagunt possidere homines eosque multo peius tractant si reincidant in eorum manus et potestatem; et sic de multis aliis; sed praecipue de causa omnium malorum, quae est mala voluntas, et causa bonorum omnium, quae est bona voluntas faciendi voluntatem Dei, idest servandi divinam legem ». 3) Cf. Gn 2, 8-9. 4) Cf. ibid. 3, 22.
5) Cf. ibid. vv. 6 sqq.

Evangelio inter innumera mysteria duo praecipue elucent: alterum est voluntatis humanae, quae est causa perditionis et mortis, alterum est voluntatis divinae, quae causa est salutis et vitae. Haec est *arbor bona,* quae facit fructus bonos, et *non potest... malos fructus facere,* illa autem *arbor* est *mala* quae facit fructus malos nec potest fructus bonos facere.[6] *Magister, volumus a te signum videre:* haec est voluntas humana causa perditionis; *Quicunque... fecerit voluntatem Patris mei:*[7] haec est voluntas divina causa salutis.

voluntatis humanae, quae est causa perditionis, et voluntatis divinae, quae est causa salutis.

II. Habemus autem in hodierno Evangelio fructus arboris malae voluntatis. Primum est quod Deum tentat: *Alii,* inquit, *tentantes signum de coelo petebant ab eo.*[8] *Scriptum est* autem: *Non tentabis Dominum Deum tuum.*[9] Tentare autem Deum est velle periculum et experimentum facere de Deo an sit vel an aliquid agere possit, absque iusta causa et ratione; tentare Deum est nolle credere nisi visis miraculis, vel supervacanea et vana quaerere a Deo, cupientes ut insano appetitui nostro satisfaciat, ut Deus faciat voluntatem humanam, non homo divinam. Tentatio igitur ista duo includit: incredulitatem, nam qui credit n n quaerit signa aut miracula, quae ad iuvandam incredulitatem data sunt et ad confirmandam divinae fidei veritatem; includit etiam temeritatem et irreverentiam, quae divino timori opponitur. Hinc aiunt: *Volumus a te signum videre:* Si vis ut credamus quod sis Messias, volumus *signum,* miraculum non qualecunque, sed magnum, insolitum, *de coelo,* plane divinum.

Ex mala voluntate oritur tentatio Dei,

quae procedit ex incredulitate et includit irreverentiam,

Deinde proprium est humanae voluntatis vana et inutilia et supervacanea appetere et quaerere. Faciebat Christus miracula certissima, quae videbantur oculis, tangebantur manibus, miracula summe utilia: sanabat infirmos,[10] illuminabat caecos,[11] suscitabat mortuos.[12] Sed haec tanquam humilia et terrena spernunt, quaerunt autem alta atque coelestia, quaerunt vana et curiosa ad pascendos ac delectandos oculos. Sic humana voluntas nonnisi quae sensui amica sunt quaerit, caro fastidit manna coeleste, appetit autem carnes Aegypti desideratque aquam terrenam ad sitim extinguendam.[13]

quaerit inutilia, spernit autem utilia.

6) Mt 7, 17-18. 7) Ibid. 12, 50. 8) Lc 11, 16. Vulg.: *Quaerebant ab eo.* 9) Mt 4, 7. 10) Cf. Ibid. 8, 1-17; 9, 1-8. 20-22. 35; 12, 9-13. 15; 15, 21-28. 30-31; Mc 6, 5. 53-56; Lc 4, 38-40; 13, 10-17; Io 5, 1-10. 11) Cf. Mt 9, 27-30; 15, 30-31; Lc 18, 35-43; Io 9, 1-7. 12) Cf. Mt 9, 18-25; Lc 7, 11; Io 11, 41-44. 13) Cf. Ex 16, 3; Nm 11, 4-6; 20, 2-5; 21, 5.

Hinc radix est, fons et origo omnium vitiorum omniumque malorum archivium : *Malus homo de malo thesauro* cordis sui *profert malum,* sicut e contra : *Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bonum.* [14] Hinc Christus hodie scribas et Pharisaeos hos comparat peccatoribus Ninivitis ac peiores declarat, [15] quoniam propria voluntas, proprius amor, qui non Deo, sed sibimetipsi semper placere quaerit et seipsum supra Deum constituit, volens ut Deus [16] pro libito ipsi morem gerat, causa est omnium peccatorum, propterea eos vocat hodie Christus *generationem malam et adulteram,* imo *generationem pessimam.* [17] Unde hoc? Quia *volumus.*

Haec mala voluntas fons est omnium vitiorum atque malorum;

Praeterea humana haec voluntas hominem reddit gratia Dei indignum, reum autem indignationis et irae Dei ; hinc hodie Christus scribas et Pharisaeos non exaudit, sed arguit et cum indignatione et ira respondet : *Generatio* haec *mala et adultera signum quaerit, et signum non dabitur ei.* [18] Sicut mulier adultera viro suo, qui adulterium novit et abominatur, placere non potest, sed summopere displicet, ita anima cum proprio amore et voluntate ducta aliquid supra Deum vel cum Deo aeque diligit aut contra divinam voluntatem.

hominem indignum reddit gratia Dei et reum irae eius;

Neque tamen his Deus negat necessaria ad salutem. Hinc sequitur : *Nisi signum Ionae prophetae,* [19] quod signum signorum est, signum verae deitatis in Christo, signum divinae potentiae, sapientiae, bonitatis, iustitiae, misericordiae, caritatis, gloriae et maiestatis. Miraculum enim passionis et resurrectionis Christi signum fuit sufficientissimum et potentissimum efficacissimumque ad probandum quod Christus sit verus Messias, Redemptor et Salvator mundi, Filius Dei, verus Deus. Non excluduntur ergo a salute qui propriae voluntati sunt addicti, modo salvari velint. Sed :

indurat cor et excaecat, ut respuat media quae Deus dedit ad salutem;

« Hoc opus, hic labor est », [20]

ut velint et ex corde velint ; nam propria voluntas facit cor durum et impoenitens ad durissimi lapidis instar, et privat illud desiderio coelestis et divinae sapientiae. Hoc est quod Dominus ait : *Viri Ninivitae surgent in iudicio,* etc. : ecce impoenitentia : *Quia poenitentiam egerunt in praedicatione Ionae ;* et ecce animus sine desiderio divinae sapientiae : *Regina Austri surget in iudicio,* etc., [21]

privat desiderio coelestium

14) Lc 6, 45. Ordine inverso affert hunc vr. 15) Cf. Mt 12, 41. 16) Ms.: *Dei.* 17) Cf. Mt 12, 39. 45. 18) Ibid. vr. 39. 19) Ibid. 20) Virg. *Aeneid.*, lib. 6, vr. 128. 21) Mt 12, 41-42.

magnum enim ostendit divinae sapientiae desiderium. Sicut autem divinus amor fugit vitia blanda, quae carni placent, et coelestibus divinisque bonis summopere delectatur, ita, e contra, amor proprius spernit spiritualia bona et carnalibus tantum delectationibus inhaeret.

et locum parat diabolo;

Tandem humana voluntas et amor proprius parat locum et habitationem diabolo; hoc est quod ait: *Cum... immundus spiritus exierit ab homine* per sacramentum Baptismi vel circumcisionis in Veteri Lege,[22] *ambulat per loca arida*[23] et inaquosa. In his autem locis homo non invenit commodam habitationem nec iucundam, homini enim placet habitatio domus pulcrae, mundae et ornatae; sic, inquit Dominus, omnis alia habitatio iniucunda est daemoni, praeterquam hominis habitatio. Homo enim daemoni iucunda habitatio est, sicut homini domus pulcra, munda et honorabiliter ornata. Hinc, inquit, eiectus ab homine per Baptismum, quo prima gratia confertur delens culpam originalem et si quam aliam invenit – domum autem hanc per peccatum originale prius possidebat, – *tunc dicit: Revertar in domum meam unde exivi.*[24] Quod si vacantem domum invenit, absque habitatore Spiritu Sancto propter negligentiam et otium a bonis operibus et propter aliquod peccatum omissionis, cum anima non studet divinae sapientiae et caritati, *tunc vadit et assumit septem... spiritus... nequiores se,* etc.[25]

homo enim per gratiam Baptismi sanctificatus a daemonis potestate liberatur,

sed si bonis operibus et virtutibus incumbere spernat, iterum fit habitatio daemonis et in peiorem damnationem incidit.

Sic dum homo propria voluntate et amore ductus, cui coelestis sapientia et caritas displicet insuavisque et iniucunda est, vacat a bonis operibus et otiatur a studio acquirendae sapientiae coelestis, non flagrans eius desiderio cum regina Saba, tunc parat locum diabolo *et fiunt* ei *novissima... peiora prioribus,*[26] multo maiorem sibi damnationem acquirit: *Sic erit... generationi huic pessimae.*[27] Prius *malam generationem* dixit, nunc autem *pessimam,* quia iniquitas est sicut ignis qui, apposito combustibili, semper crescit in infinitum: Modicus *ignis... magnam silvam incendit;*[28] *Superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper,*[29] sicut turris Babel.[30]

22) Quia circumcisio auferebat peccatum originale et consequenter quodlibet aliud, et conferebat gratiam non ex virtute sua ex opere operato, sed ex opere operantis, in quantum erat fidei signum de passione Christi futura. Cf. S. Thomas *S. Theolog.*, 3ª, q. 38, a. 3; q. 62, a. 6; q. 70, a. 4.
23) Mt 12, 43.
24) Ibid. vr. 44.
25) Ibid. vr. 45.
26) Ibid.
27) Ibid.
28) Iac 3, 5.
29) Ps 73, 23.
30) Cf. Gn 11, 3-4.

Sicut enim caritas crescit semper in melius, sic iniquitas in peius,

Sicut enim caritas procedit de virtute in virtutem, crescit semper in melius, sicut granum sinapis,[31] sic et iniquitas fit ex minima maxima, ex mala pessima. Primum peccatum hominis modicum visum fuit, quasi scintilla ignis, sed post modicum temporis ex illa scintilla magna flamma facta est in peccato Cain, qui accensus ira iustum Abel fratrem occidit sine causa ;[32] in diebus autem Noe videmus ignem maximum, qui totum incendebat mundum ; vidit enim *Deus quod multa malitia hominum esset in terra et cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore*, et quod *omnis . . . caro corruperat viam suam;*[33] ad talem tantumque ignem extinguendum opus fuit diluvio maximo ac plane infinito mari.[34] Sic generatio fit ex mala pessima, ignis enim amoris proprii universa devorat et *nunquam dicit : sufficit,*[35] hic est ignis qui Pentapolim universam incendit,[36] et malitia Ninive quae in coelum ascendit.[37] Istud autem maledictum *volumus* causa fuit destructionis Ierusalem. Hinc enim hodie Christus comparat Ierusalem Ninive civitati, seipsum autem Ionae, ad ostendendum quod sicut Ninive, nisi credidisset Ionae, subversa fuisset, sic Ierusalem subvertenda erat non credens Christo, quoniam sicut Ninive plena erat iniquitate et peccatis et malitia eius in coelum ascenderat.

quod cernitur in synagoga, cuius mala voluntas ad extremas ruinas eam perduxit.

Bona autem voluntas fons est omnium virtutum et bonorum, quia homo faciens voluntatem Dei eius filius et heres constituitur,

III. *Quicunque . . . fecerit voluntatem Patris mei*, etc. Haec est arbor vitae, haec est arca, haec Deus Israelitarum, sicut propria voluntas est Dagon deus Philisthaeorum, qui ab arca Dei Israel in terram proiectus fuit et capite manibusque truncatus.[38] Quid sit autem facere voluntatem Dei, Divus Lucas declarat dicens : *Qui audiunt verbum Dei et faciunt ;*[39] hoc est facere voluntatem Dei : servare et facere divinae legis mandata. Fructus autem huius arboris sunt : *Ipse meus frater et soror et mater est.*[40] Quod si frater Christi est, ergo filius Dei et heres, heres quidem Dei et coheres Christi.[41] Quod quidem infinitus thesaurus est omnium bonorum. Parit homini divinam gratiam, divinam caritatem, divinum amorem, divinam curam

31) Cf. Mt 13, 31-32; Mc 4, 31-32. 32) Cf. Gn 4, 3-16. 33) Ibid. 6, 5-12. 34) Cf. ibid. 7, 4 sqq. 35) Prv 30, 16. 36) Cf. Gn 19, 27-29. 37) Cf. Ion 1, 2. 38) Cf. 1 Rg 5, 1-5. 39) 8, 21. Vulg.: *Qui verbum Dei audiunt et faciunt.* 40) Mt 12, 50. 41) Cf. Rom 8, 16-17.

et providentiam, ut Deus hominis curam et providentiam gerat tanquam pater filii carissimi et dilectissimi quem unice diligit tanquam pupillam oculi sui. Quis thesaurus potest huic comparari? Adoptari in filium et heredem Dei, summi regis et imperatoris totius universi, in fratrem et coheredem Christi? Ut fiat homo Angelis quodammodo maior, hic infinitus est honor, infinita gloria, infinitus thesaurus, infinita voluptas atque felicitas. Quid enim filio Dei summi regis deesse potest?

quo melius nil cogitari potest.

Sed faxit Deus, fratres, cum duas has arbores cognoverimus, ne simus sicut Eva quae suasu serpentis de ligno scientiae boni et mali gustare potius voluit quam de ligno vitae, [42] ne simus sicut Philisthaei, qui cum cognovissent virtutem Dei Israel, illum tamen eiecerunt et suum Dagon capite manibusque truncum atque prostratum in terram retinere sibi voluerunt. [43] Posita sunt ante nos bonum et malum, vita et mors, ut ad quodcunque voluerimus manus apponamus. [44] Propria voluntas mellitum venenum est et mel venenatum, voluntas autem Dei manna est in deserto, [45] panis qui dat manducanti vitam aeternam. [46] Hoc autem nobis considerandum est quod homo ex propria voluntate et ob propriam voluntatem factus est servus omnium creaturarum, cum prius dominus esset: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram, et dominetur piscibus maris et volatilibus coeli et bestiis universaeque terrae.* [47] Cum tamen appetiit diaboli suasu aequalitatem Dei, absolutum dominium omnium rerum, quod solius Dei est, tunc factus est servus omnium creaturarum: *Maledicta terra in opere tuo... in dolore,* etc., hebraice: *Maledicta terra propter te,* vel propter transgressionem tuam, *in labore comedes ex ea omnibus diebus vitae tuae, spinas et tribulos germinabit tibi et comedes herbam agri.* [48] Hanc autem maledictionem declarare videtur Dominus dum ad Cain ait: *Maledictus tu plus quam terra; cum colueris eam,* cum servieris ei, *non adiciet dare tibi virtutem suam;* [49] erit sicut malus dominus, qui vult bene serviri, sed male solvere et dare mercedem; servies terrae cum labore, cum sudore perpetuo, et vix *adiciet dare tibi virtutem suam,* sed *spinas et tribulos*

Propria mala voluntate homo ex domino factus est servus omnium creaturarum,

et servus etiam terrae maledictae ob peccatum;

42) Cf. Gn 3, 6. 43) Cf. 1 Rg 5, 7-8. 44) Cf. Eccli 15, 18. 45) Cf. Ex 16, 14 sqq. 46) Cf. Io 6, 49-50. 47) Gn 1, 26. Vulg.: *Et praesit piscibus,* etc.
48) Ibid. 3, 17-19. Vulg.: *In sudore,* etc. 49) Ibid. 4, 11-12. Ex hebraico.

germinabit tibi. Sic homo ob peccatum propria voluntate commissum factus est servus terrae; qui voluit esse dominus coeli, factus est bestiis similis, tanquam alter Nabuchodonosor qui voluit Deo similis esse, servus omnium creaturarum ob voluntatem propriam constitutus est. [50]

faciendo autem voluntatem Dei in pristinum statum dominii restituetur.

At si faciat voluntatem Dei, restituetur iterum in pristinum statum. In Divinis Scripturis Moyses specialiter dictus est *servus Dei,* sicut in libro *Iosue* legimus, [51] et alibi. [52] Sed eundem legimus dominum veluti naturae constitutum et *deum,* nam ait ei Deus : *Constitui te deum Pharaonis.* [53] Sic praecepit terrae, aquae fluminis, mari, aeri, coelo, soli ipsi et ad nutum omnia elementa obedientiam ei praestitere. [54] Sic voluntas Dei constituit hominem ex servo dominum creaturarum, ex bestia efficit Angelum, ex homine facit deum Deoque simillimum, fratrem Christi, qui est unigenitus Filius Dei, Patri per omnia coaequalis et consubstantialis.

Ita sicut bona voluntas, quae voluntatem Dei facit, paradisum constituit,

Propria voluntas constituit infernum, voluntas autem Dei paradisum. Aufer propriam voluntatem a malis angelis et hominibus, non erit infernus ; paradisus autem nonnisi his qui fecerint voluntatem Dei, paratus est. Paradisus locus est Dei et beatorum spirituum, locus perpetuae felicitatis aeternaeque beatitudinis ; sic bona voluntas domus est et habitatio Dei templumque Spiritus Sancti per fidem, spem, caritatem et gratiam. Sicut autem ubi sol ibi dies, ita ubi Deus ibi felicitas paradisi: *Pax multa diligentibus legem tuam et non est illis scandalum ;* [55] *Quam magna multitudo dulcedinis tuae, Domine, quam abscondisti timentibus te !* [56] Hoc est manna in arca foederis. [57]

mala voluntas infernus est, quia est causa omnium carnalium desideriorum, quae cruciant animum dum expleri nequeunt.

Mala autem voluntas infernus est, habitatio daemonum et peccati, locus ignis et cruciatus aeterni. Uritur enim animus et cruciatur flammis carnalium desideriorum et concupiscentiarum, quae expleri non possunt ; hoc autem intollerabile tormentum est, sicut esurire et non habere cibum ad manducandum, sitire et non habere potum ad bibendum ; sic discruciatur animus inordinato amore et desiderio ardenti rei quam consequi non potest, discruciatur am-

50) Cf. Dn 4, 19-30. 51) Cf. 1, 1. 13. 15. 52) Cf. Nm 12, 7; Dt 34, 5; Ps 104, 26; Sap 10, 16. 53) Ex 7, 1. 54) Cf. Ps 104, 26 sqq. 55) Ps 118, 165. 56) Ps 30, 20. 57) Cf. Ex 16, 33; Hebr 9, 4.

bitione, avaritia, libidinis cupidine, ira, invidia, odio et desiderio vindictae. Sic mala voluntas vivus infernus est.

IV. Sed dicet quis : quidnam, quaeso, est mala ista voluntas, quae homini talium tantorumque causa malorum est ? Mala voluntas est animus inordinatus seipsum super omnia diligens et sibi in omnibus placere studens. Habet autem diversos gradus ; nam mala voluntas est, quae civitatem babylonicam aedificat, quae fundata super amorem proprium consurgit usque ad odium et contemptum Dei. [58] Est voluntas mala, voluntas peior et voluntas pessima. Hinc legimus hodie *generationem malam*, generationem *adulteram* et generationem *pessimam*.

Diversi sunt gradus malae voluntatis:

Voluntas mala est quae aliquid diligit aeque ac Deum, nec diligit Deum super omnia, sed cum Deo aliquid aequaliter diligit ; peior voluntas est quae diligit aliquid supra Deum, plus quam Deum ; pessima quae diligit aliquid contra Deum, contempto Deo, odio habito Deo, unde oriuntur horribiles blasphemiae. Mala voluntas est quae diligit aliquid aequaliter cum virtute et salute animae suae ; peior quae diligit aliquid supra virtutem et animam suam ; pessima quae diligit aliquid contra conscientiam et salutem animae suae. Habes tu bona collata tibi a Deo, habes corpus, uxorem, filios, habes divitias et facultates, habes dignitates, gradus, honores. Potes diligere, teneris diligere teipsum et omnia bona tua, sed non contra Deum, non supra Deum, non aeque ac Deum ; hoc enim opus malae voluntatis est.

mala voluntas est quae diligit aliquid aeque ac Deum, peior quae diligit supra Deum, pessima quae diligit contra Deum.

Et de voluntate quidem, quae aliquid contra Deum et conscientiam diligit, clarissimum est quod mala et pessima est ; et haec quidem reperitur in iis qui ex malitia peccant animoque obstinato et impoenitenti corde perseverant in peccatis luxuriae, avaritiae, superbiae et aliis quibuscunque.

Pessima voluntas est peccare ex plena malitia contra Deum.

De voluntate etiam quae diligit supra Deum et supra animam suam, clarum similiter est quod mala et perversa est. Haec autem illorum est qui eo sunt animo ut per fas et nefas, contempto etiam Deo mandatisque divinis et conscientia, velint, cum opus fuerit et

peior voluntas est iniusta et illicita perpetrare, divinis mandatis ipsoque Deo contemptis,

58) Cf. Gn 11, 1-4.

requiret occasio, honorem suum, bona sua, vitam suam et suorum defendere necessitate, ut dicunt, honoris mundani, ita ut pluris faciant mundanum honorem quam Deum, cum pro defendendo servandoque honore non vereantur multa graviaque peccata committere. Tales sunt etiam qui, ut filios divites relinquant, ab iniustis illicitisque lucris non abhorrent; hi enim, data quavis vel minima occasione, facillime peccant, et si non peccant, est quia se non offert occasio opportuna.

mala voluntas est quae non satagit Deum super omnia bona temporalia diligere.

Tandem mala voluntas est quae non satagit Deum super omnia diligere, sed cum temporalibus bonis aequaliter diligit, et haec quidem non facile cognoscitur; sed est quae tentatione diaboli, carnis et mundi facile ad peccandum inclinatur. Sicut enim cum bilances aequales sunt, minimum pondus unius grani tritici sufficit ut altera cui granum immittitur praeponderet et gravior facta inferius descendat, sic voluntas quae Deum aequaliter cum aliis bonis suis diligit, facillime, quavis etiam parva tentatione, in peccatum impellitur.

Ad salutem necessaria est bona voluntas, quae Deum super omnia diligere studet,

V. Bona igitur voluntas saluti nostrae necessaria est, ut faciamus semper voluntatem Dei, nam: *Quicunque . . . fecerit voluntatem* Dei, *ipse meus frater et soror et mater est.* Bona autem voluntas est quae nihil diligit contra voluntatem Dei, nihil supra Deum, nihil aeque cum Deo, sed Deum supra omnia diligere pro viribus satagit. Quam quidem voluntatem patientia et obedientia ostendunt: patientia Iob et obedientia Abrahami; ille enim omnibus bonis privatus patientissime tulit ac de manu Dei adversitatem illam accepit, nec contra Deum verbo vel cogitatione peccavit; [59] Abraham vero iussus divino imperio ut dilectissimum filium Isaac in holocaustum offerret, prompto animo obtemperavit, Deo super omnia placere et morem gerere cupiens. [60] Haec igitur bona voluntas est quae Deum super bona mundi huius diligit et in amore hoc constans, firma et stabilis immobilisque perseverat; haec domus est fundata supra firmam petram, quam nec venti, nec flumina potuerunt subvertere. [61]

eius voluntatem semper faciendo;

Mala autem voluntas, quae Deum super omnia diligere minime satagit, domus est super arenam fundata, sine firmo et stabili funda-

59) Cf. Iob 1, 6-2, 1-10. 60) Cf. Gn 22, 1-18. 61) Cf. Mt 7, 25.

mento, quare in terram facillime deicitur.[62] Mulier etiam non solum si virum alium contra viri sui voluntatem diligat aut supra virum suum, sed etiam si aeque ac virum suum adamet, facile in adulterium dilabetur; quare sicut honesta mulier[63] necesse est ut super omnem alium virum diligat maritum suum, imo super omne aurum et argentum ac super omnem mundi possessionem, si honestatis titulo vult gaudere, ita necesse est ut voluntas nostra Deum super omnia diligat tanquam sponsum suum, ne sit *mala et adultera* contra Deum.

voluntas enim quae Deum super omnia diligere non satagit, facile in peccatum dilabitur.

Caveamus nobis a mala voluntate, quoniam venenum ad tempus est, quod tamen proculdubio tandem affert mortem, nisi adhibeatur efficax et saluberrimum antidotum, quod superet veneni potentiam. Est mala voluntas gustus corruptus, cui noxia placent, cui manna coeleste, cibus angelicus, nauseam provocat, Aegypti autem carnibus alliisque cepisque delectatur;[64] est fermentum quod universam massam bonorum operum corrumpit.[65] Hinc apud Isaiam legimus: *Quare ieiunavimus et non aspexisti, humiliavimus animas nostras et nescisti?* Quia, inquit, *in die ieiunii vestri invenitur voluntas vestra.*[66] Mala voluntas ingrata Deo facit opera suapte natura bona. Accessus ad Christum bonus est, oratio bona est; tamen non placuit hodie Christo accessus scribarum et Pharisaeorum, displicuit ingrataque fuit eorum oratio, imo acri responsione eam reiecit: *Generatio mala et adultera signum quaerit, et signum non dabitur ei.* Respondet Christus scribis et Pharisaeis, vitio malae voluntatis infectis, acriter et dure, sicut respondere solet vir adulterae uxori aliquid petenti ante reconciliationem.

Cavendum ergo maxime est ab hac mala voluntate, quae fructum omnium bonorum operum aufert, opera bona Deo ingrata reddit;

Studendum et satagendum nobis est ut bonam voluntatem habeamus, sicut omnia quae ad corpus mundumque spectant bona volumus et desideramus, etiam calceamenta; et non pudebit nos, cum bona etiam calceamenta habere curemus. Nisi etiam bonam voluntatem, conscientiam, animam habere satagamus, merito proiciet nos animasque nostras Deus, sicut proicere solet homo in locum quisquiliarum caligas vetustate consumptas et omnino inutiles. Bona

satagendum autem ut bonam voluntatem habeamus, qua vitam aeternam consequimur

62) Cf. ibid. vrr. 26-27. 63) Ms.: *Honestam mulierem.* 64) Cf. Nm 11, 4-6.
65) Cf. 1 Cor 5, 6; Gal 5, 9. 66) 58, 3.

voluntas vas est in honorem, mala autem vas in contumeliam; [67] nullum enim stercus fetentius vitio et peccato. Caveamus ne comedamus de fructu arboris scientiae boni et mali, quia procul dubio morte moriemur, sed comedamus de ligno vitae et in aeternum vivemus: *Quicunque... fecerit voluntatem Patris mei, qui in coelis est... meus frater et soror et mater est.*

67) Cf. Rom 9, 21.

FERIA QUINTA DOMINICAE PRIMAE QUADRAGESIMAE

Hodie Christus venatorem agit animarum.

I. Inter praecipuas mundanorum principum delicias cum venatio sit, solent praegrandes magnasque silvas sibi pro ipsorum propria venatione asservare, unde saepe ex civitatibus egressi, non in regali, sed in venatorio habitu ad venandum pergunt, captaque praeda, cum aliquam invenerint feram summe desideratam, nimium laetantur. Sic Christus summus princeps mundi universi, *Rex regum et Dominus dominantium,* [1] in terra asservavit sibi silvam gentilitatis, unde egressus hodie a Iudaea, a synagoga, quae erat civitas sancta Dei, civitas regia, *in partes Tyri et Sidonis,* in partes Gentilium – ecce silva, – invenit feram : *Ecce mulier . . . a finibus illis egressa* ; [2] hanc percutit sagittis verborum suorum acrium : *Non est bonum sumere panem filiorum et mittere canibus,* [3] eaque capta, nimium laetatur : *O mulier, magna est fides tua, fiat tibi sicut vis.* [4]

Egressus Iesus secessit in partes Tyri et Sidonis. Et ecce mulier . . . a finibus illis egressa clamabat dicens . . . : Miserere. [5]

Christus vere fluvius est.

II. Decantatissimus ille fluvius terrestris paradisi, qui de loco voluptatis egrediebatur ad irrigandum paradisum, eo copiose et abundanter irrigato, exibat ad irrigandam terram sterilem et infecundam, quae extra paradisum [erat] : *Fluvius,* inquit, *egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradisum, qui inde dividitur in quattuor capita.* [6] Sic Christus, qui a Patre procedit tanquam fluvius

1) 1 Tim 6, 15; Apc 19, 16. 2) Mt 15, 22. 3) Ibid. vr. 26. 4) Ibid. vr. 28.
5) Pericope huius diei Mt 15, 21-28. Cf. Missale Rom. Vulg.: *Clamavit dicens,* etc.
6) Gn 2, 10.

qui a Patre exiens irrigat Ecclesiam triumphantem gloria

a fonte. Pater est locus voluptatis, thesaurus beatitudinis, abyssus infinitae bonitatis, quae seipsam infinite communicat generando Filium, producendo tanquam fons inexhaustus, perennis, aeternus infinitusque fluvium similiter aeternum et infinitum: *Fluvius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradisum,* primo quidem coelestem ac deinde terrestrem, Ecclesiam triumphantem in coelo et Ecclesiam militantem in terra; illum aquis visionis, fruitionis ac possessionis aeterni boni sempiternaeque gloriae, hunc autem aquis fidei, spei, caritatis et gratiae. Egrediens autem in hunc mundum a paradiso *dividitur in quattuor capita;* fit enim homo cum omnibus quattuor statibus humanae naturae, sicut animal Ezechielis habens capita quattuor.[7] Hodie vero, irrigato terrestri paradiso Iudaeae – *Hortus conclusus, fons signatus, emissiones tuae paradisus,*[8] – aquis divinae gratiae suae egreditur ad irrigandum terram aridam regni Tyri et Sidonis. *Et ecce mulier a finibus illis egressa:* ecce terra arida – *Anima mea sicut terra sine aqua tibi,*[9] dicebat Regius Vates in tribulatione positus, – mulier nimium afflicta; irrigat tandem Christus hanc terram aquis gratiae suae: *O mulier, magna est fides tua, fiat tibi sicut vis.* Sic Christus quattuor fluminibus irrigat hodie terram hanc: flumine innocentiae, unde ab eius filia daemonium expellit,[10] diabolus autem per remissionem peccatorum in iustificatione et sanctificatione animae expellitur; flumine meritorum ipsius Christi, faciens eam tanquam ovem Israel et dignam pane filiorum; flumine gratiae et virtutum: *O mulier, magna est fides tua;* et tandem flumine perfectae ac beatificae consolationis: *Fiat tibi sicut vis.*

et militantem gratia.

Christus in mundum venit ut diabolum eiceret.

III. *Egressus Iesus.* Egreditur Noe ex arca ad plantandam vineam Dei,[11] vineam electam facientem vinum optimum, in terra Tyriorum et Sidoniorum: *Vinea... Domini exercituum domus Israel est,*[12] fides, religio, divinus cultus, caritas filiorum Dei. Egreditur sicut Abraham, cui dixit Deus: *Egredere de terra tua et de cognatione tua et de domo patris tui et veni in terram quam monstravero tibi, faciamque te in gentem magnam.*[13] Sic Christus inter

7) Cf. 1, 6; 10, 21. 8) Ct 4, 12-13. 9) Ps 142, 6. 10) Cf. Mt 15, 28.
11) Cf. Gn 9, 20. 12) Is 5, 7. 13) Gn 12, 1-2. Sic legitur in veteribus editionibus

gentes magnificandus erat, sicut Ioseph in Aegypto,[14] sicut Iacob extra domum patris sui in Haran, in Mesopotamia,[15] sicut Isaac in terra Geraris.[16] Sic apud gentilem hanc mulierem magnam Christus fidem invenit hodie, a qua per fidem susceptus fuit in hospitio cordis, sicut Elias susceptus a muliere vidua in Sarepta Sidoniorum, cui filiam a daemonio liberat sanatque, sicut ille filium illius mulieris suscitavit.[17] Egressus est sicut Moyses ad occidendum aegyptium qui vexabat hebraeum,[18] sicut egressus fuit David ad pugnandum contra philisthaeum,[19] Christus ad eiciendum daemonium a filia chananaeae.

Venit autem ut venator peccatorum, cum mundus totus silva esset ferarum.

Praecipue tamen videtur mihi hodie dictum Christo a Patre id quod Isaac patriarcha dixit primogenito filio suo : *Sume arma tua, pharetram et arcum et egredere foras ; cumque venatu aliquid apprehenderis, fac inde mihi pulmentum, sicut velle me nosti.*[20] Habuit Isaac duos filios ex uno conceptu et partu,[21] quorum primogenitus quidem venator fuit, sed secundogenitus pastor ; Isaac vero venatorem magis quam pastorem dilexit : *Factus est Esau vir gnarus venandi et homo agricola*, et *Isaac diligebat Esau, eo quod de venationibus illius vesceretur.*[22] Fuit Esau veluti alter Nembrod magnus venator, unde *exivit proverbium : ... Nembrod robustus venator coram Domino.*[23]

Christus etiam pastor est iustorum, sed cum Deus magis gaudeat de peccatoribus conversis,

Sed quaenam, quaeso, haec sunt mysteria ? Cur tantopere Isaac diligit venationem ? tam libenter de venatione vescitur, ut magis venatorem diligat quam pastorem ? Sunt duo hominum genera in mundo : iusti et peccatores. Iusti sunt sicut oves et cetera id genus animalia, quae in Scripturis *munda* dicuntur ;[24] peccatores vero sunt sicut ferae silvestres, aptae ad manducandum, et ob id venatione insectantur. Deus autem ferarum carnibus multo libentius vescitur : *Gaudium erit in coelo super uno peccatore poenitentiam agente,* magis *quam supra nonaginta novem iustis, qui non indigent poenitentia.*[25] Hinc misit Christum ut venator esset peccatorum et pastor iustorum.

ideo praecipue misit eum ut venator horum esset.

Vulg., cf. *Biblia Lovaniensis.* In posterioribus autem, iussu Clementis VIII recognitis, emendatum fuit: *Monstrabo tibi*, etc. 14) Cf. ibid. 4, 37-44. 15) Cf. ibid. 28, 1 sqq. 16) Cf. ibid. 26, 1-16. 17) Cf. 3 Rg 17, 9-23. 18) Cf. Ex 2, 11-12. 19) Cf. 1 Rg 17, 31-51. 20) Gn 27, 3-4. *Fac mihi inde*, etc. 21) Cf. ibid. 25, 21-25. 22) Ibid. vv. 27-28. Vulg.: *Isaac amabat Esau*, etc. 23) Ibid. 10, 9. 24) Cf. Lv 11, 1 sqq. 25) Lc 15, 7.

Christus autem ait : *Non . . . veni vocare iustos, sed peccatores ; Non est opus valentibus medicus, sed male habentibus.* [26] Hinc ait sacrosanctum hodiernum Evangelium quod Christus *egressus* est *in partes Tyri et Sidonis ;* Sidon autem v e n a t i o interpretatur, Tyrus vero t r i b u l a t i o, a n g u s t i a, d o l o r. Christus igitur egressus est ad venandum. Venatores autem, dum feras insequuntur, multa pati necesse est.

Vere venator Christus hodie ostenditur in conversione chananaeae.

IV. *Et ecce mulier . . . a finibus illis egressa.* Ecce fera silvestris, ad quam capiendam Dominus hodie, tanquam venator ad venandum, *egressus* est *in partes Tyri et Sidonis* ad patiendum et venandum. Hinc *Psalmus* ille, qui veluti historia passionis Christi est, quem etiam Christus in cruce decantavit dicens : *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me ?* [27] inscribitur : *Pro cerva matutina.* Pati enim voluit Christus ad capiendam hanc cervam, ad convertendam animam peccatricem a tenebris ad lucem, sicut fit in aurora, cum nox in diem convertitur, adveniente sole. Captam autem praedam occidit venator. Christus autem occidit et vivificat ; occidit carne, vivificat spiritu ; occidit vitio, vivificat virtuti ; occidit peccato, vivificat gratiae ; occidit mundo, vivificat Deo. Ecce Christus quomodo captam hanc feram sagitta tribulationis percussam ac vulneratam mortificat : *Non respondit ei verbum . . . Non sum missus nisi ad oves quae perierunt domus Israel . . . Non est bonum sumere panem filiorum et mittere canibus.* [28] Sed mortificatam vivificat : *O mulier, magna est fides tua, fiat tibi sicut vis.*

occidit enim eam peccato et vitio, ut vivificaret virtuti, gratiae et Deo.

Mos est divinae providentiae prius mortificare et dein vivificare.

Sicut Deus simul coelum et terram creavit, et terram quidem creavit tenebris aquisque opertam, inanem et vacuam, sed deinde illuminavit, expulit aquas, fecundam reddidit, [29] sic Christus hodie mulierem humiliat et exaltat, vituperat et laudat, mortificat et vivificat, percutit et sanat : *Non respondit . . . Non sum missus . . . Non est bonum:* ecce tenebrae ; *O mulier, magna est fides tua, fiat tibi sicut vis* : [ecce lux]. Hoc videtur proprium esse Dei, post tenebras dare lucem : *Factum . . . est vespere et mane dies unus ;* [30] post tentationem deserti dare terram promissionis ; post paupertatem dare divitias, ut

26) Mt 9, 12-13. Ordine inverso affert hos vrr. 27) Ps 21 (hebr. 22), 1; Mt 27, 46. 28) Mt 15, 23-26. 29) Cf. Gn 1, 1-21. 30) Ibid. vr. 5.

Abrahamo;[31] post sterilitatem dare fecunditatem, ut Sarae,[32] Rebeccae,[33] Racheli,[34] Annae,[35] Elisabeth.[36] Ioseph prius dure cum fratribus suis fuit locutus; deinde implevit saccos eorum frumento conviviumque eis magnum paravit.[37] Angelus, qui luctatus fuit cum Iacob, prius percussit eum et claudum effecit, ac deinde illum benedixit.[38] Booz prius dedit pauperi Ruth panem in aceto intinctum hordeique mensuram, et deinde in uxorem eam accepit.[39] David prius fuit humilis pastor, deinde magnus rex Israel;[40] sanctus patriarcha Ioseph prius humiliatus, deinde exaltatus;[41] Iacob prius pauper, deinde factus ditissimus;[42] Moyses prius proiectus in aquas, deinde factus filius reginae filiae Pharaonis;[43] prius pastor ovium, deinde rector hominum et summus dux populi Dei.[44] Et sicut Deus tentavit Abraham[45] et Iob[46] ad manifestandam, ad maiorem ipsorum gloriam, virtutem illorum insignem, sic egit hodie Christus cum sancta ista chananaea.

sicut ostenditur in multis factis

Quam quidem dum contemplor, videre mihi videor prudentissimam illam et humillimam Abigail, quae sua modestia, prudentia, verbis et muneribus ad pedes David prostrata adeo illum mitigavit iratum, ut, mortuo Nabal carmelita viro illius, David illam in uxorem elegerit acceperitque consentientem;[47] et Ruth illam moabitidem mulierem magnae virtutis, quae tam prudenter et gratiose sese gessit cum Booz viro ditissimo, ut illam summa paupertate laborantem ditissimus ille in uxorem acceperit. Christus autem hodie mulierem hanc ob magnam virtutem desponsavit sibi in fide.[48]

et figuris Sacrae Scripturae.

V. *Ecce mulier... a finibus illis egressa.* Rem novam videtur narrare nobis hodie Sacer Evangelista, novam utique et mirabilem: *Ecce mulier.* Salomon ait: *Mulierem fortem quis inveniet?*[49] *Virum de mille unum reperi, mulierem ex omnibus non inveni.*[50] In universo regno Israelis inventus fuit unus David fortissimo

Difficile est virum vere fortem invenire, difficilius autem mulierem;

31) Cf. ibid. 12, 1-13, 1-2. 32) Cf. ibid. 21, 1-2. 33) Cf. ibid. 25, 21. 34) Cf. ibid. 30, 1-24. 35) Cf. 1 Rg 1, 1 sqq. 36) Cf. Lc 1, 6-25. 37) Cf. Gn 42, 6-47, 1-12. 38) Cf. ibid. 32, 24-29. 39) Cf. Ruth 2, 4-14; 3, 4-4, 1 sqq. 40) Cf. 1 Rg 16, 6-16. 41) Cf. Gn 39, 6-20; 41, 37-44. 42) Cf. ibid. 30, 25-43. 43) Cf. Ex 2, 1-10. 44) Cf. ibid. 3, 1 sqq. 45) Cf. Gn 22, 1-18. 46) Cf. Iob 1, 12-2, 1-8. 47) Cf. 1 Rg 25, 1 sqq. 48) Cf. Os 2, 20. 49) Prv 31, 10. 50) Eccle 7, 29.

animo praeditus, qui non timuerit descendere ad singulare certamen cum terribili illo maximoque gigante philisthaeo ; [51] mulier autem nulla inventa fuit. Sic vir de mille unus reperitur qui vere forti intrepidoque animo praeditus sit ; sed mulier non invenitur, nisi ex miraculo. Chananaea autem ista tanta fortitudine praedita reperitur hodie, ut Christum quodammodo vicerit. Magnum miraculum est quod legimus, Iacob cum Angelo luctatum reportasse palmam victoriae et *contra Deum*, ut inquit Scriptura, fortem fuisse. [52] Istud autem multo maius miraculum est, nam Christus non Angelus Dei est, sed verus Deus ; chananaea autem non vir, sed mulier. Hodie tamen Christum vicit : *O mulier, magna est fides tua, fiat tibi sicut vis*, cum tamen prius non responderit, dixerit : *Non sum missus . . . non est bonum*. Ecce mulier utique fortis, utique magnae virtutis, cum tamen prima mulier adeo debilis fuerit, ut primo certamine, primo ictu victa a serpente fuerit omniumque malorum, quae in mundo sunt, causa extiterit. [53] Sed si illa dedecus mulierum fuit, haec veluti gloria est.

talis tamen ostenditur chananaea Christum ipsum quodammodo vincens.

Ecce mulier. Femineus sexus a Deo valde honoratus reperitur. Prima enim mulier manu Dei formata fuit, sicut et primus homo, sed ex nobiliori materia ; nam homo ex pulvere, ex *limo terrae* formatus fuit, mulier autem ex costa Adami, ex osse et carne ; formata in nobiliori loco, nam Adam quidem extra paradisum formatus fuit, sed Eva in paradiso ; formata etiam sacratiori tempore, nam Adam quidem sexto die formatus fuit, Eva autem septimo. [54] Ait enim quod septimo die complevit Deus opus creationis ; [55] ergo aliquid septimo die operatus fuit ; ultimum autem opus Dei natura humana est, novissimum opus formatio Evae. Et propterea crediderim ego mulierem suapte natura esse corpore quidem otii et quietis valde amicam, anima vero et spiritu adeo devotam et propensam ad pietatem ; et quia cognovit Adam magnum donum Dei esse mulierem, propterea valde dilexit eam ; hinc ait : *Hoc nunc os ex ossibus meis et caro de carne mea, haec vocabitur virago, quia de viro sumpta est.*

Femineus sexus valde honoratus a Deo fuit.

51) Cf. 1 Rg 17, 31-51. 52) Cf. Gn 32, 24-26. 53) Cf. ibid. 3, 1 sqq. 54) Cf. ibid. 2, 7. 21-22: Origenes *Hom. 1 in Gen.*, (P. G. 12, 158); S. Io. Chrysostomus *Hom. 10 in Gen.*, ibid. 53, 86; S. Gregorius M. *Moral.*, lib. 32, cp. 12, (P. L. 76, 645); S. Thomas *S. Theolog.*, 1ª, q. 73, a. 1, ad 3; Ben. Pererius *Comment. in Gen.*, lib. 1, vol. 1, pag. 173.
55) Cf. Gn 2, 1-3.

Propter hoc relinquet homo patrem et matrem suam et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una. [56] Magnum donum Dei est mulier, si claudit aures persuasionibus serpentis; si oculos in vetitum lignum minime conicit, sed in lignum vitae, [57] si diligat Deum non mundum; alioquin magnum est damnum, ignis consumens omnia; hinc hebraice dicitur: אִשָּׁה, ab אֵשׁ, [58] quod est i g n i s.

Magnum donum Dei est mulier virtuosa.

Magnum Dei donum, si sit sicut mulier ista, quam laudat hodie Christus dicens: *O mulier, magna est fides tua, fiat tibi sicut vis.* O mundum ter quaterque beatum, si tales essent mulieres qualis mulier haec tantopere laudata a Christo: *Magna est fides tua!*

VI. *Ecce mulier chananaea, gentilis,* ut ait M a r c u s, sive *graeca,* ut habet T e x t u s G r a e c u s, *syrophoenissa genere,* [59] mulier non in sanctitate concepta, nata et educata, ut Sanctissima Virgo Maria Dei Genetrix, sed in peccatis. Sed relictis vitiis atque peccatis, facta est sancta. *A finibus illis egressa,* relicta pristina mundana et carnali conversatione, relictis mundanis usibus et moribus; hinc laudata, quia *a finibus illis egressa.* Hoc primo et summe necessarium est, mundi et carnis vitia relinquere; sic enim mulier chananaea fiet christiana et maledicta fiet benedicta. Noe maledixit chananaeis gentibus ob peccatum Cham patris eorum. [60]

Mulier chananaea sancta facta est, quia mundi vitia reliquit, ideo laudatur a Christo.

Mulier chananaea. Interpretatur autem chananaea n e g o t i a t r i x, m e r c a t r i x et etiam [61] h u m i l i s sive h u m i l i a t a. Et haec quidem mulier vere humillima fuit, unde contempta a Christo minime indignata fuit, quoniam suam agnoscebat humilitatem; hinc summe placuit Christo et post humiliationem exaltata divinitus fuit. Sic decet humilem esse mulierem, maxime cum viro suo, cui in omnibus humillime semper debet esse subiecta, si vere ei placere vult et cum eo pacem habere. Patientem [62] etiam, sicut ista fuit cum Christo, humillima patientia ferens a Christo *canem* se dici: *Non est bonum sumere panem filiorum et mittere canibus.* Sic decet mulierem patienter viri sui obiurgationes ferre et humiliter

Mulier haec exemplar est mulieris christianae humilitate,

patientia,

56) Ibid. vrr. 23-24. Vulg.: *Quoniam de viro,* etc. Affert ex Eph 5, 31. 57) Cf. Gn 2, 9-17. 58) Cf. Ibid. vrr. 22-23. Ms.: אשה et: אש. 59) 7, 26. Textus Graecus: Ἑλληνίς. 60) Cf. Gn 9, 25. 61) Ms.: *Etiam* bis ponitur. 62) Ms.: *Patiens.*

respondere, nam: *Responsio mollis frangit iram*[63] gratiamque conciliat. Sic chananaea respondit: *Etiam, Domine, nam et catelli edunt de micis, quae cadunt de mensa dominorum suorum.*[64]

Sit etiam mulier *mercatrix*, habens curam domus, sicut prudens
prudentia, mercator suarum mercium, sed mercatoribus non licet seipsos vendere neque merces suas falsis fucis ornare ut bonae videantur, cum non sint.

Sit etiam necesse est *syrophoenissa;* vox graeca est, composita a
verecundia, σύρω, quod est t r a h o, et φοῖνιξ[65] quod r u b o r est; sit t r a h e n s r u b o r e m; verecundiae enim rubor maxime decet mulierem. Significat etiam φοῖνιξ Graecis p a l m a m, arborem. Syria autem hebraice dicitur אֲרָם,[66] quod est e x c e l s u m et s u b l i m e: s u b l i m i s p a l m a; sic sponsae dicitur in *Canticis: Statura tua assimilata est palmae... ascendam in palmam et apprehendam fructum*
fide invicta et honestate; *eius.*[67] Sit mulier altissima palma, ut solus vir possit in eam ascendere ad fructum apprehendendum, ad filios procreandos; vincat fides matrimonii maritalisque thori quicquid ei bellum inferre conatur; palma enim signum victoriae est et quo magis quis eam in unam partem flectere conatur, eo magis in alteram contrariam flectitur. Sic dicitur haec mulier *syrophoenissa*, e x c e l s a p a l m a.

VII. O felix et beata mulier: *Ecce mulier chananaea*, prudens
tales enim oportet esse mulieres christianas. mercatrix, quae a Christo hodie humilitate precibusque suis mercata sibi est gloriam sempiternam! Sitis, sitis et vos, o sorores meae, mulieres mercatrices, sed huic similes; negotia vestra tractate cum Deo non cum mundo, cum Christo non cum satana. Dixi vobis quod non licet mercatori vendere seipsum, neque ostendit emptoribus merces, quas nullo pacto vult vendere. Sorores meae, si mala mulier ostendit turpem pulcritudinem suam, nil mirum, quia eam vendere vult cuicunque emere eam velit. Sed vos ut quid hanc mercem ostenditis, imo fucatis ut multo sit oculis gratior, si vendere non vultis?

Dicitis vos id facere ut viris vestris placeatis, mentemque bonam habere. Sed dico: cui magis credendum est: uni homini qui saepe

63) Prv 15, 1. 64) Mt 15, 27. 65) Ms.: *Syro* et: *Phoenix*, et infra.
66) Cf. Gn 28, 2; 31, 18; 46, 15. Ms.: ארם. 67) 7, 7-8. Vulg.: *Fructus eius.*

Gravissime delinquunt quae vanam pulcritudinem ostentant,

de mendacio convictus [fuit], an pluribus optimae fidei viris? Ah lingua mendax! Sed corporis et ceterae partes, quae oppositum dicunt lasciviamque testantur, mentiri nesciunt. Lingua saepe mendacia componit. Non licet mercatoribus venales merces diebus festis emptoribus, apothecis apertis, ostendere, vendere, mercaturam exercere.[67a] Vos autem merces has vestras vel maxime diebus festis ostentatis et maxime cum ad Ecclesiam venitis.

quia sic ad lasciviam alios alliciunt

O sorores, quid est hoc? Si in Ecclesia agerentur funeralia mortis patris vestri aut mariti, num cum pompa, fastu et gloria quasi ad nuptias invitatae accederetis? In Ecclesia autem semper recolitur memoria passionis Christi, sponsi animarum nostrarum, Patris nostri, Domini et Dei nostri. O sorores, Christus quaesivit salvare animas, vos autem damnatis? *Si quis foderit cisternam*, inquit Lex, *et non operuerit eam, et bos aut asinus alicuius ciderit in eam, dominus cisternae solvet pretium eius.*[68] Mulier autem dicitur *cisterna* in Divinis Litteris: *Bibe aquam de cisterna tua* et non bibat ex ea alius tecum.[69] Operite, operite, sorores, cisternas facierum vestrarum velo honestatis et verecundiae, ut ostendatis vos pudicitiae summae esse cultrices.

et instrumenta diaboli fiunt ad perdendas animas.

Si quis in convivio apponeret venenatas epulas, [reus] esset[70] occisorum omnium qui veneno illo moriuntur. Vana pulcritudo venenum est animarum: *Si quis viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam moechatus est eam in corde suo*,[71] iam peccatum in voluntate consummatum est, iam peperit mortem,[72] iam damnatus est homo apud Deum. O sorores, vos vultis esse causa damnationis tot animarum Christi? Vultis esse vulpes diaboli?

Mulierum enim pulcritudine diabolus utitur ad excitandam concupiscentiam.

Samson ad comburendas segetes Philisthaeorum accepit multas vulpes et alligavit eis ignem ad caudas, sic sparsae per segetes, quae iam prope ad messem erant, omnes illae vulpes omnes segetes universamque messem combusserunt.[73] Mulieres sunt veluti vulpes, quae non habent boni aliud quam pellem. His vulpibus diabolus ignem alligat ad faciem, ignem utique libidinis et carnalis concupiscentiae.

67a) *Constit.* S. Pii V, *Cum primum*. Cf. *Magnum Bullarium Rom.*, t. 2, pag. 192; Labbeus *Sacrosancta Conc.*, t. 15, *De Festis*, cp. 2, col. 799-800. 68) Ex 21, 33-34. Vulg.: *Si quis aperuerit cisternam et foderit . . . cecideritque bos aut asinus in eam, reddet dominus cisternae pretium iumentorum.* 69) Prv 5, 15-17. 70) Ms.: *Esse.* 71) Mt 5, 28. Vulg.: *Qui viderit*, etc. 72) Cf. Iac 1, 15. 73) Cf. Idc 15, 4-5.

Chananaeam hanc imitari debent mulieres.

Ah! sorores, per Deum vos rogo, ne velitis esse vulpes diaboli, sed oves Christi, agnae Christi, similes mulieri huic chananaeae, quae non perdidit sed salvavit animam filiae, non tradidit eam satanae sed Christo, cui eam commendavit instantissime, unde Christus merito matris liberat a diaboli vexatione filiam.

Matres diligant filias suas non secundum carnem, sed secundum spiritum

VIII. O matres, o matres, diligite filias vestras, sed diligite non tantum secundum carnem, sed etiam secundum spiritum, non tantum secundum corpus, sed etiam secundum animam, secundum Deum, non secundum mundum. O quot matres dantes filiabus vanitatis pomparumque exempla, dant filiarum animas in manu daemonii! Tui muneris est, o mater, bene instituere filiam tum verbis tum exemplis. Quod si vides eam a daemonio vexatam, tentatam a diabolo de vanitatibus mundi, tunc debes tu ad Christum recurrere cum chananaea et perseverare in oratione, donec Christus te exaudiat et liberet filiam tuam a mala vexatione diaboli: *Miserere mei, Domine fili David, filia mea male a daemonio vexatur.* [74] Et perseverantia in oratione necessaria est; hinc Christus ait: *Petite et accipietis, quaerite et invenietis, pulsate et aperietur vobis. Omnis enim qui petit accipit et qui quaerit invenit et pulsanti aperietur.* [75] Differt Deus nonnunquam gratiam, quam postulamus, concedere, ut eam multo ampliorem ac copiosiorem concedat, multiplicatis meritis multarum orationum. Sic tandem chananaeae ait: *O mulier, magna est fides tua, fiat tibi sicut vis.* Sic mater debet universam familiam suam Domino semper in sanctis orationibus commendare.

easque Christo instanti oratione commendent;

Observandum etiam matribus est quod mulier ista non fuit egressa e domo, nisi ob necessitatem et propter utilitatem salutemque filiae; et egressa ad Christum venit; non ad magas et ligaturas, non ad vanas superstitiones recurrit. Sic mulieribus extra necessitatem extra domum eundum minime est. Hinc enim multa mala oriuntur, cum filiae domi dimittuntur solae vel cum ancillis, quae saepe corruptae filias corrumpunt atque prostituunt, dum matres per civitatem gyrovagantur ex curiosa vanitate. Dina, filia Iacob, ob curiosam vani-

nec extra domum vagentur, filiabus vigilantiam subtrahentes;

74) Mt 15, 22. 75) Ibid. 7, 7-8; Lc 11,9-10. Vulg.: *Petite et dabitur vobis*, etc.

tatem corrupta fuit. [76] Absque igitur magna necessitate vel utilitate matribus domo egrediendum non est.

In necessitatibus autem et tribulationibus recurrendum est non ad vanas perniciosasque superstitiones, sed ad pias orationes, ad Ecclesiam, ad Deum, ad Christum, ad Sanctos et Sanctas eius, ut intercedant pro nobis, sicut hodie Apostoli intercesserunt pro chananaea dicentes: *Dimitte eam, quia clamat post nos.* [77] In oratione autem necessaria est fides, spes, humilitas et perseverantia: fides, ut credamus Christum posse in omni tribulatione nostra nobis succurrere; spes, ut fiduciam habeamus eum ex bonitate et misericordia sua velle; humilitas, ut nos omni gratia Dei reputemus indignos; et perseverantia usque ad gratiae consecutionem. O quantum placet Deo talis oratio sic facta cum fide, spe, humilitate et perseverantia!

et in necessitatibus ad Deum recurrant cum fide, spe, humilitate et perseverantia;

Super omnia autem si sit facta cum caritate et magno amore, uti fuit haec oratio chananaeae; non enim dicebat: Miserere filiae meae, vel: Adiuva filiam meam, sed: *Miserere mei... Domine, adiuva me.* [78] Diligebat enim filiam vere ex corde sicut seipsam. Haec autem oratio placet Deo multo magis quam nobis suavissima harmonia et dulcissimus concentus cum omni genere musicorum, cuius suavitate delectati cupimus diu durare sonum tam amabilem, et si musici dono aliquo donandi sunt, differimus mittere donum ut longius sonent. Sic ob id differt Deus postulata concedere.

valde enim Deo placet oratio sancta magno cum amore facta,

Et etiam quia patientia in tribulationibus, spiritu contribulato et corde contrito nimium delectatur, [79] cum haec non reperiantur in paradiso. Sunt autem [80] bona valde pretiosa; unde, sicut nos pretiosis rebus novisque quae ex India veniunt, cum nunquam similia viderimus, eorum visu magnopere delectamur, sic Deus delectatur virtute patientiae singularis, corde contrito et humiliato spirituque contribulato. Delectabatur spiritu Christus videns hodie hanc mulierem tam bene orantem, sicut nimium delectantur parentes dum infantes, cum loqui incipiunt, bene aliquid proferunt, unde tandem prae cordis teneritudine eos amplexantur.

cum patientia et humilitate.

76) Cf. Gn 34, 1-2. 77) Mt 15, 23. 78) Ibid. vr. 25. 79) Cf. Ps 50, 19.
80) Ms.: *Sint at.*

Christus chananaeam hanc prius mortificat ut postea eam consoletur.

IX. *O mulier, magna est fides tua.* Iussit Dominus ut si quis alienigenam mulierem bello captam ducere in uxorem voluisset, prius tonderet capillos capitis illius et ungues vestibusque illius exueret, ac deinde illam desponsaret. [81] Sic agit hodie Christus cum chananaea : mortificat eam prius quam consoletur, quoniam vitiis omnibus spolianda anima est antequam Christo desponsetur. Facit hodie Christus chananaeam ex cane ovem Israel, imo filiam Dei, iuxta visionem Divi Petri, qua linteum de coelo vidit demitti plenum serpentibus ac omnibus immundis animalibus dictumque illi est: *Surge... occide et manduca,* [82] quod signum erat conversionis Gentilium ad fidem Christi, uti fuit conversio Cornelii centurionis. [83] Sed occidenda sunt vitia ut virtutes vivant.

In tribulatione ad Deum recurrendum est, sicut fecit chananaea,

Dum tribulamur a Domino vel a diabolo Domini permissu, eundum nobis ad Christum est cum chananaea, faciendum nobis sicut fecit sapiens illa mulier videns obsessam civitatem Abela ab exercitu David, cum tamen Davidis regis esset civitas. [84] Fecit hodie chananaea sicut mulier sunamitis : cum unicum filium suum mortuum vidit, abiit ad Eliseum, cuius meritis et virtute filium a Deo acceperat, abiit ad eum et procidit ad pedes eius flens et petens vitam mortuo filio. Quamvis autem miserit Eliseus Giezi servum suum cum baculo suo ad mortuum suscitandum, illa tamen pedes prophetae nunquam dimittere voluit, quousque ipsemet Eliseus abiret ad filium suscitandum. [85] Chananaea autem hodie unicam filiam habebat, non mortuam, sed male vivam, cuius vita erat perpetua mors, imo viva mors et vita peior quam mors. Accedit ad Christi pedes ; Christus autem non mittit aliquem Apostolorum cum baculo et virga virtutis suae ad liberandam filiam a daemonio, sed virgam illam accipit, de qua scriptum est : *Percutiet terram virga oris sui,* [86] et hac virga duris verbis percutit chananaeam, veluti canem a se virga hac abicit ; illa tamen nec sic percussa pedes Christi dimittit, sed magis magisque Christi pedes stringit, et tandem Christum precibus flectit ut postulata concedat : *O mulier, magna est fides tua, fiat tibi sicut vis. Et sanata est filia eius in illa hora.* [87] Sic aquae Mara dulces

quae precibus suis Christum flexit ut postulata concederet.

81) Cf. Dt 21, 10-13. 82) Act 10, 13. 83) Cf. ibid. vrr. 22 sqq. 84) Cf. 2 Rg 20, 14-22. 85) Cf. 4 Rg 4, 8-17. 86) Is 11, 4. 87) Mt 15, 28.

factae sunt a Moyse sitienti populo, [88] sic petra virga linguae percussa dat aquas copiosas. [89]

X. *Miserere mei, Domine fili David; filia mea male a daemonio vexatur.* Ad eiciendum daemonium a filia sua mulier ista recurrit ad mysticum David, qui sono suae citharae expellebat malum spiritum, quo Saul vexabatur; [90] hinc ait: *Miserere mei, Domine fili David.* Et Christus quidem pulsans citharam sacratissimae humanitatis suae, quae spiritu divinitatis plena erat, eiecit hunc daemonem, qui chananaeae filiam vexabat: *O mulier, magna est fides tua, fiat tibi sicut vis. Et sanata est filia eius in illa hora;* exiit ad occultum Christi imperium malus spiritus, perfidus ille daemon, virtuti enim Christi diabolus resistere minime potest. **Virtuti Christi diabolus resistere nequit.**

Sed fide opus est: *Magna est fides tua.* Magna est fides quoad obiectum, qui Deus est Christusque Deus et homo; quoad subiectum: superior animae portio, haec chananaea est, inferior portio autem filia *male a daemonio* vexata; tentavit enim serpens Evam non Adam, mulierem non virum. [91] Inferior appetitus servus est centurionis, qui saepe *iacet... paralyticus et male torquetur,* [92] sed centurio apex est mentis. Superior igitur portio animae magna est ratione divinae imaginis et similitudinis, quia etiam natura coelestis et angelica est, magna ratione actus, credidit enim Christum esse verum Messiam; qui *filius David* appellatur in Divinis Litteris, [93] credidit eum omni diabolica potestate esse superiorem, eum omnipotentem esse, omnia posse, scire et velle; magna ratione effectus, quia daemonem vicit expulitque a chananitidis filia. **sed ad Christum accedendum est magna et viva fide,**

Magna res fides est, quae diabolum vincit, nec non et mundum: *Haec est victoria quae vincit mundum: fides nostra;* [94] vincit et carnem, nam: *Qui... sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis;* [95] hoc est quod *mulier* est *a finibus* mundi *egressa,* nam fines mundi sunt *concupiscentia carnis... concupiscentia oculorum et superbia vitae.* [96] Vincit fides diabolum, nam ait: *Appropinquate Deo* **quae sola mundum et diabolum vincit.**

88) Cf. Ex 15, 23-25. 89) Cf. ibid. 17, 5-6: Nm 20, 9-11. 90) Cf. 1 Rg 16, 23. 91) Cf. Gn 3, 2-6. 92) Mt 8, 6. 93) Cf. Is 11, 1; Ier 23, 5; 33, 15; Mt 1, 1-16; Lc 1, 26-33. 94) 1 Io 5, 4. 95) Gal 5, 24. 96) 1 Io 2, 16.

et appropinquabit vobis, resistite . . . diabolo et fugiet a vobis. [97] Sed quomodo resistendum diabolo? Divus Petrus ait: *Adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit quaerens quem devoret, cui resistite fortes in fide.* [98] Et Apostolus ait sumendum *scutum fidei,* quo possimus *omnia tela nequissimi ignea extinguere.* [99]

Quia autem talis fides nobis deest, in tentationibus ad Deum non recurrimus.

Sed cum nos fidem habeamus, quid est quod anima nostra saepe *a daemonio male vexatur* multis tentationibus malarum cogitationum et desideriorum ardoribusque carnalis concupiscentiae et mundanarum cupiditatum? Profecto quia fidem habemus, sed non magnam et fortem nec vivam; hinc non egredimur a mundi finibus, hinc in nostris necessitatibus et adversitatibus minime ad Deum recurrimus, orationi instantes et perseverantes humiliantesque animas nostras Deo. Ubi enim fides reperitur ceterarum virtutum munita praesidiis, omnia vincit tentamenta diaboli: *O mulier, magna est fides tua, fiat tibi sicut vis. Et sanata est filia eius in illa hora.* Hinc Dominus ait quod *omnia possibilia sunt credenti,* [100] et Paulus: *Omnia possum in eo qui me confortat.* [101]

Differt Deus audire orationes nostras ob culpas praeteritas, et ad augendum fidei meritum,

XI. Sed si sic est, quidnam, quaeso, est quod fides, quamvis magna, non tamen nisi magna cum orationum instantia et perseverantia obtinet a Deo quod desiderat? Chananaea enim magna cum fide praedita esset, non tamen nisi post multam instantiam et constantiam obtinuit quod volebat. Profecto quia priores culpae anteactae vitae ita merentur; hoc est quod ait: *Non est bonum sumere panem filiorum;* et si nos saepe clamores Dei divinasque voces contempsimus, mirandum non est si aliquando differt Dominus audire clamores nostros. Aliquando differt Deus ad probandam fidem augendumque fidei meritum, ut tandem nos maxima repleat consolatione: *O mulier, magna est fides tua, fiat tibi sicut vis.* Quamvis etiam nonnunquam differt ut nostram cognoscamus humilitatem atque indignitatem sicque magis ac magis coram Deo humiliemur, quo magis ac magis exaltari mereamur; sic chananaea cum suam – demonstrante Christo qui mentem illuminat, ut homo seipsum cognoscat, – indignitatem

ut scientes indignitatem nostram coram ipso humiliemur,

97) Iac 4, 7-8. Ordine inverso affert hos vrr. 98) 1 Petr 5, 8-9. 99) Eph 6, 16. 100) Mc 9, 22. 101) Phil 4, 13.

cognovisset canemque se esse confessa humiliter esset, a Christo exaltata fuit votique compos facta; et quia orationis perseverantia nobis est summe utilis ac saepe multo utilior quam ea, quam cupimus ac petimus, gratia; vel etiam ut cognoscamus gratiae, quam petimus, pretium ac valorem, quo eam acceptam cariorem habeamus ac teneamus. Nam pretiosum valde necesse est esse id quod optimus et liberalissimus mercator nonnisi magno pretio vendere vult. Multas autem gratias Deus Christo unigenito Filio suo carissimo vendidit pretio orationis, nam: *Erat pernoctans in oratione Dei.*[102] Quid mirum igitur si a nobis quoque requirat Deus perseverantiam orationis? Sufficit ut tandem audiamus: *O mulier, magna est fides tua, fiat tibi sicut vis.*

et pretium ac valorem gratiae petitae agnoscamus;

Et si aliquando non exaudit, sicut nec Paulum ter rogantem ut discederet ab eo angelus satanae exaudivit,[103] hoc est quia saepe nescimus quid petamus et utilius nobis est non consequi gratiam quam petimus. Sic enim Paulo Dominus respondit: *Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitatibus perficitur;*[104] duobus autem discipulis primatum in regno Christi petentibus respondit: *Nescitis quid petatis.*[105] Si autem bona et utilia petimus, exaudit semper, nam inquit: *Si ... vos cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris, quanto magis Pater vester* coelestis *dabit spiritum bonum petentibus se?*[106] O nos felices, si semper *spiritum bonum* a Deo peteremus!

saepe etiam non audit, quia petita utilia non sunt.

II. ALIA HOMILIA

Egressus Iesus secessit in partes Tyri et Sidonis. Et ecce mulier chananaea a finibus illis egressa clamabat dicens, etc.[1]

I. Sicut Deus tentare voluit Abrahamum in Isaac dilectissimo eius filio ad probandam fidem ipsius eamque mundo manifestandam,[2] sic Christus probare voluit chananitidem mulierem in eius

Christus chananaeam probat

102) Lc 6, 12. 103) Cf. 2 Cor 12, 8. 104) Ibid. vr. 9. Vulg.: *In infirmitate perficitur.* 105) Mc 10, 35-40. 106) Lc 11, 13. Vulg.: *Pater vester de coelo, etc. Coelestis* lect. cod.

1) Mt 15, 21. 2) Cf. Gn 22, 1-12.

ad declarandam magnitudinem ipsius fidei,

dilectissima filia ad probandam ac declarandam magnitudinem fidei ipsius, sicut etiam tentando Deus Abraham exaltavit – unde hebraice נָסָה [3] utrunque significat: et t e n t a r e et e x a l t a r e, [4] – ita Christus tentando syrophoenissam hanc exaltavit.

In sacrosancto autem hodierno Evangelio duo nobis videnda sunt: unum est, ostendere quomodo Deus tentat probatque fidelem animam et quomodo cum illa se gerit; alterum, quomodo se gerere debeat fidelis anima cum a Deo tentatur.

Christus pro salute unius filiae chananaeae iter hodiernum aggressus est,

II. Quoad primum: *Egressus est Iesus in partes Tyri et Sidonis.* Aggressus est hodie Dominus magnum iter, sed ad quid? Nihil aliud in hoc itinere Dominum fecisse legimus, praeter hoc unum tantum opus, quo ad instantiam chananitidis filiam ipsius a daemonum vexatione liberavit. [5] O rem admirabilem! Pro salute unius tantum animae Christus magnum iter aggreditur. Sic pastor unam quaerit ovem quae perierat, sic mulier unam drachmam quaerit quam perdiderat. [6] A p o s t o l u s ait: *In fide vivo Filii Dei, qui dilexit me et tradidit animam suam pro me.* [7] Singulariter loquitur, quia pro salute unius tantum animae passus fuisset Christus; hoc est: *Egressus est in partes Tyri,* quod t r i b u l a t i o interpretatur, *et Sidonis,* quod est v e n a t i o; sicut enim *cerva matutina,* qui titulus est *Psalmi 21,* in quo Christi passio ad amussim describitur, [8] passus est Christus persecutionem a Iudaeis rabidis canibus. Et sicut homo quilibet nil minus homo est nilque minus corpus et animam habet, nil minus integram naturam humanam, eo quod innumerabiles homines naturam eandem habeant, quam si ipse solus esset homo in mundo, sicut Adam, nec minus illuminatur a sole regiturque a coelo cum innumeris aliis, quam si solus esset, sic nil minus gaudet homo de beneficio passionis Christi eo quod pro omnibus passus sit Christus, quam si passus pro singulis esset.

ut ostenderet quod pro salute etiam unius animae passus fuisset,

Egressus est igitur *Iesus,* aggressus est iter pro salute unius animae,

3) Ms.: *Nisah.* 4) Per litterarum cognationem, nam נָשָׂא est *attollere* et נָסָה, *tentare.* Cf. Sanctes Pagnini *Thesaurus Linguae Sanctae,* sub radice: נָסָה. 5) Cf. Mt 15, 28.

6) Cf. Lc 15, 4-19. 7) Gal 2, 20. Vulg.: *Tradidit semetipsum pro me.*

8) Hebraice Ps 22.

egressus est ad liberandam a daemone filiam chananaeae; et tamen fingit se longius ire,[9] cum mulier ad eum clamat: *Miserere mei, Domine fili David... non respondit ei verbum... Non sum missus nisi ad oves quae perierunt de domo Israel... Non est bonum sumere panem filiorum et mittere canibus.*[10] Hoc videtur esse proprium Dei: prius humiliat, deinde exaltat, prius affligit, deinde consolatur. In mundi creatione, post tenebras creavit lucem,[11] hominemque extra paradisum creavit et postea in paradisum adduxit.[12] In mundo hoc hiems praecedit ver et aestas autumnum et post noctis obscuritatem sol clarum diem affert; sic Deus prius electis suis dat amarum et postea dulce. Cum eduxisset synagogam de Aegypto, transito mari Rubro, adduxit eam ad aquas Mara amarissimas; sed postea aquas illas dulcoravit,[13] postea duxit populum ad dulces aquas Elim,[14] postea manna eis dedit[15] idemque populus Dei post longam peregrinationem in deserto pervenit ad terram promissionis lacte et melle fluentem.[16] Iacob prius pugnam passus fuit ab angelo, deinde benedictionem accepit;[17] David post multas tribulationes et persecutiones pervenit ad israelitici regni coronam;[18] Christus ipse per passionem crucis pervenit ad gloriam regni sui: *Oportuit pati Christum et ita intrare in gloriam suam.*[19] Sic chananaea hodie prius gustat fellis amaritudinem et postea mellis dulcedinem. Samson in ore leonis, quem pugnando occiderat, invenit favum mellis, hinc ait: *De forti egressa est dulcedo.*[20] Sic vitis prius facit uvam acerbam et postea dulcem, et ficus ante maturitatem insuaves sunt valde, post plenam vero maturitatem dulcissimae sunt. Sic Deus populo suo post ardentissimam sitim de petra durissima eduxit flumen aquarum[21] et Samsoni ex maxilla asini, qua mille Philisthaeos occiderat, eduxit aquam ad extinguendum mortalis sitis ardorem.[22] Isaias, Dei nuntius, Ezechiae regi prius mortem, deinde vitam nuntiavit ulcusque sanavit.[23] Paulum Christus prius prostravit et excaecavit, postea illuminavit et erexit[24] in coelumque usque exaltavit.[25] Deus prius afflixit Iob

Hoc proprium Dei est: prius humiliare, deinde exaltare,

sicut cernitur in multis factis Antiquae Legis.

9) Cf. Lc 24, 28. 10) Mt 15, 22-26. Vulg.: *Domus Israel*, etc. 11) Cf. Gn 1, 2-5. 12) Cf. ibid. 2, 7-15. 13) Cf. Ex 11, 23-25. 14) Cf. ibid. vr. 27. 15) Cf. ibid. 16, 13-15. 16) Cf. Ios 4,1 sqq. 17) Cf. Gn 32, 24-29. 18) Cf. 1 Rg 18, 1 sqq.; 2 Rg 5, 1 sqq. 19) Lc 24, 26. 20) Idc 14, 5-14. 21) Cf. Ex 17, 5-6; Nm 20, 8-11. 22) Cf. Idc 15, 14 sqq. 23) Cf. 4 Rg 20, 1-7; Is 38, 1-21. 24) Cf. Act 9, 3-22. 25) Cf. 2 Cor 12, 2-4.

et postea consolatus fuit; [26] Moysen prius humiliavit ex magno principe in Pharaonis palatio faciens pastorem ovium in terra Madian, deinde exaltavit faciens eum ex pastore ovium pastorem hominum totiusque israelitici populi ducem principemque constituens. [27] Ioseph ille patriarcha sanctissimus prius afflictus mille modis fuit, a fratribus odio habitus venditusque Ismaelitis vilissimo pretio, [28] deinde in Aegypto ob falsas calumnias dominae suae in carcerem coniectus; [29] sed postea super universam Aegyptum gloriosissime exaltatus fuit. [30] Sic Deus electos suos prius humiliat, deinde exaltat, prius affligit, deinde consolatur, prius mortificat, postea vivificat: *Secundum numerum dolorum meorum in corde meo consolationes tuae laetificaverunt animam meam;* [31] *Sicut abundant passiones Christi in nobis, ita et per Christum... consolatio nostra.* [32] Sic chananaea, post magnam afflictionem, consolationem accepit a Christo: *O mulier, magna est fides tua, fiat tibi*, etc.

et hodie in muliere chananaea.

III. Nunc autem videndum nobis est quomodo anima tentata a Deo se gerere debeat, ut tandem mereatur consequi gratiam divinae consolationis. Chananaea quidem in tribulatione posita, eo quod filia eius male a daemonio vexaretur, audita fama miraculorum Christi, a finibus Tyri et Sidonis egressa venit ad Christum. Oportet egredi a finibus pristinae conversationis et mundanae vitae, ut ad Deum accedamus. Cum tribulatione aliqua angustiamur, videndum nobis est ne causam Deo dederimus indignationis et irae, nam peccata sunt potissimae tribulationum causae, nam, ut plurimum, « nulla nocet adversitas si nulla dominetur iniquitas ». [33] Faciendum nobis est sicut fecit sapiens illa mulier civitatis Abela, quae videns civitatem ab exercitu David circumdatam atque obsessam militesque conantes ad eam oppugnandam et demoliendos muros, mirata valde clamavit ad Ioab ducem generalem exercitus: *Quare praecipitas hereditatem Israel? Tu quaeris subvertere civitatem et evertere matrem in Israel.* Cui Ioab respondit: *Absit, absit hoc a me, non praecipito*

Cum tribulatione aliqua angustiamur, videndum nobis est an causam irae Deo dederimus,

peccata enim sunt causae potissimae tribulationum,

26) Cf. Iob 1, 13-2, 8; 42, 10 sqq. 27) Cf. Ex 2, 5-3, 1 sqq. 28) Cf. Gn 37, 1 sqq. 29) Cf. ibid. 39, 6-20. 30) Cf. ibid. 41, 37-45. 31) Ps 93, 19. Vulg.: *Secundum multitudinem*, etc. 32) 2 Cor 1, 5. 33) Cf. S. Gregorius M. *Liber Sacramentorum*, (P. L. 78, 57); Missale Rom. Feria Sexta post Cineres, Orat. super populum.

neque demolior. Non sic se habet res, sed homo de monte Ephraim, Seba, filius Bochri cognomine, levavit manum suam contra regem David; tradite illum solum et recedemus a vobis.[34] Quo audito, sapiens mulier civitati suasit ut inimicus ille regis occideretur caputque illius amputatum per murum civitatis proiceretur ad Ioab; quod mox ut factum fuit, soluta fuit obsidio, abiit exercitus et civitas remansit salva et libera.[35]

et si aliquod peccatum invenerimus, id per poenitentiam auferre debemus;

Sic cum nos tribulationum exercitu cingimur, videndum est ne intra nos inimicum Dei receperimus, ne aliquod peccatum commiserimus. Examinemus coram Deo conscientias nostras; si quid autem reperimus, amputemus caput illius gladio igneo atque versatili[35a] cordialis contritionis et proiciamus extra civitatem ad Ioab per sacramentalem Confessionem vitamque nostram emendemus; quod sic a tribulatione liberi erimus. Hoc est quod chananaea a finibus Tyri et Sidonis, a finibus Chananaeorum egressa fuit.

prius enim relinquenda sunt omnia vitia et peccata,

IV. *Ecce mulier.* Res plane nova ut mulier mundanas consuetudines et vanitates moresque saeculi relinquat: *Ecce mulier chananaea a finibus illis egressa*, non a fine, sed *a finibus*, quia omnia vitia et peccata relinquere oportet. Hoc est quod iudaeus prohibetur ne quid immundum comedat aut tangat,[36] nazaraeus ne bibat omne quod inebriare potest, nec quicquam de vite comedat;[37] hoc est quod Saul praecipitur omnes Amalecitas cum omnibus rebus suis perdere,[38] et Hebraei prohibiti sunt ne de Iericho anathemate quicquam acciperent.[39] Sic accedentem ad Christum omnia superioris vitae mundanaeque conversationis vitia relinquere oportet.

et postea ad Deum accedendum magna cum fide.

A finibus illis egressa. Sicut Abigail prudens et sapiens mulier irato Davidi obviam venit eumque verbis et muneribus adeo placavit, ut eius amore captus David eam in uxorem acceperit,[40] sic hodie accidit chananaeae; Christo enim per fidem desponsata est postquam eum precibus suis placavit. Nec tantum *a finibus... egressa* est, sed etiam *clamavit* ad Dominum: *Miserere mei, Domine fili David, filia mea male a daemonio vexatur.*[41] In tribulatione

34) 2 Rg 20, 19-21. Vulg.: *Praecipitas hereditatem Domini ?... recedemus a civitate.* Ordine inverso affert hos vrr. 35) Cf. ibid. vr. 22. 35a) Cf. Gn 3, 24. 36) Cf. Lv 11, 1 sqq.; Dt 14, 3-21. 37) Cf. Nm 6, 1-4. 38) Cf. 1 Rg 15, 2-3. 39) Cf. Ios 6, 18-21. 40) Cf. 1 Rg 25, 18-42. 41) Mt 15, 22.

posita recurrit non ad idola, ut Ochozias infirmus ad Beelzebub deum Accaron ac si non fuisset Deus in Israel, ut Elias ait, [42] sed ad Deum vivum verumque; non ad mulierem pythonissam, sicut Saul, [43] non ad malas damnatasque artes, ad magos magasque, ad alligaturas et imposturas, sed ad Christum recurrit, ad orationis praesidium magna cum fide; Christum enim credebat tanquam verum Messiam divinumque mundi Salvatorem ac verum Deum posse quaecunque vellet. Hinc solum precatur ut misereri velit, divinam misericordiam implorat, sciens nil posse ex meritis a divina iustitia obtinere.

In oratione patienter et humiliter perseverando.

Adhuc vero patientia et longanimitate in oratione opus est multaque perseverantia. Nam chananaea oravit primo et Christus *non respondit ei verbum;* oravit secundo et cum obiurgatione repulsa fuit: *Non est bonum sumere panem filiorum et mittere canibus;* sed aequo animo perseverans obtinet quicquid vult. Cum tertio orat: *Etiam, Domine, nam et catelli edunt de micis, quae cadunt de mensa dominorum suorum,* [44] humilitas chananaeae vicit Christum; hinc humiliatam exaltat: *O mulier, magna est fides tua.*

His conditionibus praedita oratio omnia consequitur.

Cum igitur a Deo tentamur, his nobis virtutibus opus est: emendatione vitae, orationis instantia et perseverantia, patientia et humilitate, his enim virtutibus comitata magna fides est et apud Deum omnia potest, et ob has virtutes laudat Christus chananitidis fidem: *O mulier, magna est fides tua, fiat tibi sicut vis.* [45]

Ostendit etiam hodie Christus se venisse ut Gentiles gratia sua ad veram fidem converteret.

V. Sed quidnam, quaeso, est? Modo dixerat Dominus: *Non est bonum sumere panem filiorum et mittere canibus,* et modo concedit cani filiorum panem? Si *non est bonum,* quomodo facit Christus id quod nequam est? Sed venerat Christus ut immundos canes Gentilium gratia sua converteret in oves Israel et filios Dei; fides enim viva hominem Dei filium efficit. Hoc est quod legimus in *Actibus Apostolorum* in conversione Cornelii centurionis, qui gentilis erat, quod Petrus dum oraret factus in extasi, vidit aperto coelo descendere linteum plenum serpentibus aliisque immundis animalibus dictumque est ei: *Surge, Petre, occide et manduca;* [46] iterumque receptum est

42) Cf. 4 Rg 1, 2-6. 43) Cf. 1 Rg 28, 7. 44) Mt 15, 27. 45) Ibid. vr. 28.
46) 10, 13.

vas in coelum. Immunda enim illa animalia Gentiles designabant, qui, suscepta fide, munda sunt facta ex immundis; hinc Petro dicitur: *Quod Deus purificavit tu commune ne dixeris.*[47] Quod autem lege vetitum est, ne immunda animalia comederentur ab Hebraeis, mysterium erat, quod Lex Moysi populusque hebraicus nequaquam conversurus erat paganismum ad cultum Dei, sed quod fidei Christi et Evangelio hoc asservabatur. Chananaea igitur, suscepta Christi fide, facta est ex cane ovis Israel et filia Dei. Et praeterea hoc est quod apud Ezechielem legimus: Etiam *si... dixero impio: Morte morieris,* et *conversus* impius *ab impietate sua... fecerit iudicium et iustitiam... vita vivet et non morietur.*[48] Sic Deus per Isaiam Ezechiae regi dixerat: *Dispone domui tuae, quia morieris tu et non vives;* postea tamen, mutata sententia, vitam ei tribuit quindecim annorum.[49] Sic hodie ait: *Non est bonum,* deinde concedit, quia prius non merebatur, postea meruit: *O mulier, magna est fides tua, fiat tibi sicut vis.*

quod Moyses facere non poterat.

VI. *Egressus* est Iesus et *egressa* est mulier, sed prior egressus causa est secundi; sicut nativitas Christi causa est regenerationis, mors Christi causa mortis peccati, resurrectio Christi causa vitae aeternae; sic egressus Christi causa est nostri egressus e mundo ad Deum. Fines autem mundi sunt bona honorabilia, delectabilia et honesta. Ut autem haec relinquamus et ad Deum diligendum super omnia accedamus, Christus in causa est. Ipse enim veluti magnes est, nos ferrum; trahit magnes ferrum, sic Christus chananaeam traxit. *Egressus* Iesus et *egressa* mulier; ut Christus ingressus est *in partes Tyri et Sidonis,* tunc *mulier a finibus illis egressa*[50] est. Si Moyses non fuisset ingressus in Aegyptum, nunquam inde egressa fuisset synagoga: *Nemo venit ad me, nisi Pater qui misit me traxerit eum.*[51] Venit igitur hodie chananaea ad Christum, sed tracta a Deo, qui trahit funiculis caritatis,[52] trahit sicut amatum et desideratum.

Per Christum ad Deum accedimus.

VII. *Non respondit ei verbum.* Hodie ablactare videtur Christus chananaeam. Sicut autem Abraham diem festum celebravit ma-

47) Ibid. vr. 15. 48) 33, 12-15. Vulg.: *Feceritque iudicium,* etc. Ordine inverso affert hos vrr. 49) 38, 1-5. 50) Ms.: *Egressus.* 51) Io 6, 44. Vulg.: *Nemo potest venire,* etc. 52) Cf. Os 11, 4.

In hodierno Evangelio ostenditur etiam admirabilis processus gratiae quae ex anima infideli ovem Dei facit.

gnumque fecit convivium in die quo Isaac ablactatus fuit, [53] non in die quo natus, sic hodie Christus, cum amaritudine ablactasset chananaeam, postea laetatur: *O mulier, magna est fides tua, fiat tibi sicut vis.* Hoc est quod apud Isaiam legimus: *Quem docebit scientiam et quem intelligere faciet auditum? Ablactatos a lacte, avulsos ab uberibus.* [54] Hinc hodie Christus ablactare voluit chananaeam, ut altiora fidei mysteria intelligeret. Infantibus quidem lacte opus est, non solido cibo; perfectorum autem solidus est cibus. Christus autem chananaeam perficere voluit. Despicit primo Christus chananaeam, quasi non esset ovis *domus Israel,* [55] sed haedus aut capra, quae in die iudicii statuenda esset ad sinistram Christi; [56] despicit ac si canis esset, non filia Dei: *Non est bonum sumere panem filiorum et mittere canibus.* Omnes homines vel canes sunt vel filii Dei, vel oves pascuae [57] Dei vel caprae gregis satanae.

Semel autem accepta gratia, servanda est bene vivendo.

Considerandum igitur nobis est, fratres, ne forte canes simus, non filii Dei; nam de christiano, qui post acceptam in Baptismo Spiritus Sancti gratiam, male vivit, inquit Divus Petrus: *Canis rursus ad... vomitum, et: sus lota in volutabro luti.* [58] Quandiu autem canes fuerimus ad peccatorum vomitum revertentes, nunquam digni erimus gratia Dei, nam: *Non est bonum sumere panem filiorum et mittere canibus.* Christianus qui post confessionem rursus ad ea peccata revertitur, quae prius confessus fuerat, canis est ad vomitum rediens. O quot canes, o quot canes in Ecclesia Dei, fratres mei! Sed scriptum est: *Foras canes, foras canes.* [59] Non vult Deus in paradiso canes, sed filios. Nunc vide, frater, quid esse velis: canis an filius Dei. Est autem canis animal iracundum, invidum, mordax, vorax, nunquam saturum; [60] si quid boni habet est quod dominum suum agnoscit, ei servit, ei fidelis est; sus autem minime. Hinc Divus Petrus peccatorem non tantum *canem*, sed etiam *suem* appellat: *Canis rursus ad... vomitum, et: sus lota in volutabro luti.* Ad quid lavetur sus, si statim ad volutabrum luti revertitur? Et tu ad quid confiteris, si statim ad eadem peccata reverteris?

ne rursus ad peccatum revertentes de domo Dei eiciamur.

53) Cf. Gn 21, 8. 54) 28, 9. 55) Mt 15, 24. 56) Cf. ibid. 25, 32-33. 57) Cf. Ps 73, 1; 78, 13; 94, 7; 99, 3. 58) 2 Petr 2, 22. Vulg.: *Reversus ad vomitum,* etc. 59) Apc 22, 15. Vulg.: *Foris canes.* 60) Ms.: *Satur.*

VIII. *Et ecce mulier chananaea a finibus illis egressa.* Non exigit a nobis Dominus ut temporalia bona omnino relinquamus, diviti enim illi dixit: *Si vis perfectus esse, vade, vende* omnia *et da pauperibus;* [61] sed requirit ne finem nostrum in terrenis bonis statuamus. Aliquis enim statuit finem suum in divitiis, alius in voluptatibus, alius in honoribus; hi, ut plurimum, sunt mundi fines: Sed *a finibus egressa* chananaea venit ad Christum.

Non exigit Deus ut bona mundi omnino relinquantur, sed ne in illis finis ultimus statuatur.

Sicut faber ferrarius aquam, quae suapte natura ignem extinguit, aspergendo super ignem magis magisque accendit, sic Christus hodie repulsis quibusdam magis accendit ignem caritatis et magnae fidei in corde chananitidis: *Etiam, Domine.* Postquam mulier canem se esse confessa est, immundum animal, consecuta est optatissimam gratiam, quia ad Spiritus Sancti gratiam consequendam necessaria est peccati cognitio, odium et confessio: *Humilibus ... dat gratiam;* [62] *Qui se humiliat, exaltabitur.* [63] Humiles spiritu salvabuntur; [64] humilem sequitur gloria; [65] oratio humilis a Deo impetrat et obtinet omnia. [66]

Fictis repulsis Christus caritatem, fidem et humilitatem magis probat ut exaltet.

III. ALIA HOMILIA

Egressus est Iesus ... in partes Tyri et Sidonis. Et ecce mulier ... a finibus illis egressa clamabat dicens ...: Miserere mei, etc. [1]

I. In sacrosancto isto Evangelio duo nobis videnda sunt: primum quid significet istud *egressus est Iesus,* et secundum quid *et ecce mulier ... a finibus illis egressa,* hi enim sunt veluti cardines totius hodierni Evangelii. *Egressus est Iesus,* hoc nobis considerandum prius est. Elias egressus in fines Sidonis a vidua sareptana susceptus fuit hospitio sustentatusque, cuius tandem filium magno miraculo suscitavit. [2] Sic hodie Christus per fidem hospitio receptus est in

Considerandum est quid significent egressus Christi et egressus chananaeae.

61) Mt 19, 21. *Omnia* lect. cod. 62) Iac 4, 6; 1 Petr 5, 5. 63) Lc 14, 11; 18, 14. 64) Cf. Ps 33, 19; Prv 29, 23. 65) Cf. Prv 15, 33. 66) Cf. Eccli 35, 21.

1) Mt 15, 21. Vulg.: *Clamavit dicens,* etc. 2) Cf. 3 Rg 17, 9 sqq.

corde huius mulieris: *Habitare Christum per fidem in cordibus vestris;*[3] *O mulier, magna est fides tua, fiat tibi sicut vis.*[4] Sic magno miraculo unicam eius filiam liberat a daemonio, a quo male vexabatur.[5]

Christus in mundum venit ad nos liberandos de potestate diaboli,

II. *Egressus* est *in partes Tyri et Sidonis.* Omnia sunt mysteria: egressus, partes, Tyrus, Sidon. Sidon enim v e n a t i o est; Tyrus, hebraice צֹר,[6] a n g u s t i a, a f f l i c t i o, o b s e s s i o; venatio autem idem ac piscatio est: *Faciam vos fieri piscatores hominum.*[7] Ad hoc *egressus* est *in partes Tyri et Sidonis* Christus, ad patiendum pro salute animarum, ad liberandum nos de potestate diaboli, sicut hodie liberavit filiam chananitidis. *Egressus* est *in partes Tyri.* Non omnia mala nostra suscepit Christus, sed partes malorum. Sunt mala temporalia et mala aeterna, sunt mala poenae et mala culpae, mala corporalia et mala spiritualia, uti sunt vitia. Suscepit Christus mala corporalia, temporalia, mala poenarum, non culparum, non spiritualia aut aeterna mala. *Egressus* est non ad suscipienda bona, sed mala nostra, ideo *in partes Tyri; egressus* est ad utilitatem non suam, quia bonorum nostrorum non indiget,[8] est Deus שַׁדַּי,[9] s i b i s u f f i c i e n s, sed ad utilitatem nostram, ad salvandas *oves quae perierunt domus Israel,*[10] ad dandum panem filiis;[11] *egressus* est pro salute electorum Dei: *Ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum;*[12] electos enim vocat *filios Dei* et *oves domus Israel,* nam: *Statuet... oves a dextris,*[13] seipsum autem vocat *pastorem* missum ad salvandas oves eripiendasque de faucibus leonis,[14] sicut David agebat,[15] et *patrem: Non est bonum sumere panem filiorum;*[16] gratiam vero, per quam veluti per scalam ascendunt electi in coelum, vocat *salutem: Non sum missus nisi ad oves quae perierunt domus Israel*[17] salvandas, et *panem: Sumere panem filiorum,* ad denotandam eius necessitatem. Panis enim ad vitam summe necessarius est, hinc Christus ait: *Beati qui esuriunt et sitiunt iustitiam;*[18] iustitia enim

ideo suscepit mala nostra poenae, non culpae,

ut gratiam suam ad salutem consequendam nobis conferret.

3) Eph 3, 17. Vulg.: *Christum habitare,* etc. 4) Mt 15, 28. 5) Cf. ibid. vr. 22. 6) Ms.: *Zur.* 7) Mt 4, 19; Mc 1, 17. 8) Cf. Ps 15, 2. 9) Ms.: *Scadai.* 10) Mt 15, 24. 11) Cf. ibid. vr. 26. 12) Io 11, 52. 13) Mt 25, 33. 14) Cf. Io 10, 11-16. 15) Cf. 1 Rg 17, 34-36. 16) Mt 15, 26. 17) Ibid. vr. 24. 18) Ibid. 5, 6.

cibus et potus est dans vitam aeternam, quae est electorum hereditas finisque divinae praedestinationis, nam: *Si... filii, et heredes: heredes quidem Dei, coheredes autem Christi.* [19]

Ad multa patiendum venit, quia vult omnes salvare.

Sed quid est quod Christus prius dicit: *Non est bonum sumere panem filiorum et mittere canibus,* [20] et postea dat panem hunc? Profecto hoc est quod per Ezechielem Dominus ait: *Etiamsi dixero impio: Morte morieris, conversus* autem impius *ab impietate sua... fecerit iudicium et iustitiam... vita vivet et non morietur.* [21] Sic enim Deus *vult omnes homines salvos fieri* [22] et neminem vult perire. [23] Hinc Christus cupidus salutis nostrae *egressus* est *in partes Tyri et Sidonis; egressus* est ad multa patiendum et venandum animas. Quis venator non cupit feras invenire et capere? Quis piscator non multos pisces sagena et retibus comprehendere? Sic Christus maximo flagrat ardetque desiderio salutis animarum; hinc hodie ad venandum egreditur et praedam capit.

In hoc occursu Christi et chananaeae ostenditur admirabilis processus gratiae in conversione animae.

III. *Egressus* est *Iesus* et *egressa* est *mulier.* Veluti coelum universum super duos polos et cardines mundi consistit et in gyrum agitur, sic hodierno Evangelio duo haec verba: *egressus* et *egressa,* veluti poli et cardines sunt. Ut fiat matrimonium necesse est ut *egrediatur sponsus de cubili suo et sponsa de thalamo suo.* [24] *Desponsabo te mihi in fide.* [25] Sponsa egreditur obviam sponso. Videndum autem nobis est unde egressus sit Christus, quo sit egressus et ad quid; similiter unde egressa sit mulier, quo et qua ratione vel causa mota. Sicut autem ad procreandam sobolem necessarius est congressus viri et mulieris, ita tamen ut ille potens sit ad generandum et ista apta ad concipiendum; ita ad iustificandam animam et concipiendum Spiritum Sanctum divinumque amorem, necessarius est iste congressus Christi et animae rationalis. *Egressus* est Iesus potens et volens, et *egressa* est mulier apta et disposita ad divinum hunc partum concipiendum. Ut fiat statua artifice opus est et materia: lapis vel lignum. *Egressus* est: ecce artifex, statuarius, sculptor; *et ecce mulier... a finibus... egressa:* haec est materia, lignum et lapis, unde

19) Rom 8, 17. 20) Mt 15, 26. 21) 33, 12-15. Vulg.: *Si autem dixero... feceritque iudicium,* etc. Ordine inverso affert hos vrr. 22) 1 Tim 2, 4. Vulg.: *Omnes homines vult,* etc. 23) Cf. 2 Petr 3, 9. 24) Ioel 2, 16. 25) Os 2, 20. Vulg.: *Sponsabo,* etc.

Christus mira arte effecit vivum Sanctae Ecclesiae simulacrum. Mulier enim haec magna fide praedita Sanctam designat Ecclesiam ex Gentibus conversam. Fit autem ex lapide statua tunsionibus ictibusque, malleo opus est et scalpris; sic Christus hodie dure prius tractare videtur chananitidem hanc. Sed artifex, perfecta statua, laetatur; sic Christus, cum animam mulieris huius virtutibus perfecisset, vitiis omnibus ablatis, laetatus est: *O mulier, magna est fides tua, fiat tibi sicut vis.*

Christus, postquam mulierem hanc sanctificavit, valde laudat.

IV. *O mulier, magna est fides tua, fiat tibi sicut vis.* Sicut Deus, cum *de tenebris* fecisset *lumen splendescere,* [26] laudavit lucem quam fecerat, [27] ita hodie Christus, cum post tenebras infidelitatis lucem fidei et virtutis creasset in corde mulieris huius, laudat eam, et sic chananaea post tenebras lucem vidit, post noctem obscuram clarissimum diem, post tenebras tribulationis luce fruitur divinae consolationis. Laudat Christus et honorat mulierem hanc, sicut Deus in opere tum creationis tum etiam recreationis femineum sexum magno honore affecit; nam Evam una cum Adamo principem mundi constituit dicens: *Dominamini piscibus maris et volatilibus coeli et bestiis universaeque terrae.* [28] Si ad imaginem et similitudinem Dei creatus fuit vir, similiter mulier; [29] si manu Dei vir, manu Dei mulier, imo ex nobiliori materia, nobiliori loco et nobiliori tempore. Vir formatus fuit ex terra, ex luto, mulier autem ex carne et osse costae Adami: *Hoc nunc os ex ossibus meis et caro de carne mea;* [30] nobilior autem materia est caro quam terra. Nobiliori loco, quoniam vir formatus fuit in terra extra paradisum, mulier autem in paradiso, posteaquam *tulit... Dominus... hominem et posuit eum in paradiso voluptatis* dixitque: *Non est bonum hominem esse solum, faciam ei adiutorium simile sibi,* [31] ita ut alterum se coram se habeat, veluti si seipsum ante se videret in magno speculo. Nobiliori etiam tempore, nam homo, idest vir, sexto die formatus fuit, [32] mulier autem septimo creata videtur, [33] cum Divina Scriptura dicat quod septimo

Femineum sexum Deus summopere honoravit in mundi creatione,

26) 2 Cor 4, 6. 27) Cf. Gn 1, 3. 28) Ibid. vrr. 26-28. Ordine inverso affert hos vrr. 29) Cf. ibid. vr. 27. 30) Ibid. 2, 23. 31) Ibid. vrr. 15-18. Vulg.: *Faciamus ei*, etc. 32) Cf. ibid. 1, 27. 33) Cf. supra, pag. 368, not. 54 primae homiliae huius Feriae.

die complevit Deus opus creationis.[34] Si septimo die complevit, ergo aliquid fecit die septimo, opus aliquod operatus fuit, quod fuerit ultimum opus Dei; ultimum autem opus Dei mulier est. Septimo ergo die creata est; septimus autem dies ceteris multo nobilior est, quoniam *benedixit* Deus *diei septimo et sanctificavit illum.*[35]

Sic Deus in mundi creatione femineum sexum magno honore affecit; multo autem maiori in recreatione. Cum enim disposuisset ut unigenitus Filius suus humanaretur et potuisset novum hominem formare sicut creavit primum hominem, noluit tamen, sed voluit ut in muliere incarnaretur, ut filius esset mulieris, ut mulier esset Mater Dei. Summum hunc infinitumque honorem tribuere voluit femineo sexui, ut mulier esset sponsa Dei, regina mundi, domina Angelorum, imperatrix paradisi, princeps gloriosissima totius universi. Sic semper honoravit Deus sexum femineum. Si spiritum propheticum dedit multis viris, dedit etiam multis mulieribus; si multos sanctificavit et glorificavit in coelo viros, multas etiam sanctificavit et glorificavit mulieres.

sed multo magis in mundi recreatione per Verbi incarnationem.

V. Et profecto magnum Dei donum est mulier, quod illis verbis insinuat Divina Scriptura: *Non est bonum hominem esse solum, faciam ei adiutorium simile sibi;* donum utile, quia *adiutorium*, donum delectabile, quia *simile*, donum honorabile, quia *faciam*, opus est manuum Dei et opus valde nobile, unde hebraice dicitur אִשָּׁה,[36] quasi ignea. Ignis enim nobilissimum est elementum, semper ad coelestia tendens et volans; sic mulier veluti ignea creata fuit, ut nobilibus cogitationibus et desideriis flammisque divini amoris semper coelestia peteret expeteretque. Magnum donum est mulier, quoniam ipsa est fons vitae nostrae. Hinc prima mulier vocata fuit *Eva*, hebraice חַוָּה,[37] quod est *vita, eo quod mater esset cunctorum viventium;*[38] ipsa dat vitam, ipsa conservat, nutrit et fovet ex visceribus suis. Ipsa etiam prima est domus et habitatio hominis; hinc eius formatio dicitur *aedificatio*, quod *aedificavit... Deus... mulierem,*[39] quoniam mulier prima est domus hominis, in qua per

Mulier magnum Dei donum est quoad hominis procreationem

et assistentiam materialem,

34) Cf. Gn 2, 1-3. 35) Ibid. vr. 3. *Deus* adicitur in aliquibus codicibus. 36) Cf. Gn 2, 22-23. Ms.: אשה. 37) Ms.: *Havah.* 38) Gn 3, 20. 39) Ibid. 2, 22.

novem menses habitat. Magnum donum est, quoniam servit homini perpetuo, diu noctuque, sano, infirmo, praesenti, absenti, in oeconomia et cura familiari domus; servit autem fidelissime et magno cum amore ex toto corde et vix reperiri potest strictior, verior et fidelior amicitia quam inter virum et mulierem.

et etiam quoad assistentiam spiritualem;

Quod si magnum donum Dei est quoad corpus, multo maius est quoad virtutes animi. Potens est mulier apud homines pulcritudine et gratia corporali, sed multo potentior apud Deum pulcritudine et gratia spirituali. Fuit mulier hodierna potens cum Christo, sicut Iacob potens cum Deo et praevaluit.[40] Sic[41] accidit, o homo, ut propter preces uxoris aut matris tuae Deus te a multis periculis liberet animae et corporis, sicut ad preces sororum Lazarum suscitavit;[42] saepe domum tuam a tribulatione liberat ob preces mulieris, sicut hodie accidit, sicut etiam Abigail suis precibus et muneribus ad David universam domum viri sui Nabal ab exterminio liberavit.[43] Preces item sanctae mulieris ad Deum multa cum pietate factae pro filiis, multum valent multaque bona filiis impetrant, sicut Bethsabee fuit, quae suis precibus Salomoni filio regnum impetravit,[44] et Rebecca fuit in causa ut Iacob divinam benedictionem, quae tanquam ingens thesaurus omnium bonorum habebatur, a patre acciperet; ipsa enim illum induit vestibus Esau fratris eius maioris, optimis vestibus simillimumque illi pellibus adhibitis effecit.[45] Sic saepe sancta mulier filium sanctis habitibus virtutum ornat, ut Christo similis factus divinam gratiam mereatur.

precibus enim suis mulier virtuosa multa bona a Deo consequitur pro salute familiae suae.

Magnum igitur Dei donum est, quod multas maximasque ac vix explicabiles affert homini utilitates et delectationes. Sed, proh dolor! magnum hoc Dei donum convertit homo in magnum damnum et, cum dederit Deus hunc ignem homini ut eo uteretur pro salutari calore, abutitur ipse in perniciem suam, ut hoc igne comburatur. Mulier facta est ob peccatum ignis, quo totus flagrat ardetque et incenditur mundus ardore libidinis, quoniam suasu antiqui serpentis comedere voluit de vetito *ligno ... scientiae boni et mali.*[46] Primam mulierem Evam legimus prius sanctam factam a Deo, deinde pecca-

Sed magnum hoc donum fieri etiam potest magnum damnum.

40) Cf. ibid. 32, 24-28. 41) Ms.: *Sc.* 42) Cf. Io 11, 3-44. 43) Cf. 1 Rg 25, 3-34. 44) Cf. 3 Rg 1, 15-50. 45) Cf. Gn 27, 6-29. 46) Cf. ibid. 2, 17; 3, 1 sqq.

tricem arte et fraudibus diaboli factam. Hodiernam autem hanc mulierem prius peccatricem chananaeam ex maledicto semine Chanaan,[47] postea vero ex Christi gratia sanctam, laude et honore dignam; prius canis erat, sed mirabili metamorphosi facta est ex cane ovis Israel et filia Dei: *O mulier, magna est fides tua, fiat tibi sicut vis.* Non dicitur amplius *chananaea,* sicut prius: *Ecce mulier chananaea,* sed tantum *mulier* remanet post iustificationem et sanctificationem, natura, sed sine culpa: *Mulier, magna est fides tua.* Omnis mulier, quae in mundo est, in alterutro duorum horum statuum ut inveniatur necesse est: ut vel sit chananaea vel christiana, vel canis vel ovis Israel, vel filia Dei vel filia satanae servaque peccati, vel intra fines *Tyri et Sidonis* vel *a finibus illis egressa* per Christi gratiam, cuius anima vel *male a daemonio vexatur*[48] vel liberata a Christo est factaque ex daemonum domicilio templum Spiritus Sancti. Mulier haec prius reprehensa a Christo fuit tanquam chananaea, postea laudata tanquam christiana; prius audivit: *Non est bonum sumere panem filiorum et mittere canibus,* deinde: *O mulier, magna est fides tua.* Arguitur tanquam chananaea, infelix peccatrix. Chananaea idem est hebraice ac m e r c a t r i x vel h u m i l i s, idest vilis et confusibilis. Omnis mulier, quae mercatrix est et vilis animo, cogitatione, desiderio, terrena tantum appetens, quae sic vivit quasi gentilis esset, quae *syrophoenissa genere* est, t r a h e n s r u b o r e m[49] et verecundiam, unde confusione et vituperio digna est, in primo statu posita est.

Mulier vere christiana maximo honore digna fit, sicut chananaea post conversionem,

secus autem maximo digna fit vituperio.

VI. *O mulier, magna est fides tua.* Facta est chananaea hodie sponsa Christi: *Desponsabo te mihi in fide, in iustitia... misericordia et... miserationibus.*[50] Sed observare voluit in hoc sponsalitio Christus quod in lege Moysi scriptum est, ut si vir hebraeus mulierem bello captam ducere vellet in uxorem eius amore captus, raderet eius caesariem comamque et ungues eius praecideret exueretque vestimentis suis et eam per mensem lugere sineret patrem et matrem suam, ut post luctum veniret ad gaudia nuptiarum.[51] Sic Christus prius expoliavit chananaeam habitibus superioris vitae, quam in gentilismo

Chananaea per renovationem vitae facta est sponsa Christi;

tales etiam debent esse mulieres christianae

47) Cf. ibid. 9, 25. 48) Mt 15, 22. 49) Cf. supra, hom. prima huius Feriae, pag. 370.
50) Os 2, 19-20. Vulg.: *Sponsabo te,* etc. 51) Cf. Dt 21, 11-13.

ut Christo placeant.

duxerat, superfluasque cogitationes a mente et operationes superfluas vitiosasque a manibus amputavit, et post afflictionem amplissime consolatus fuit. Sic, o mulieres, si qua voluerit vere secundum spiritum sponsa Christi esse, indui necesse est *novum hominem*, veteri exuto. [52] Christus non potest non odio habere vitia mundi et carnis.

Multis causis conditio mulierum melior est conditione virorum.

O mulier, magna est fides tua. Commendat Christus hanc mulierem ob virtutem, nam : *Fallax gratia et vana est pulcritudo ; mulier timens Deum ipsa laudabitur.* [53] Multas gratias habere agereque Deo debent mulieres ob muliebrem sexum. Quidam philosophus gratias agebat Deo eo quod natus esset homo non bestia, mas non femina, graecus non barbarus ; [54] sed vos gratias debetis agere Deo quod mulieres vos fecit, non viros, nam vos facilius salvari potestis quam viri. Si enim ad salutem fides necessaria est et valde efficax, vos fecit Deus multo magis dispositas ad fidem multoque faciliores ad credendum quam viros, et viri multo maioribus periculis tum animae tum corporis expositi sunt quam vos ; nam vos veluti naves estis, quae iugiter manent in portu, viri autem naves alta maria mille periculis plena navigare coguntur. Quare existimo quod multo plures feminae salvantur quam viri, nam etsi a diluvio tot feminae quot viri salvati fuerunt, [55] ab incendio tamen Pentapolis unus salvatus fuit vir, sed mulieres duae, et facile etiam uxor Loth salvata fuisset, sed quoniam retro aspexit, conversa fuit in statuam salis. [56] Chananaea autem in sapidissimum sapientiae verae salem conversa est.

Iuvenes mulieres magis tentantur a satana.

VII. *Miserere mihi, Domine fili David, filia mea male a daemonio vexatur.* [57] Duae mulieres hic nobis proponuntur : mater et filia ; illa mulier iam grandaevae et maturae aetatis, ista iuvenis et florenti aetate. Vexatur autem a daemonio non mater sed filia, non vetula sed iuvenis : *Filia mea male a daemonio vexatur.* Iuvenis mulier est quae tentatur a diabolo et vehementer tentatur, quoniam mulier iuvenis aptissimum diaboli instrumentum est ad pertrahendas animas in gehennam ; sic enim : *Videntes filii Dei filias hominum quod essent pulcrae, acceperunt sibi... ex omnibus quas elegerant,* [58] sicque

52) Cf. Col 3, 9-10. 53) Prv 31, 30. Vulg.: *Timens Dominum*, etc. 54) Sic Plato. Cf. Lactantius *Divinae Institut.*, lib. 3, cp. 19, (P. L. 6, 412-413); Plutarchus *Illustrium Vitae, Marius*, f. 190ᵇ. 55) Cf. Gn 7, 7. 56) Cf. ibid. 19, 15-31. 57) Mt 15, 22. Vulg.: *Miserere mei*, etc. 58) Gn 6, 2.

totus mundus corruptus luxuria et libidine fuit; quare ad talem tantumque ignem extinguendum Deus aquas diluvii immisit, apertis cataractis coeli et fontibus abyssi magnae.[59] Tentatur a diabolo iuvenis mulier ut omne studium omnemque cogitationem suam ponat ad se ornandum, ut omnium oculos ad se convertat et pertrahat. Tentatur ut ad ostendendam pulcritudinem et muliebrem mundum discurrat per civitatem sub specie pietatis vel civicae caritatis; tunc hominum oculos in eam convertit et mille accendit flammas carnalis concupiscentiae qua animas perdit: *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam moechatus est eam in corde suo.*[60] Hinc mille sequuntur in mundo scandala.

praesertim ut vanam pulcritudinem ostendant, qua fiunt multorum malorum causa.

VIII. *Et ecce mulier a finibus illis egressa clamabat.* Egressa est a finibus Tyri et Sidonis, per quae mundus hic designatur; Tyrus enim, hebraice צֹר,[61] l i g a m e n interpretatur, sive a n g u s t i a et a f f l i c t i o, Sidon autem v e n a t i o. Sic mundus hic nihil aliud est nisi ligamen et vinculum quoddam animorum, quo veluti constringuntur animi ad diligendos consanguineos, affines, amicos, et ad bona, quae in eo videntur, desideranda et amanda magnique facienda, quorum homines sunt tanquam venatores et piscatores. Ad haec enim consequenda homines mille tendunt retia artium et negotiorum. Venatio autem ista absque multa afflictione esse non potest, hinc coniuncta sunt *Tyrus*, a f f l i c t i o, et *Sidon*, v e n a t i o; nam et venatio non sine afflictione est et saepe saepius multo maior est afflictio et labor quam praeda venationis; saepe accidit sicut Petro, qui ait: Domine, *per totam noctem laborantes nihil cepimus.*[62] Mundus iste mixtura quaedam est bonorum et malorum, lucis et tenebrarum, diei et noctis, aestatis et hiemis, divitiarum et paupertatis, deliciarum et afflictionum, honorum et confusionum, sanitatis et infirmitatis, vitae et mortis. Sic mundus hic *Tyrus* et *Sidon* est.

In sollicitudine pro bonis mundi comparandis multae afflictiones inveniuntur.

Sed quomodo egressa est mulier haec a finibus Tyri et Sidonis? Miseriis pressa: *Miserere mei, Domine fili David, filia mea male a daemonio vexatur.* Multi sunt in mundo sicut Loth in Sodomis, cui

sic Deo disponente ne boni pereant.

59) Cf. ibid. 7, 11 sqq. 60) Mt 5, 28. 61) Ms.: *Zor.* 62) Lc 5, 5.

qui quamvis vitia mundi abhorreant, diligunt tamen eius bona.

displicebant quidem vitia Sodomorum, sed non displicebat habitatio civitatis, quoniam deliciis affluens tanquam paradisus ei videbatur, [63] ita ut, cum vellet Dominus destruere civitatem et Pentapolim universam, Angeli quasi per vim, apprehensa manu eius, una cum uxore et filiabus eduxerunt eum a civitate suaseruntque ut salvaretur in monte. [64] Sic multi sunt quibus displicent mundi vitia, sed placet mundus ob carnis commoda, quare displicet relinquere mundum. Deus autem, ne una cum mundo pereant, eos veluti cogit per Angelos divinarum inspirationum valde vehementium et etiam per externas vel internas tribulationes, nam mala, quae nos hic premunt, ad Deum ire compellunt, [65] quare ait: *Compelle intrare, ut impleatur domus mea.* [66]

Duo sunt quae maxime ad Deum ire compellunt: fides, qui enim non credit, in necessitatibus suis ad Deum minime recurrit;

Sic chananitis haec tribulatione veluti compulsa est egredi a finibus Tyri et Sidonis et venire ad Christum. Duo in causa exstiterunt ut mulier haec ad Christum veniret: fides et necessitas. Si enim non credidisset quod Christus potuisset sanare filiam suam, non venisset ad eum, et si tribulatione hac pressa non fuisset, minime venisset ad Christum, quamvis crederet Christum omnia posse. Sic duo sunt quae nos maxime ad Deum recurrere faciunt: fides et necessitas. Hi sunt duo Angeli, qui eduxerunt Loth a Sodomis et ab incendio salvaverunt. Qui enim non credunt, in necessitatibus suis ad Deum minime recurrunt; sic generi Loth perierunt in incendio Pentapolis, quoniam minime crediderunt, sed cum diceret eis Loth quod destructurus erat Dominus civitatem, *visus est eis quasi ludens.* [67] Sic omnes qui non credunt, cum mundo damnabuntur.

et necessitas, quia quandiu in deliciis est homo ad Deum non recurrit.

Multi vero credunt quidem, sed ad Deum minime recurrunt quandiu in deliciis sunt, sicut nec Loth egressus fuisset a Sodomis, nisi ob instantem tribulationem, imo quamvis crederet instantem destructionem et Angeli egredi eum cogerent, adhuc dissimulabat egressum, ait enim: *Cumque esset mane, cogebant eum Angeli dicentes: Surge ... ne et tu pariter pereas cum scelere civitatis. Dissimulante illo, apprehenderunt manum eius ... et eduxerunt eum et posuerunt*

63) Cf. Gn 13, 10. 64) Cf. ibid. 19, 1-17. 65) Cf. S. Gregorius M. *Moral.*, lib. 26, cp. 12-13, (P. L. 75, 358-360); *Hom. 36 in Evangelia*, ibid. 76, 1270-1272; S. Laurentius a Br. *Quadragesimale Primum*, Feria Quinta Dom. Primae Quadr., pag. 117.
66) Lc 14, 23. 67) Gn 19, 14.

extra civitatem. [68] Sic multi credunt quidem divinis praedicationibus et cognoscunt periculum aeternae salutis in mundo, et tamen dissimulant egressum, displicet relinquere mundum ; quare violenta quadam coactione opus est ut, compellente tribulatione, mundum relinquant.

Egrediendo Christus in partes Tyri et Sidonis significat se non venisse ad delicias quaerendas, sed ad patiendum,

IX. *Egressus Iesus secessit in partes Tyri et Sidonis,* etc. Quid movit Dominum ut iter hoc hodie aggrederetur ? Quae tanti itineris causa fuit ? Num ex curiositate vel ad solatium animi quaerendum, ad pascendos oculos pulcritudine illarum civitatum et regionum ? Apud Isaiam [69] enim et apud Ezechielem [70] legimus quod Tyrus civitas erat pulcherrima, ditissima et delitiosissima, nobilissimum emporium totius mundi, veluti nunc est in nostra Italia civitas Venetiarum ; adeo pulcra et felix civitas erat ut, cum Deus apud Oseam vellet describere felicitatem regni Israelis, quando pietate et religione divini cultus pollebat, Tyro comparaverit dicens : *Ephraim, ut vidi, Tyrus erat fundata in pulcritudine.* [71] Sed non venit Dominus in mundum hunc ad solatium quaerendum, sed ad patiendum. Num forte quia civitas erat ditissima et totius mundi nobilissimum emporium, quo ex omnibus terrae partibus mercatores in navibus confluebant cum infinita mercium multitudine, Christus quoque eo conferre se voluit tanquam mercator ad aliquid vendendum aut emendum ? Sed non venit Christus ad quaerendas mundi delicias, imo : *Cum esset dives, propter nos egenus factus est.* [72]

quia prima causa adventus eius in mundum fuit salus animarum;

En causa quae Christum movit : *Ecce mulier ... a finibus illis egressa :* abiit ad quaerendam salutem animarum. Abraham peregrinus abiit a domo patris sui ex praecepto Dei : *Egredere de terra ... et de cognatione tua ... et veni in terram quam monstravero tibi, faciamque te in gentem magnam ... erisque benedictus ... atque in te benedicentur universae cognationes terrae.* [73] Ita Christus hodie a Iudaeis ad Gentiles egreditur, quoniam in Ecclesia Gentilium glorificandus erat; et sicut Isaac misit Iacob filium suum, postquam benedixerat ei filiumque primogenitum instituerat, ut peregrinus in

68) Ibid. vrr. 15-17. Vulg.: *Eduxeruntque eum, etc.* 69) Cf. 23, 1 sqq. 70) Cf. 26, 1-27, 1 sqq. 71) 9, 13. 72) 2 Cor 8, 9. Vulg.: *Propter vos egenus factus est, cum esset dives.* 73) Gn 12, 1-3. Cf. supra, hom. prima huius Feriae, not. 13, pag. 364.

Haram abiret indeque sibi uxorem acciperet, nam duas uxores ibi praeparaverat Deus: Rachelem et Liam;[74] ita Christus hodie a Patre peregrinus mittitur ad quaerendam sibi sponsam.

significat etiam mutasse iram in misericordiam,

Sed adhuc alia mihi elucet causa. Temporibus David et Salomonis erant Tyrii atque Sidonii amici ac valde familiares Hebraeorum, nam materia ex Tyro et Sidone comportata aedificatum fuit templum, Tyriis et Sidoniis artificibus;[75] erant tunc veluti fratres cum Hebraeis, unde Hiram rex Tyri Salomonem *fratrem* appellavit.[76] Sed postea amicitiae illius ac veluti fraternitatis obliti Iudaeos male tractabant, maxime tempore captivitatis babylonicae, quare ob hanc causam in Divinis Litteris saepe Deum Tyriis et Sidoniis iratum legimus multaque mala comminantem. Nam per Amos prophetam ait: *Haec dicit Dominus: Super tribus sceleribus Tyri et super quattuor non convertam eum, eo quod concluserint captivitatem perfectam in Idumaea et non sint recordati foederis fratrum, et mittam ignem in murum Tyri et devorabit aedes eius.*[77] Per Ioelem Dominus iratus loquitur ad Tyrios atque Sidonios: *Quid mihi et vobis, Tyrus et Sidon?... Nunquid ultionem vos reddetis mihi?... Si ulciscimini vos contra me, cito velociter reddam vicissitudinem vobis super caput vestrum.*[78] Similiter per Zachariam: *Tyrus et Sidon assumpserunt... sibi sapientiam valde... Aedificavit Tyrus munitionem suam et coacervavit* sibi *argentum quasi lutum et aurum ut lutum platearum. Ecce Dominus possidebit eam et percutiet in mari fortitudinem eius et haec igni devorabitur.*[79] Loquitur contra gentes has per Isaiam,[80] per Ieremiam,[81] per Ezechielem.[82] Dominus igitur, ad ostendendum quod mutavit iram in misericordiam et clementiam, pergit hodie ad visitandos Tyrios atque Sidonios.

quia enim Tyrii et Sidonii Iudaeos persecuti sunt, multa mala ipsis Deus comminatus fuit.

X. Sciendum autem quod, cum Sidon adhuc civitas esset nobilissima et potentissima, totius Phoeniciae caput, et Tyrus Sidonis colonia, insula fortunatissima et opulentissima, natura loci et arte munitissima, ita ut inexpugnabilis videretur etiam si totus orbis

Sidon civitas opulentissima erat,

74) Cf. ibid. 28, 1-29, 1-30. 75) Cf. 2 Rg 5, 11; 3 Rg 5, 1-12; 7, 13 sqq. 76) Cf. 3 Rg 9, 13. 77) 1, 9-10. 78) 3, 4. 79) 9, 2-4. Vulg.: *Argentum quasi humum,* etc. 80) Cf. 23, 1 sqq. 81) Cf. 27, 3 sqq.; 47, 4 sqq. 82) Cf. 26, 1-19; 28, 1-26.

ad eam diruendam confluxisset, [83] Isaias tamen multis annorum centuriis longe ante Tyri et Sidonis destructionem praedixit, quod incredibile videbatur, cum tam potens facta esset Tyrus, ut multas deduxerit colonias, quarum caput Carthago extitit aemula Romae; cum ea enim multis annis de imperio vario marte certavit. [84] Attamen uti a Divinis Vatibus, maxime Isaia et Ezechiele, praedictum fuerat, ita evenit. Nam primo quidem a Nabuchodonosor impugnata ac pene expugnata fuit, [85] postea vero ab Alexandro a fundamentis eversa; comportato enim aggere, Alexander continenti eam coniunxit, ut non esset amplius insula, sicque eam impugnavit et expugnavit ad nihilumque redegit. [86] Praedicens autem ruinam hanc Isaias, ut magis credibilem faceret, argumento usus est a simili, ex destructione Babylonis ac totius imperii Chaldaeorum et Assyriorum vaticinium suum comprobans, ne se omnino inexpugnabilem reputaret expugnatas videns moles multo maiores. [87]

Isaias tamen Tyri et Sidonis destructionem iam vaticinatus fuerat, quae evenit multos post annos opera Alexandri Magni;

Praedixit etiam Isaias quod post septuaginta annos iterum erat reaedificanda et tandem ad Christi fidem convertenda. [88] Sic in *Actis Apostolorum* legimus invenisse Paulum in Tyro fideles ibique apud eos septem diebus commoratum fuisse, ubi opera legimus magnae devotionis et caritatis. [89]

praedixit etiam earundem reaedificationem et conversionem ad Christi fidem.

Aliud praeterea advertendum est quod, ubi praedicit Vates post [90] septuaginta annos reaedificandam Tyrum et ad pristinum statum fere redituram, ut iterum esset mercatus et emporium totius orbis, meretrici eam comparat, ut ostendat quod mercatorum vita quam simillima sit vitae meretriciae, quod mercatorum vita vix sine peccato transigitur; nam ut mercatores alios ad emendum alliciant, fucis, mendaciis, fraudibus utuntur multisque blandiuntur ut decipiant, avaritia ducti et lucri desiderio illecti. Sic, inquit: *Fornicabitur* tanquam meretrix *cum universis regnis.* [91]

Tyrus figura est mercatorum, quorum ars multis peccatis obnoxia est.

83) Cf. Ios 19, 28-29. 84) Cf. Orosius *Historiae*, lib. 4, cp. 6 sqq., (P. L. 31, 866 sqq.); Cornelius Nepos *Vitae*, 22-23, pag. 94-105; Plinius *Hist. Nat.*, lib. 5, cp. 19, pag. 45.
85) Cf. Ez 26, 1-28, 1 sqq. 86) Cf. Plinius l. cit. De Tyro et Sidone cf. etiam Theodoretus *In Ezechielem*, lib. 11, (P. G. 81, 1075-1087); Alph. Tostatus *Comment. in Matthaeum*, part. 4, cp. 15, q. 55-56, pag. 233; Aug. Calmet *Dictionarium Historicum*, sub his vocibus.
87) Cf. 23, 13-14. 88) Cf. ibid. vrr. 15 sqq. 89) Cf. 21, 3-5. 90) Ms.: *Per.*
91) Is 23, 17.

FERIA SEXTA DOMINICAE PRIMAE QUADRAGESIMAE

Agitur in mysteriis hodierni Evangelii de iustificatione animae per Sacramenta.

I. Sicut[1] duo sunt magna luminaria in coelo: luna illuminans noctem et sol clarificans diem, ita duo magna miracula splendent in sacrosancto hodierno Evangelio: alterum quidem aquarum piscinae, quibus lotus homo post descensum Angeli et motionem illarum sanabatur a quacunque infirmitate; alterum vero quod Christus divina sua virtute curat ab omni infirmitate carnis et spiritus, corporis et animae, hominem qui triginta octo annis infirmus incurabiliter manserat in utriusque substantiae infirmitate, quem Christus ita sanat sicut sol oriens atramque et tenebrosam nubem inveniens, suo illam iubare illustrans ac spiculo radii sui illius tenebras[2] percutiens, pellit tenebras omnes aureaque lucis veste in ictu oculi illam gloriose induit; sic Christus languidum sanat. Quoniam vero sanitas corporis symbolum est sanctitatis in anima et sanatio corporis sanctificationis et iustificationis animae nostrae, quae quidem per Sacramenta a Christo instituta divinitus sanctificatur et iustificatur, de hac iustificatione per Sacramenta tractabimus.

Erat dies festus Iudaeorum, et ascendit Iesus Ierosolymam. Est autem Ierosolymis in *probatica piscina, quae cognominatur,* etc.[3]

II. Contulit Deus coelitus mirabilem virtutem aquis Iordanis, ut eis ad praeceptum Elisei prophetae septies lotus Naaman syrus

1) In margine haec alia introductio adiecta fuit: « Sicut universalis natura pro salute corporum nostrorum cibos potusque providit, panem et aquam, cibos delicatos herbarum, fructuum, carnium, piscium cum mille condimentis, vina pretiosa diversorum generum; sed adhuc etiam contra infirmitates mille medicamina mineralium, lapidum, herbarum, lignorum, succorum et aromatum, sic Deus pro salute spirituum providit panem Sacrarum Scripturarum et aquam sapientiae salutaris virtutesque coelestes, quae homini dant vitam aeternam, et tandem Sacramenta tanquam medelas contra vitia et peccata, sicut in hodierna piscina magno cum mysterio videmus ». 2) Ms.: *Te: bras.* 3) Pericope huius diei Io 5, 1-15. Cf. Missale Rom. *In* lect. cod.

Piscina haec, cuius aquae infirmitates corporis curabant, figura fuit Baptismi, iuxta Sanctos Doctores;

mundaretur a lepra divino miraculo fieretque caro eius sicut caro pueri, unde cum sanitate carnis data illi etiam fuit sanitas spiritus, infusa coelitus fides, ut, dimissa idololatria, in vivum verumque Deum crederet illumque vera religione *in spiritu et veritate* [4] coleret et adoraret; [5] sic idem Deus mirabilem virtutem contulit aquis huius evangelicae piscinae, ut post motionem aquae ab Angelo factam primus, qui in ea se lavaret, sanaretur *a quacunque detinebatur infirmitate.* [6] Dicunt autem Sacri Doctores piscinam hanc Baptismi sacramentum designare, [7] quod etiam in aquis Iordanis [8] et in mari Rubro designatur, sicut Paulus ait: *Nolo enim vos ignorare, fratres, quoniam patres nostri omnes sub nube fuerunt et omnes mare transierunt et omnes sub Moyse baptizati sunt in nube et in mari;* [9] ubi designatur et Sacramentum ipsum in mari et minister Sacramenti in Moyse et causa principaliter operans in Sacramento, Spiritus Sanctus in nube.

attamen in ea videre licet etiam figuram legis mosaicae

Mihi autem piscina ista Veteris Legis sacramenta designare videtur, cuius mysterium aperire visus est Paulus sic scribens *ad Romanos : Lex . . . spiritus vitae in Christo Iesu liberavit me a lege peccati et mortis. Nam quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem, Deus Filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, et de peccato damnavit peccatum in carne, ut iustificatio legis impleretur in nobis, qui non secundum carnem ambulamus, sed secundum spiritum.* [10] *Impossibile,* inquit, *erat legi* iustificare peccatores, nam, ut idem *ad Galatas* ait : *Si enim data esset lex, quae posset vivificare, vere ex lege esset iustitia;* [11] sed si ex lege esset iustitia, *gratis Christus mortuus* [12] esset, neque nova lege opus fuisset. Deus autem novam promisit legem, Ieremiae 31; [13] sed, inquit Apostolus *Hebraeis : Reprobatio . . . fit praecedentis mandati propter infirmitatem eius et inutilitatem, nihil enim ad perfectum adduxit lex.* [14]

4) Io 4, 23-24. 5) Cf. 4 Rg 5, 9-18. 6) Io 5, 4. 7) Cf. S. Ambrosius *De Sacramentis*, lib. 2, cp. 2, (P. L. 16, 425); *De Spiritu Sancto*, lib. 1, cp. 7, ibid. col. 725; Theophylactus *Enarrat. in Evang. Ioannis*, (P. G. 123, 1258); Euthymius *Comment. in Ioannem*, ibid. 129, 12-17. 8) Cf. S. Ambrosius *De Sacramentis*, lib. 2, cp. 3, (P. L. 16, 426-427); *De XLII Mansionibus Filiorum Israel* (inter spuria), ibid. 17, 18; S. Io. Chrysostomus *In Dictum Pauli : Nolo vos ignorare*, etc., (P. G. 51, 247). 9) 1 Cor 10, 1-2. Vulg.: *In Moyse baptizati*, etc. 10) 8, 2-4. 11) 3, 21. 12) Ibid. 2, 21. 13) Cf. vrr. 31-36. 14) 7, 18-19.

cum suis inutilibus sacramentis et sacrificiis carnalibus, ad quae perficienda venit Christus.

Hoc igitur mysterium est piscinae: lex Moysi cum suis inutilibus sacramentis, quae ex opere operato non poterant iustificare, nisi ex speciali gratia Spiritus Sancti, sicut aquae piscinae non sanabant infirmos, nisi descenderet Angelus ad movendas aquas. Habet haec piscina *quinque porticus,* [15] lex quinque libros;[16] *in his iacebat multitudo magna languentium,* [17] quia lex ostendebat peccata animarumque infirmitates: *Peccatum non cognovi nisi per legem,* [18] sed non auferebat, iustificare non poterat. Erat haec piscina in *probatica,* in pecuali: totus fere cultus divinae religionis et pietatis illius legis consistebat in oblatione sacrificiorum ex pecudum carnibus. Hinc venit Christus et abstulit omnem imperfectionem legis, abstulit imperfecta illa sacramenta vetera, inutilia et infirma, novaque instituit validissima et perfectissima.

Ab origine mundi semper fuerunt in Ecclesia Sacramenta ad iustificandum hominem,

III. Fuerunt semper ab origine mundi in Ecclesia Sacramenta ad iustificandum hominem; siquidem in primis nostri generis ordimentis legimus quod Abel munera et sacrificia Deo obtulit, quae illi placuerunt: *Respexit Dominus ad Abel et ad munera eius.* [19] Sed si placuit Abel Deo, fidem habebat; *sine fide* enim *impossibile est placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum quia est et inquirentibus se remunerator sit.* [20] Sed si iustus erat, igitur iustificatus a peccato, in quo fuerat conceptus: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum et in peccatis concepit me mater mea;* [21] si iustificatus, ergo per gratiam Sacramentorum. Quomodo enim Abel sacrificia Deo obtulisset, nisi a patre edoctus in fide, religione et cultu Dei fuisset? Sed quomodo Adam docuisset Abel ut Deo sacrificaret muneraque offerret, nisi ipse a Deo mandatum hoc accepisset? [21a]

sed erant sacramenta imperfecta; solus Christus instituit Sacramenta ex sese hominem iustificantia.

Sic Deus in Ecclesia ab initio instituit Sacramenta ad iustificandum et sanctificandum hominem, sicut manifestissime in mosaica lege instituit, [22] sed erant sacramenta imperfecta. Venit Christus et instituit Sacramenta hominem perfecte iustificantia, suapte natura conferentia gratiam sanctificantem et constituentem hominem filium Dei, heredem regni coelestis, dignum gloria paradisi, templum Spiritus

15) Io 5, 2. 16) Idest libri Genesis, Exodi, Levitici, Numerorum et Deuteronomii. 17) Io 5, 3. 18) Rom 7, 7. 19) Gn 4, 4. 20) Hebr 11, 6. 21) Ps 50, 7. 21a) Cf. S. Laurentius a Br. *Explanatio in Genesim,* pag. 314. 22) Cf. Lv 4, 1 sqq.; 6, 1-18; 16, 1 sqq.

Sancti. Quae tria vidimus in baptismo Christi; tunc enim aperti fuerunt coeli, intonuit vox Patris: *Hic est Filius meus dilectus*, descendit Spiritus Sanctus sicut columba et mansit super Christum.[23] Sic itaque in hac piscina sacramentali homo sanatur a quacunque detinetur infirmitate; caecus in hac natatoria Siloe illuminatur magno miraculo,[24] iustificatur et sanctificatur homo peccator, hoc est enim sanari infirmum.

Causa autem et auctor iustificationis nostrae Christus est, qui ob id dictus est *Sol iustitiae*,[25] *Rex... iustus et salvator*.[26] Sed quatenus Deus principalis est causa, nam *Deus* est *qui iustificat*,[27] Deus qui creat gratiam, qui creavit lucem ad illuminandas tenebras abyssi;[28] sed ut homo meruit iustificationem nostram, meruit nobis remissionem omnium peccatorum, meruit gratiam Spiritus Sancti, meruit gloriam paradisi.

Causa et auctor iustificationis Christus est Deus homo,

Ministerialis autem causa sacerdos est legitimus, divinam habens auctoritatem ministrandi ecclesiastica Sacramenta secundum dispositionem iuris tum divini tum humani in sacris conciliis sacrisque canonibus, secundum diversitatem Sacramentorum, nam Baptismi quidem minister potest esse omnis homo,[29] aliorum vero soli Episcopi et sacerdotes.[30]

causa ministerialis sacerdos legitimus;

Materialis causa iustificationis est homo languidus, homo peccator, qui a peccato iustificatur et sanctificatur. Formalis est gratia Spiritus Sancti, cum qua ipsemet Spiritus Sanctus descendit, sicut in baptismo Christi, qui designatur hodie per Angelum descendentem de coelo ad movendas aquas piscinae. Finis est gloria paradisi, unde apertum fuit coelum, et hodie designatur per diem sabbati et per paschale festum,[31] in quo Christus gloriose resurrexit transiens a morte ad vitam immortalem et gloriam sempiternam.[32]

causa materialis homo peccator, formalis gratia Spiritus S., finalis gloria paradisi;

Modus autem iustificationis est quia videns Iesus languidum dixit ei: *Vis sanus fieri?* et tunc imperavit: *Surge, tolle grabatum tuum et ambula*.[33] Requiritur assensus liberi arbitrii; nemo iusti-

modus est assensus liberi arbitrii ad iustificationem;

23) Mt 3, 16-17; Mc 1, 10-11. 24) Cf. Io 9, 1-7. 25) Mal 4, 2. 26) Zach 9, 9. 27) Rom 8, 33. 28) Cf. Gn 1, 1-3. 29) Cf. Conc. Lat. IV, cp. 5, apud Aem. Lud. Richter *Decretalia*, lib. 1, tit. 1, cp. 1; Conc. Flor., in Decreto Eugenii *pro Armenis*; Conc. Trid., sess. 7, can. 4. 30) Conc. Trid., sess. 7, can. 10; sess. 14, cp. 6, can. 10; sess. 22, cp. 2; sess. 23, can. 7. 31) Cf. Io 5, 1-9. 32) Cf. Mt 28, 1-7; Mc 16, 1-7; Lc 24, 1-7; Io 20, 1-17. 33) Io 5, 6-7.

effectus virium collatio ad bene agendum;

ficatur invitus, non datur in Sacramentis gratia renuentibus eam ponentibusque obicem. Effectus iustificationis: tribuit sanitatem et vires ad bene operandum a dextris et a sinistris, vires ad bene agendum et malum patiendum propter iustitiam, hoc est ambulare et tollere grabatum et ferre onus, tollere crucem, abnegare seipsum, sequi Christum;[34] tribuit vires surgendi ab omni vitio et concupiscentia carnis et mundi, hinc: *Qui ... sunt Christi carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis.*[35]

causa tandem instrumentalis sunt Sacramenta.

Sed tandem instrumenta iustificationis sunt Sacramenta, quae sunt veluti sacra haec evangelica piscina, vasa aquae non ibi nascentis, sed de coelo descendentis. Sic Sacramenta vasa sunt gratiae divinae, quae in bibente fit *fons aquae salientis in vitam aeternam.*[36]

Iustificatio effectus est solius misericordiae Dei.

IV. Et bene dicebatur haec piscina hebraice *Bethesda*, sive בֵּית חַסְדָּא,[37] domus misericordiae sive pietatis, uti sunt hospitalia, in quibus ex pietate recipiuntur pauperes infirmi, nam ex sola misericordia et pietate Dei iustificamur, maxime in Baptismo recipientes primam gratiam, hanc enim nullo modo possumus mereri de condigno, nisi forte de congruo.[38]

In sola Ecclesia Christi reperiuntur vera Sacramenta,

Dicitur autem piscina haec *probatica*, sive *in probatica*, idest ovilla, in loco ovium, πρόβατον[39] enim graece dicitur ovis; Ecclesia autem est Christi ovile: *Fiet unum ovile et unus pastor.*[40] Sacramenta in Ecclesia sunt, non extra Ecclesiam, hinc in Ierusalem erat ista piscina: *Est autem Ierosolymis probatica piscina.* Synagoga non habet amplius sacramenta, sed sunt modo illius sacramenta sicut cisternae dissipatae, quae aquas continere non valent,[41] sicut cisterna illa vetus in qua positus fuit Ioseph a fratribus.[42] Sunt sacramenta synagogae sicut regia privilegia iusta ex causa abrogata, quae post abrogationem nihil penitus valent. Sicut privilegium con-

quibus sacrificia et sacramenta legis mosaicae abrogata fuerunt.

cessum filiis Noe comedendi ex omni carne animalium terrestrium, piscium et avium[43] abrogatum fuit Hebraeis per legem, quae Hebraeis multorum animalium carnes prohibuit;[44] sic, inquam, sacramenta et sacrificia veteris legis modo nihil valent, inutilia sunt,

34) Cf. Mt 16, 24; Mc 8, 34. 35) Gal 5, 24. 36) Io 4, 14. 37) Cf. ibid. 5, 2. Ms.: *Beth hesduh.* 38) Cf. S. Thomas *S. Theolog.*, $1^{a} 2^{ae}$, q. 115, a. 5-6. 39) Ms.: *Probaton.* 40) Io 10, 16. 41) Cf. Ier 2, 13. 42) Cf. Gn 37, 17-24. 43) Cf. ibid. 9, 2-5. 44) Cf. Lv 11, 1 sqq.

imo perniciosa, quoniam a Deo abrogata et deleta sunt. Sola igitur in Ecclesia reperitur piscina haec sacramentalis, quae languentibus omnibus, caecis, claudis, aridis et quacunque infirmitate detentis sanitatem confert.

Quinque porticus huius piscinae significant quinque modos quibus homo iustificatur.

Habet piscina haec *quinque porticus*, quinque vias et deambulatoria ducentia ad salutarem hanc aquam, nam est Baptismus flaminis, Baptismus fluminis, Baptismus sanguinis, Baptismus poenitentiae duplex: per attritionem et contritionem. His quinque viis pergitur ad salutarem hanc aquam, qua lotus quisque sanatur a quacunque detineatur infirmitate. Quinque etiam sensus possunt esse viae ducentes ad hanc piscinae huius salutarem aquam. Si videat homo pulcra vel horribilia visu, et contempletur pulcritudinem paradisi et horrorem inferni, si audiat suavissimam musicam vel strepitum plenum horrore, si olfaciat odoratissima aromata vel fetentissima stercora, si gustet dulcissimum mel vel fel amarissimum, si tangat vel lenissimum vel asperrimum corpus, tepidissimum temperatissimumque calorem et frigus, vel ignem et glaciem, et consideret bona omnia in paradiso, mala autem omnia in inferno, quodque peccatum via est securissime ac certissime ducens in infernum, sola autem gratia et virtus ducens in paradisum; profecto curret, *sicut cervus ad fontes aquarum*[45] cum siti maxima aestuat, quisquis in peccatis est ad hanc sacrosanctam piscinam.

Septem piscinae leguntur in Sacra Scriptura.

V. *Est autem Ierosolymis probatica piscina... quinque porticus habens.* Haec forte piscina est *grandi opere constructa, 2 Esdrae* 3,[46] nam in Ierusalem plurimas legimus piscinas: Isaiae 7[47] et *4 Regum* 18[48] legimus piscinam superiorem *in via agri fullonis* extra civitatem; piscinam inferiorem quam construxit Ezechias;[49] piscinam veterem inter duos muros,[50] piscinam Siloe,[51] quae dicitur *natatoria Siloe*,[52] et tandem piscinam hanc *Bethesda*. Quod si ista non illa est *magno opere constructa*, – nam qui Terram Sanctam describunt[53] aiunt hanc evangelicam piscinam esse iuxta *portam vallis* Iosaphat, sive *portam gregis*,[54] nam utroque nomine porta illa

45) Ps 41, 1. 46) Vr. 16. 47) Cf. vr. 3. 48) Cf. vr. 17. 49) Cf. 4 Rg 20, 20; 2 Par 32, 30. 50) Cf. Is 22, 11. 51) Cf. 2 Esr 3, 15. 52) Io 9, 7. 53) Cf. D. Baldi *Enchiridion Locorum Sanctorum*, pag. 580-586. 54) Cf. 2 Esr 3, 1. 13. 31.

dicebatur, piscina autem haec *magno opere constructa*, non erat iuxta *portam gregis*, ut ex *2 Esdrae* 3 colligimus, – quare sex habebimus piscinas. Sed adhuc piscinam legimus *in Hesebon, in porta filiae multitudinis.* [55] Quare septem piscinas legimus in Divinis Scripturis, quia utique septem sunt Sanctae Ecclesiae Sacramenta veluti septem planetae sacri huius coeli Sanctae Ecclesiae, quae sunt septem dies creationis mundi, [56] septem agnae Abraham, [57] septem vitulae pingues et spicae plenae septemque anni abundantiae, [58] septem filii Iob, [59] septem filiae sacerdotis Madian, [60] septem lucernae candelabri aurei, [61] septem dies azymorum ad celebrandum pascha, [62] septem tubae sacerdotales, [63] septem aurea candelabra et septem stellae, [64] septem lampades ardentes coram Domino, [65] septem phialae aureae in manu septem Angelorum, [66] septem cornua et oculi agni. [67] Septem Sacramenta sunt conformiter ad septem virtutes et septem capitalia vitia, ad septem dona Spiritus Sancti et septem praemia beatitudinum evangelicarum. [68]

quae utique septem Ecclesiae Sacramenta figurant.

In Baptismo nascitur homo filius Dei, hinc a Paulo dicitur *lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus Sancti,* [69] et Christus ait, piscinae huius veluti sacrum mysterium aperiens : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei ;* [70] per Confirmationem roboratur, per Eucharistiam nutritur, per Poenitentiam mortuus etiam vivificatur, per Sanctam Unctionem sanatur, per Sacrum Ordinem instruitur, per Matrimonium generat sibi simile. [70a] Sed quoniam piscina haec praecipue sacramentum Baptismi et Poenitentiae designat, siquidem Poenitentia est veluti alter Baptismus, quo lavatur homo in fonte lacrimarum, unde Regius Vates ait : *Asperges me,* Domine, *hyssopo et mundabor, lavabis me et super nivem dealbabor,* [71] et Ioannes praedicabat baptismum poenitentiae in remissionem peccatorum dicens: *Ego . . . baptizo vos . . . aqua in poenitentiam ;* [72] *Et baptizabantur ab eo . . . confitentes peccata sua,* [73] age, de hoc specialiter dicamus ; nam quoad Baptismum

Piscina autem hodierni Evangelii sacramenta Baptismi et Poenitentiae praecipue significat.

55) Ct 7, 4. 56) Cf. Gn 1, 1-2, 1. 57) Cf. ibid. 21, 28-30. 58) Cf. ibid. 41, 1-29. 59) Cf. Iob 42, 13. 60) Cf. Ex 2, 16. 61) Cf. ibid. 25, 37. 62) Cf. ibid. 12, 15. 63) Cf. Ios 6, 4. 13. 64) Cf. Apc 1, 12-2, 1. 65) Cf. ibid. 4, 5. 66) Cf. ibid. 15, 7. 67) Cf. ibid. 5, 6. 68) Cf. Mt 5, 3-12. 69) Tit 3, 5. 70) Io 3, 5. 70a) Cf. S. Thomas *S. Theolog.*, 3a, q. 65, a. 1; *Catechismus Rom.*, part. 2, cp. 19-21, pag. 125-126. 71) Ps 50, 9. *Domine* lect. cod. 72) Mt 3, 11. 73) Ibid. vr. 6.

quidem omnes per gratiam Dei baptizati sumus, nec potest sacramentum Baptismi reiterari, imprimit enim indelebilem characterem, [74] et qui ab homine genitus est nunquam potest non eius esse filius, vita durante; sacramentum vero Poenitentiae, alter Baptismus, secunda tabula post naufragium est, [75] reiterari potest toties quoties homo voluerit.

Baptismus talem gratiam confert ut homo toto tempore vitae suae absque peccato mortali vivere possit;

VI. Et Baptismi quidem sacramentum gratiam confert iustificantem et sanctificantem talemque gratiam ut, si velit homo, possit toto tempore vitae suae vivere absque peccato mortali; gratiam qua possit non peccare letaliter, si velit, non tamen ut simpliciter peccare non possit; nam neque iustitia originalis id homini praestitit, sed iustus cum esset dignusque gloria paradisi, peccare tamen potuit et vere peccavit. Ita homo baptizatus non ficte per gratiam Baptismi constituitur filius Dei, heres regni coelorum, templum Spiritus Sancti, ita tamen ut iterum peccare possit, veluti qui sanatur ab infirmitate, sic tamen ut, si non velit regulate vivere, iterum infirmari morique possit. Hoc est quod Dominus curato languido hodie ait: *Noli* amplius *peccare, ne deterius tibi aliquid contingat; ecce* iam *sanus factus es.* [76] Nam: *Cum . . . immundus spiritus exierit ab homine,* si reversus inveniat domum vacantem, *vadit et assumit septem alios spiritus . . . nequiores se et ingressi habitant ibi, et fiunt novissima hominis illius peiora prioribus.* [77] Potest, inquam, homo post acceptam gratiam peccare, sicut potest seipsum in mancipium Turcarum vendere; potest seipsum ex alto praecipitare, in mare demergere, in ignem se immittere; potest fame sitique perire, si cibum sumere nolit. Sed quis haec hominum facit, nisi desperatus vel dementatus omnino? O homo, o christiane, et tu tam facile peccas? Non audis Christum dicentem: *Ecce* iam *sanus factus es . . . noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat?* Mala aeterna in inferno multo deteriora sunt temporalibus quibusvis malis in hoc mundo: *Noli peccare, ne deterius tibi . . . contingat. Voluntarie enim peccantibus nobis, post acceptam notitiam ve-*

potest tamen peccare et in deterius praeceps ire.

74) Cf. Conc. Trid., sess. 7, can. 11; sess. 23, cp. 4. 75) Cf. S. Thomas *S. Theolog.*, 3ª, q. 84, a. 6. Sic theologi communiter appellant Poenitentiam ex collatione quam Patres Baptismum inter et Poenitentiam instituunt. Cf. H. Hurter *Theologiae Dogmaticae Compendium*, t. 3, tract. 2, *De Poenitentia*, pag. 462. 494. 76) Io 5, 14. Ordine inverso affert hunc vr. 77) Mt 12, 43-45. Vulg.: *Et intrantes habitant*, etc.

ritatis, iam non relinquitur pro peccatis hostia, terribilis autem quaedam expectatio iudicii et ignis aemulatio, quae consumptura est adversarios. Irritam quis faciens legem Moysi absque ulla contradictione duobus vel tribus testibus moritur; quanto magis putatis deteriora mereri supplicia qui Filium Dei conculcaverit et sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, et Spiritui gratiae contumeliam fecerit? [78] Et: *Si enim qui per Angelos dictus est sermo factus est firmus, et omnis praevaricatio et inobedientia accepit iustam mercedis retributionem, quomodo nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem?* [79]

Post peccatum remedium sanitatis in sacramento Poenitentiae quaerendum est.

Sed agite, fratres, si post acceptam sanitatem in Baptismo iterum infirmati sumus, cur, quaeso, salutem sanitatemque non quaerimus? Mirum magnopere fuisset, fratres, vel unum in universa civitate Ierusalem, imo in universo Iudaeorum regno quis reperisset infirmum, si aqua piscinae omni tempore omnemque infirmum ab omni infirmitate curasset; sed quia statis tantum temporibus raro et unum tantum curabat – hinc multi reperiebantur infirmi, quoniam curari minime poterant, – desiderium tamen consequendae sanitatis efficiebat ut numerosissima infirmorum turba circa piscinam iaceret, et languidus iste a Christo curatus triginta et octo annos ibi mansit ad consequendam salutem. [80] O mirum desiderium! o magna patientia!

Lugendum autem maxime est quod tantum et tam facile salutis remedium non quaeratur,

Sed quis, o fratres, non miretur nos? Habemus piscinam cuius aquae semper omni tempore omnes et ab omni infirmitate facillime curant, et iacet in porticibus, imo in universa civitate, in universo regno *multitudo magna languentium... claudorum* et *aridorum*, et reperitur inter nos homo *triginta et octo annos habens in infirmitate sua?* O Deus, o Deus! O Christe, o Christe! Quid est hoc? quid est hoc? Ubi, ubi est salutis nostrae desiderium? O homo, non *vis sanus fieri*? An dices: *Hominem non habeo?* [81]

cum tanta ministrorum copia habeatur,

Scio quod necessarius est minister Sacramenti. Ad scribendum non sufficit charta, atramentarium et penna, necessarius est scriptor, qui scribere sciat, alioquin charta foedatur et nihil fit; ad pulsandum organum sive cymbalum aut [82] quodvis aliud musicum instrumentum,

78) Hebr 10, 26-29. Vulg.: *Sine ulla miseratione duobus ... putatis deteriora mereri supplicia,* etc. 79) Ibid. 2, 2-3. 80) Cf. Io 5, 3-5. 81) Ibid. vr. 7. 82) Ms.: *At.*

opus est musico, qui pulsandi arte bene sit praeditus, alioquin fit magna dissonantia, et ad cuiusvis artis exercitium non sufficit bona optimaque habere instrumenta, sed bono opus est artifice. Sic non sufficiunt Sacramenta, opus est apto legitimoque ministro. Praeter bonas medelas medico opus est bono, qui polleat arte medendi ne occidat infirmum. Opus est sacerdote qui discernat inter lepram et lepram.[83] Sed dico : Nunquid inopia sacerdotum nunc est in Ecclesia Dei ? Nunquid non maxima ministrorum copia est ? An forte sunt sicut sacerdos ille et etiam sequens levita, qui, viso vulnerato a latronibus, eo relicto, transierunt, ut samaritano opus sit qui curam illius egit ?[84]

Utique samaritano opus est ; sed ecce piissimus samaritanus Christus, qui ait unicuique : *Vis sanus fieri ?* Etiam per contritionem veramque humiliationem cordis et animi in spiritu contribulato sanare te vult Christus absque Sacramento in actu, sed in virtute tantum et in proposito dimittit peccata commissa Christus per solam etiam contritionem cordis cum proposito confessionis. O homo, cur igitur non *vis sanus fieri*, cum etiam absque aquis piscinae sanari possis ? Sanavit Christus hunc languidum absque aquis.

et etiam per solam contritionem, cum proposito tamen confessionis, peccatorum remissio obtineri possit.

VII. *Vis sanus fieri ?* Salus tua a Deo in tua posita est potestate; Deus enim potest, scit et vult te sanare, sicut Christus hunc languidum; a te nonnisi bonam voluntatem principaliter requirit, ut velis sanari. Tu modo quid dicis ? *Vis sanus fieri ?* O homo, tu multa velles quae non potes: velles divitias, honores, voluptates, quae habere non potes. Cur non vis habere ea quae tibi Deus offert ? *Vis sanus fieri ?* Offert tibi salutem, quae infinitus thesaurus est, ubi omnis honor, omnis voluptas, omnes divitiae, et renuis ? An forte non potes velle salutem tuam, bonum tuum, vitam tuam, felicitatem tuam ? *Vis sanus fieri ?* Potes, si vis. Coniunge cum voluntate potentiam et voluntatem cum potentia, nam sic Deus coniuncta haec duo habet ; potest et vult adeo ut non sit tibi cum leproso illo de voluntate Christi dubitandum : *Domine, si vis, potes me mundare*, nam Christus ait : *Volo, mundare.*[85] Potest et vult simul, sicut in sole, in igne cum luce con-

Deus enim semper vult et potest salutem nostram operari,

sed requirit ex parte nostra bonam voluntatem,

83) Cf. Lv 13, 1 sqq. 84) Cf. Lc 10, 30-35. 85) Mt 8, 2-3; Mc 1, 40-41; Lc 5, 12-13.

iuncta est virtus caloris omnium operatrix. Coniunge, coniunge et tu haec duo: voluntatem cum potestate, non enim aliud a te hodie Christus requirit nisi voluntatem: *Vis sanus fieri?... Noli peccare.*

et haec tantum sufficiens erit, quia impossibilia non iubet, sed facilia,

Et merito nonnisi voluntatem a nobis Dominus requirit, nam non praecipit nobis Dominus impossibilia, sed possibilia, imo facilia et levia; et homo quidem si quid non agit, vel est quia non potest, vel quia nescit nec discere potest, vel quia non vult. Non requirit a nobis Dominus quae non possumus aut nescimus nec scire aut discere possumus, sed, ut dixi, facilia, levia, omnibus cognita, nam lex Dei emanat a principiis legis naturalis, quae dictat faciendum bonum, fugiendum malum. Hinc merito Christus voluntatem a nobis requirit: *Vis sanus fieri?... Noli peccare.*

imo delectabilia et utilia, quae obiectum voluntatis sunt.

Obiectum voluntatis est bonum, utile, honestum, delectabile: non potest velle nisi bonum et nos nolumus nostrum bonum? Oculus abhorret videre pulcra? auris concentus suavissimae musicae? olfactus odores suavissimos? gustus sapores summe delectabiles? Pater non diliget filium unicum? mater unicam filiam pulcherrimam et moribus ornatissimam? dives suas divitias? O fratres, nos suapte natura nonnisi bona volumus atque diligimus. Vir vult habere bonam uxorem, bonos filios, bonos servos, bonam domum, bonam possessionem, bonas vestes, bonas etiam caligas, et si quis quadrantem debet ei, non vult nisi bonum, et si quadrans e manibus labatur in terram, inclinat se et accipit illum. O fratres, etiam quadrantem volumus habere bonum, et non animam? Quadrantem pluris facimus quam animam?

Inexcusabiles ergo sumus si talem tantamque gratiam neglexerimus,

VIII. Bone Deus, quid in die iudicii dicemus Christo, qui nos redemit magno pretio sanguinis sui? [86] O christiane, offert tibi Deus salutem animae tuae, et renuis? *Vis sanus fieri?* Non aliud requirit a te quam bonam voluntatem, non bona tua, non honorem tuum, non corpus tuum; bonam tantum voluntatem, ut tu salvari velis. *Vis sanus fieri?* Vis a me ditari, honorari, deliciis affici, aeterna beatitudine donari? vis? *Vis sanus fieri?* Voluit, *et statim sanus factus est homo ille et tulit grabatum suum et ambulavit.* [87] O fratres,

86) Cf. 1 Petr 1, 19. 87) Io 5, 9. Vulg.: *Et sustulit grabatum suum et ambulabat.*

videamus ne nobis dicat Christus : Ego volui vos salvare, vos autem noluistis! Ne tibi dicat Christus, o homo, quomodo dixit Ierosolymae: *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alis, et noluisti!* [88]

Facit nobiscum Deus tanquam pater clementissimus, qui filium habet protervum, contumacem et scelerosum: monet, corripit, minatur, rogat nonnunquam : O fili, quid agis ? Non curas bonum tuum, honorem tuum ? Ille tamen semper ad peius. Tandem cogitur pater domo illum eicere et hereditate privare. Quod si pater id facit cum filio naturali, quid faceret homo cum filio adoptivo ? Nos autem, fratres, filii Dei per adoptionem sumus. Si salutem, contempto Deo, renuimus, domo nos eiciet, hereditate privabit : *Ite, maledicti, in ignem aeternum.* [89]

Imo ingrati et stulti, quia aeterna hereditate privabimur.

Ah ! fratres, ah ! fratres, salvare, salvare nos vult Christus, modo nos velimus ; hinc Sacramenta salutis instituit ut iustificemur et salvemur, et ad nos sanandos, ad nos iustificandos venit Christus, qui auctor est iustificationis et quatenus Deus auctoritate et quatenus homo merito obedientiae, qua *factus* est *obediens usque ad mortem . . . crucis.* [90] Hinc ex obedientia hodie ascendit Ierosolymam ad celebrandum pascha, et ad locum infirmitatis venit. Disposita autem materia iustificationis est homo cupidus salutis suae : *Vis sanus fieri ?* Forma est gratia et caritas, quae per sanitatem corporalem designatur ; finis gloria designata in die festo, minister sacerdos : *Hominem non habeo ;* instrumenta Sacramenta, quae operantur virtute Spiritus Sancti, qui designatur per Angelum : *Et baptizato Christo . . . , descendit Spiritus Sanctus* [91] super eum ; effectus iustificationis : *Surge, tolle lectum tuum et ambula,* [92] verusque Dei cultus *in spiritu et veritate,* [93] hinc sanatum hominem Christus in templo invenit ; [94] iustificatio quidem iustificatum hominem omnibus virtutibus praeditum reddit, quo possit peccata vitiaque omnia vincere et bona omnia operari.

Christus ergo salvare nos vult, modo nos velimus

88) Mt 23, 37. Vulg.: *Sub alas,* etc. 89) Ibid. 25, 41. Vulg.: *Discedite a me, maledicti,* etc. 90) Phil 2, 8. 91) Lc 3, 21-22. Vulg.: *Et Iesu baptizato,* etc. 92) Io 5, 8. Vulg.: *Tolle grabatum,* etc. 93) Ibid. 4, 24. 94) Cf. ibid. 5, 14.

II. ALIA HOMILIA

Erat dies festus Iudaeorum, et ascendit Iesus Ierosolymam. Est autem Ierosolymis probatica piscina . . . quinque porticus, etc. [1]

Mirabile exemplum dat hodie Christus caritatis erga Deum et proximum.

I. Christus Dominus noster tanquam verus homo tenetur ipse quoque et Deum super omnia toto corde diligere et proximum tanquam seipsum. [2] Et vere ac perfectissime utrunque implevit praeceptum, in cuius figuram in arca Dei erant ambae tabulae legis repositae, [3] et summus sacerdos portabat laminam auream, in qua divinum nomen insculptum erat, supra caput, deinde omnia nomina filiorum Israel sculpta in lapidibus pretiosis, non tantum supra cor in pectore, sed etiam in duobus lapidibus onychinis super utrunque humerum, [4] quod quidem designat amorem tum affectus tum effectus, diligere, bene agere, et etiam pro salute mala pati. Multi enim diligere se proximum dicunt, quem tamen nihil iuvant; alii autem iuvant quidem verbis, sed non opere; alii opere quidem, aliqua eleemosyna, aliquo beneficio, sed pro fratre nullum pati volunt incommodum; alii tandem patientur nonnullum incommodum pro salute fratris, sed corporali potius et mundana quam spirituali et aeterna. Christus autem vere dilexit affectu, effectu, agendo, patiendo *usque ad mortem, mortem autem crucis.* [5] Hoc est ipsum venire ad piscinam, ubi *iacebat multitudo magna languentium:* [6] *Languores nostros ipse tulit et dolores nostros ipse portavit.* [7] In sacrosancto igitur hodierno Evangelio Christus ostendit opere se et Deum Patrem diligere et proximum fratrem.

Magna est Christi caritas erga Deum non tantum quatenus Christus Deus est,

II. Magnus est Christi erga Patrem amor. Si enim amor oritur ex bonitate et pulcritudine, quae obiectum amoris est, ex similitudine, ex amore, quo quis amat quia amatur, ex beneficiis et ex generis coniunctione: Dei summa, infinitaque est bonitas et pulcritudo Christo optime cognita; inter ipsum et Patrem summa est similitudo, imo aequalitas, consubstantialitas, identitas; infinitum

1) Io 5, 1-2. 2) Cf. Mt 22, 37-40. 3) Cf. Ex 40, 18; Dt 10, 5; Hebr 9, 4. 4) Cf. Ex 39, 1-30. 5) Phil 2, 8. 6) Io 5, 3. 7) Is 53, 4.

erga eum Dei amor, beneficia immensa, quia quicquid est, a Patre est, et summa generis coniunctio, quia Filius est.

sed etiam quatenus homo, sicut ostendit hodie Ierosolymam ascendens ad pascha celebrandum.

Sic Christus infinito utique amore et caritate diligit Patrem suum, non tantum quatenus Deus, sed etiam quatenus homo. Hinc est quod propter summum in Deum amorem legi voluit esse subiectus ac si simplex homo esset ceteris similis, et ob id, quoniam ex praecepto legis omnis iudaeus tenebatur ascendere Ierosolymam ad celebrandum paschalem solemnitatem Deumque in sacro Ierosolymae templo adorandum, [8] ipse quoque legis mandato voluit obedire, et ob id, cum prope esset dies festus paschalis solemnitatis, ipse a Galilaea ascendit Ierosolymam, pedes magnum conficiens iter multaque incommoda propter Deum patiens. Haec enim signa sunt ardentis erga Deum caritatis: multa propter Deum incommoda pati libenti hilarique animo, non ex necessitate, divina mandata servare ad ipsumque Deum per contemplationem ascendere divinoque cultui operam dare.

Item magna ostenditur eius caritas erga proximum.

Verum, quia post primum et maximum legis mandatum: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, etc., alterum est huic simile: *Diliges proximum tuum sicut teipsum*, [9] ostendit etiam hodie Christus magnam in proximum caritatem, sicut piissimus ille samaritanus in hominem a latronibus spoliatum ac vulneratum. [10] Cum enim Christus Ierosolymam pervenisset, abiit ad visitandum hospitale, nam hoc est proprie *Bethesda*, d o m u s p i e t a t i s, a בֵּית, quod est d o m u s, et חַסְדָא, [11] quod est p i e t a s. Erat igitur Ierosolymis hospitale infirmorum incurabilium, nam ait quod in porticibus *iacebat multitudo magna languentium, caecorum, claudorum, aridorum expectantium aquae motum.* [12] Visitare autem miserabiles infirmos in hospitali degentes opus utique est magnae caritatis et pietatis, quo enim miserabiliores sunt infirmi, eo maius est misericordiae opus. Potest dicere Christus nobis hodie: *Exemplum... dedi vobis, ut, quemadmodum ego feci... ita et vos faciatis.* [13]

Talis caritatis exemplum Christus dedit, quia caritas necessaria est ad salutem.

Dat nobis exemplum perfectae caritatis tum in Deum tum in proximum, quoniam caritas ad salutem necessaria est: *Plenitudo* enim *legis est dilectio;* [14] *In his duobus mandatis universa lex pendet*

8) Cf. Dt 16, 5-7; 2 Par 30, 1 sqq.; Io 11, 55; 12, 20. 9) Mt 22, 37-39. 10) Cf. Lc 10, 25-38. 11) Ms.: *Beth* et: *Hesed.* 12) Io 5, 3. 13) Ibid. 13, 15. 14) Rom 13, 10.

et Prophetae.[15] Salus animae in caritate consistit, haec sanitas et vita est spiritus nostri. Divus Augustinus ait quod languidus iste hodiernus ideo languebat, quia caritate carebat.[16] Ostendit autem Dominus hodie se clementem illum esse samaritanum, quem in parabola declaraverat proximum fuisse illi qui incidit in latrones; semivivus autem relictus ex plagis, multa cum caritate adiutus fuit a samaritano, non autem a sacerdote vel levita.[17]

et ideo, cum Pharisaei nihil ad infirmum hunc adiuvandum fecissent, fecit Christus eum anima et corpore sanando.

Et vere Sacer Evangelista hodie, sicut in illa parabola Christus notavit inhumanitatem sacerdotis et levitae, tacite notat summam inclementiam scribarum, Pharisaeorum, sacerdotum et levitarum, qui in templo ministrabant, quod, cum prope templum esset piscina et miserabilis iste languidus triginta et octo annis ibi mansisset, nunquam misericordia moti providerunt ei hominem qui posset opportuno tempore deferre eum in piscinam ad recipiendam sanitatem. Christus igitur vere se proximum ostendit hodie miserabilis huius hominis; statim enim ut eum vidit, misericordia motus disposuit salutis beneficium ei conferre animaque et corpore sanum facere; inciderat enim in latrones daemones, quoniam ob peccatum inciderat in tam diuturnum et insanabilem morbum: *Noli* amplius *peccare, ne deterius tibi aliquid contingat;*[18] Christus autem *curam eius egit.*[19]

Piscina haec figura est cordis humani.

III. *Angelus autem Domini secundum tempus descendebat,* etc.[20] Cor nostrum *piscina* est, vas aquarum cogitationum atque affectuum; *quinque porticus* quinque sunt sensus, nam quilibet sensus via est ad cor ducens, rerum nanque imagines per sensus ad cor hominis deveniunt. Cum autem a Spiritu Sancto per divinam inspirationem aut commotionem internam, dolore et contritione cor conturbatur, tunc sanatur animus *a quacunque* detinetur *infirmitate.*[21]

Duo magna miracula referuntur in hodierno Evangelio:

IV. Prope *erat dies festus Iudaeorum, et ascendit Iesus Ierosolymam. Est autem Ierosolymis probatica piscina,* etc. Duo magna miracula in sacrosancto hodierno Evangelio continentur: alte-

15) Mt 22, 40. 16) *In Ioannem,* tract. 17, (P. L. 35, 1529-1532). 17) Cf. Lc 10, 25-37. 18) Io 5, 14. 19) Lc 10, 34. 20) Io 5, 4. Vulg.: *Descendebat secundum tempus.* 21) Ibid.

rum quidem quod fiebat ab Angelo, alterum vero factum a Christo. Quoad primum erat Ierosolymis in pecuario piscina, sive natatoria; Angelus autem Domini temporis opportunitate descendebat de coelo piscinaeque aquas movebat et conturbabat, ac tunc *qui prius descendisset in piscinam post motionem aquae,* magno ac plane divino miraculo *sanus fiebat a quacunque detinebatur infirmitate.* [22] Quoad alterum vero hodie Christus *magni consilii Angelus* [23] solo verbo sanat ab incurabili infirmitate hominem triginta et octo annos morbo detentum: *Surge, tolle' grabatum tuum et ambula. Et statim sanus* perfecte redditus *sustulit grabatum suum* [24] et abiit. Duplici autem isto miraculo designatur duplex modus quo Deus potest hominem a peccato iustificare: alter quidem de potentia ordinaria per Sacramenta, quae in piscina designantur, alter vero de potentia absoluta per seipsum, absque Sacramentis, sicut sanavit hodie languidum hunc solo verbo virtutis suae, habito tantum consensu et voluntate salutis a languido: *Vis sanus fieri?...* [25] *Surge, tolle grabatum tuum et ambula.*

unum quod fiebat ab Angelo, alterum factum a Christo;

figurant autem duplicem modum quo Deus hominem iustificat.

Est autem magnum miraculum iustificare hominem a peccato eumque perfecta spiritus sanitate, hoc est sanctitate, donare. *Totum,* inquit, *hominem sanum feci in sabbato.* [26] Sanavit autem in piscina, iuxta templum, sacro loco et sacro tempore, quia ad iustificandum utique hominem a Deo instituta sunt sacra tum loca tum tempora.

Iustificatio hominis magnum miraculum est.

V. Sed quidnam, quaeso, est quod sanabatur unus? Et unum tantum hominem sanavit hodie Christus, cum tamen in porticibus quinque piscinae iaceret *multitudo magna languentium, caecorum, claudorum, aridorum?* Profecto verum est quod in uno isto universum genus humanum designatur, sicut et in uno illo homine, qui descendens *ab Ierusalem in Iericho... incidit in latrones,* [27] unum enim tantum hominem Deus creavit. [28] Sed in hoc etiam designatur quod valde pauci sunt qui salvantur. Sanabatur unus; sanitas illa miraculo conferebatur, miraculum autem ab infinita Dei potentia necesse est ut fiat. Sed quomodo infinita Dei virtus, potens cum sit omnes sa-

Quod Christus ex magna multitudine languentium unum tantum sanavit, significat paucos esse qui salvantur.

22) Ibid. Vulg.: *Qui prior,* etc. 23) Is 9, 6. Ex Translat. Septuaginta. 24) Io 5, 8-9. 25) Ibid. vr. 6. 26) Ibid. 7, 23. 27) Lc 10, 30. 28) Cf. Gn 2, 7.

nare, unum tantum sanabat? Profecto quia miraculum non est tantum opus potentiae et bonitatis Dei, sed etiam sapientiae; non tantum misericordiae et caritatis, sed etiam iustitiae. Sic et iustificatio: si iustificat, opus est misericordiae et caritatis; si vero non iustificat, opus iustitiae est in poenam peccatorum, nam ob peccatum languidus hodiernus in morbum incidit: *Ecce sanus factus es, . . . noli* amplius, *peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.* [29]

quia ad iustificationem requiritur non tantum divina gratia, sed etiam humana voluntas.

Ut autem iustificetur homo requiritur non tantum divina gratia et voluntas, sed etiam humana: *Vis sanus fieri?* Hinc sanatur tantum unus, idest paucissimi sunt qui salvantur, qui vere salvari volunt et iustificari a peccato, qui volunt peccata dimittere, veterem hominem cum actibus suis exuere novumque induere, *qui secundum Deum creatus est in iustitia et sanctitate veritatis.* [30] Requirit ab homine Deus saltem bonam voluntatem salutisque desiderium ad iustificandum eum: *Vis sanus fieri?... Noli* amplius *peccare.*

Vere iustificati dicuntur qui a peccatis surgunt,

VI. Sanans autem Christus hunc languidum tria dicit ei: *Surge, tolle grabatum tuum et ambula.* Haec utique vita est iustificatorum: *surge* a peccatis et passionibus pravis malisque affectionibus et vitiis vitae superioris, *surge* animo ab affectione terrenarum rerum; *tolle grabatum tuum,* fer onus, fac condignos poenitentiae fructus, [31] castiga corpus tuum et in servitutem redige. [32] *Tolle grabatum tuum.* Corpus et caro nostra *grabatum* nostrum est; corpus autem carnalibus et animalibus hominibus solatium est locusque quietis, sed viris spiritualibus onus est grave corporisque necessitates grave admodum faciunt. [33] Sic languido huic curato grabatum prius erat locus quietis, postea onus ei factus est: *Tolle grabatum tuum. Qui autem sunt Christi carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis,* [34] hoc est grabatum tollere. Si peccatori dicas ut carnem suam ieiuniis, vigiliis, cilicio et disciplina mortificet ac vix ei necessaria ad vitam sustentandam praebeat, dicet se non posse, profecto quia languidus est, paralyticus est, viribus destitutus est, tollere grabatum non potest. At languidus sanus factus, divina virtute praeditus tollit grabatum suum et ambulat per viam salutis proficiens

carnem mortificant et in virtutibus proficiunt;

29) Io 5, 14. 30) Eph 4, 24. 31) Cf. Mt 3, 8; Lc 3, 8. 32) Cf. 1 Cor 9, 27.
33) Ms.: *Ferunt.* 34) Gal 5, 24.

semper in melius *de virtute in virtutem,*[35] ambulat[36] per viam mandatorum Dei non declinans neque ad dexteram neque ad sinistram.[37]

Praecepit haec tria Christus languido et virtutem mox contulit faciendi quae prius facere minime poterat, nam verbum Christi operatorium est:[38] *Dixit...: Fiat lux; et facta est lux;*[39] *Ipse dixit, et facta sunt..., mandavit, et creata sunt.*[40] Est Christus veluti dominus qui servo praecipit ut aliquid emat, et statim dat numismata necessaria ad emendum; dicit ut equitet, et dat equum ad equitandum. Sic Deus praecipit ut faciamus, et virtutem simul bene operandi praebet. Sic iussit terrae ut germinaret *herbam virentem et facientem semen lignumque pomiferum*[41] et simul virtutem contulit haec procreandi;[42] iussit aquis ut pisces producerent, etc.[43]

ad haec autem Deus ipse dat gratiam.

VII. Advertendum item est ex sacrosancto hodierno Evangelio quod peccata post iustificationem commissa multo sunt graviora, hinc ait Christus languido huic curato, cum eum in templo reperisset: *Ecce* iam *sanus factus es,... noli* amplius *peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.* Ubi duo docet Christus: unum est quod peccatum in causa est adversitatum et tribulationum, sic enim Adam ob peccatum fuit eiectus de paradiso terrestri[44] et angelus lucifer cum sequacibus suis de coelesti,[45] et per peccatum in mundum introivit mors omneque malorum genus;[46] alterum est quod lapsus in peccatum post acceptam Dei gratiam multo maiorem meretur punitionem; hinc ait: *Ne deterius tibi aliquid contingat.* Sic Christus ait de daemoniaco liberato quod, si iterum intrat in eum daemon, intrat cum septem aliis spiritibus multo nequioribus se, *et fiunt novissima hominis illius peiora prioribus.*[47]

Peccata post iustificationem commissa multo graviora sunt.

Ostendit etiam Dominus ad quem miserabilem infelicitatis statum homo per peccatum devenerit, quod plane perspiciet si quis infelicem hunc languidum in piscina conferat cum Adamo innocente ante peccatum in paradiso. Ille erat in loco deliciarum,[48] iste in loco

Peccatum causa est omnium malorum,

35) Ps 83, 8. 36) Ms.: *Ambula.* 37) Cf. Dt 5, 32; 28, 14; Ios 1, 7; Prv 4, 27; Is 30, 21. 38) Cf. S. Ambrosius *De Sacramentis,* lib. 4, cp. 4, (P. L. 16, 440). 39) Gn 1, 3. 40) Ps 32, 9. 41) Gn 1, 11. Vulg.: *Et lignum pomiferum.* 42) Cf. Ibid. vr. 12. 43) Cf. ibid. vr. 20. 44) Cf. ibid. 3, 23-24. 45) Cf. 2 Petr 2, 4; Iud vr. 6. 46) Cf. Gn 3, 6-19; Rom 5, 12. 47) Mt 12, 43-45. 48) Cf. Gn 2, 8. 15.

sicut cernitur in Adamo prius innocente et postea lapso, et in languido hodierni Evangelii;

miseriarum, in hospitali incurabilium infirmorum, ubi *iacebat multitudo magna languentium.* In paradiso autem ante peccatum nullus erat languor, nulla infirmitas, nullum malum ; ibi ille ditissimus dominus universi, cui omnes creaturae serviebant, iste hic pauperrimus, neminem habens servientem : *Hominem non habeo ;* [49] ille ibi semper felix, iste hic semper infelix : *Triginta et octo annos habens in infirmitate sua ;* [50] ille ibi conversabatur cum Angelis, iste hic cum bestiis, erat enim piscina in pecuali, hoc enim est in *probatica*, in loco pecudum. Gaudebat ille ibi immortalitate vitae, [51] iste vivebat hic semper morti vicinus proximusque ; erant ibi aquae, sed vivae : *Fluvius egrediebatur de loco voluptatis,* [52] hic autem aquae, sed mortuae, et, ut uno dicam verbo, ibi reperiebatur omnis felicitas carnis et spiritus, hic omnis infelicitas et corporis et animae ; ibi erat Adam tanquam luna plena soli simillima, hic autem tanquam luna eclipsata dissimillima soli ; Adam, inquam, ibi Deo simillimus, languidus autem hic ob peccatum dissimillimus Deo.

ab hoc autem miserabili statu homo relevatur per gratiam Christi.

Sed tamen ibi luna arte et malitia diaboli eclipsata fuit per peccatum, conversa lux in tenebras, hic autem per gratiam Christi eclipsata luna illuminatur et tenebrae convertuntur in lucem ; hodie enim peccator homo iustificatur. Diabolus ibi in serpente perduxit hominem a gratia ad peccatum, a virtute ad vitium, hodie Deus in homine Christo hominem convertit a peccato et vitio ad gratiam et virtutem. Diabolus interrogavit hominem et loquendo seduxit ac perdidit, manens in serpente occultus, Deus autem in homine Christo absconditus interrogavit peccatorem : *Vis sanus fieri ?* Ibi totus homo est infirmatus et perditus, hic totus homo sanatus atque salvatus ; ibi diabolus auctor fuit peccati et iniquitatis, hic Christus iustitiae et gratiae salutis. Sic per Christum homo *ad imaginem et similitudinem Dei* [53] reformatus ac recreatus est per iustificationem a peccato.

Iustificatio Dei donum est

VIII. Ut autem clariora fiant iustificationis mysteria in sacrosancto hodierno Evangelio, videndum nobis est quidnam sit iustificatio, quae eius sint causae, qui effectus et quae circumstantiae,

49) Io 5, 7. 50) Ibid. vr. 5. 51) Cf. Gn 2, 17; Sap 2, 23-24. 52) Gn 2, 10.
53) Ibid. 1, 26-27; 5, 1; 9, 6.

haec enim omnia hodiernum Evangelium complecti et continere videtur. Est autem iustificatio coelestis ac supernaturalis gratiae donum sanctificans animam et delens omnia peccata; hoc est quod aquis lotus ab Angelo commotis *sanus fiebat a quacunque detinebatur infirmitate,* ab omnibus simul, perfectamque consequebatur sanitatem. Sic rex ei qui decem millia talenta debebat omne dimisit debitum, [54] sic Deus omnes Israelitas salvavit in mari Rubro omnesque Aegyptios in aquis illis submersit, ita ut nec unus quidem evaserit. [55] Quoniam enim non potest cum quovis letali peccato gratia et caritas cohabitare, arca Dei cum Dagone, [56] lux cum tenebris, hinc Deus vel omnia dimittit peccata, vel nullum. Sic Christus a Magdalena septem daemonia eiecit [57] et a daemoniaco illo, qui a daemonum legione obsessus erat, omnes simul expulit spiritus malignos, [58] sic, inquit: *Totum hominem sanum feci in sabbato. Tota pulcra es, amica mea, et macula non est in te.* [59]

sanctificans animam et delens omnia prorsus peccata.

Iustificator autem Christus est Iesus, Deus et homo; Deus infinitae potentiae, sapientiae et bonitatis ad creandam gratiam sanctificantem; hinc cernimus hodie Christi potentiam, qua solo verbo et voluntatis nutu sanavit infirmum; sapientiam, qua cognovit quod *multum tempus haberet* [60] in infirmitate sua; bonitatem, qua salutem obtulit: *Vis sanus fieri?* misericordiam, qua sine meritis salutem confert. Iustificat etiam ut homo ex merito, infinita enim sua caritate in Deum Christus meruit procul dubio gratiam, at non sibi, sed nobis. Hodie autem videmus caritatem Christi erga Patrem, qua ascendit Ierosolymam ad orandum, et erga proximum, qua voluit hospitale incurabilium infirmorum corporaliter visitare. Caritas autem non potest non habere magnum meritum apud Deum; Abraham enim sua in Deum caritate magnam et sibi et posteris meruit a Deo benedictionem. [61] At Christi caritas pro se mereri non potuit, quia gratia in Christo non potuit augeri; meruit igitur nobis. Propterea Christus dictus est *Iesus,* idest s a l v a t o r: *Ipse enim,* ait Angelus, *salvum faciet populum suum a peccatis eorum,* [62] et propterea dicitur *iustus*

Causa efficiens iustificationis Christus est Deus et homo,

quia ut homo etiam pro nobis meruit.

54) Cf. Mt 18, 24-27. 55) Cf. Ex 14, 21 sqq. 56) Cf. 1 Rg 5, 2-8. 57) Cf. Mc 16, 9; Lc 8, 2. 58) Cf. Mc 5, 2-15; Lc 8, 27-33. 59) Ct 4, 7. 60) Io 5, 6. 61) Cf. Gn 22, 1 sqq. 62) Mt 1, 21.

et salvator.[63] Danieli etiam Angelus dixit quod Messias, *Sanctus Sanctorum*, adducturus erat iustitiam sempiternam.[64]

Subiectum iustificationis homo peccator est, sed vere salutem volens et quaerens,

Qui vero iustificatur homo est languidus, incurabili infirmitate affectus, salutis tamen cupidus et faciens quod in se est ad eam consequendam. Sic videmus in languido hodierno. Erat eius infirmitas incurabilis, hinc *triginta ... octo annos* habebat *in infirmitate sua*, nec nisi divino miraculo poterat curari. Sic utique peccatum suapte natura languor incurabilis est et a solo Deo curari potest. Sicut enim homo potest seipsum excaecare, non autem illuminare, seipsum in puteum mergere, non autem absque fune desuper immisso exire, seipsum occidere, non autem vivificare; sic peccare quidem potest, sed non iustificare seipsum. Opus est tamen ut faciat quod in se est salutis cupidus ad consequendam peccatorum remissionem atque salutem. Sic languidus fecit quod potuit ut ab infirmitate sua sanaretur. Non accenditur ignis nisi in ligno arido et sicco, non imprimitur sigilli character nisi in cera mollificata. Sic praevia dispositione animi opus est ad consequendam iustificationem: *Vis sanus fieri?*

quia sine praevia dispositione animi iustificatio obtineri nequit;

Forma autem iustificationis est gratia Spiritus Sancti supernaturalis atque divina, sanctificans animam, hinc designatur in sanitate quam Angelus Domini de coelo afferebat: *Angelus autem Domini descendebat* de coelo *et movebatur aqua*[65] et sanabatur unus.

causa formalis gratia Spiritus Sancti;

Finis vero est gloria, quae per diem festum Iudaeorum, hoc est electorum Dei, designatur atque per sabbatum: *Totum hominem sanum feci in sabbato.* Sabbatum autem coelestem beatitudinem designat; hinc prope diem festum hunc sanatus est languidus, ut gaudens atque exultans posset diem festum celebrare in civitate Ierusalem, in visione pacis ac felicitatis aeternae.

finis gloria aeterna;

Adhuc autem ad iustificandum peccatorem ministro opus est: *Hominem non habeo,* nemo enim seipsum baptizare potest, nam et Christus a Ioanne baptizari voluit,[66] quo Baptismi sacramentum institueret, ut *qui crediderit et baptizatus fuerit,* salvus esset.[67] Sic languidus homine opus habebat, qui mitteret eum in piscinam, qui baptizaret eum et sacro Baptismate sanaret.

causa ministerialis minister legitimus;

63) Zach 9, 9. 64) Cf. Dn 9, 24. 65) Io 5, 4. 66) Cf. Mt 3, 13-15.
67) Mc 16, 16.

Opus est instrumento: sicut calamo ad scribendum, cithara et organo ad harmonicum sonum efficiendum, sic ad iustificandum peccatorem Sacramentis opus est. Sicut aqua piscinae illius arcanam virtutem habebat ad sanandum corpus a quacunque etiam incurabili infirmitate, virtutem autem hanc divinam ab Angelo descendente accipiebat et a sanguine sacrificiorum quae ibi abluebantur, sic aqua Baptismi virtutem habet ad sanandam animam a Spiritu Sancto et a merito passionis Christi. Piscina autem Sacramentorum et maxime Baptismi in sacrosancto hodierno Evangelio hieroglyphicum est. Sicut autem cuiusvis rei imago necesse est ut res aliqua sit et similis ei quam repraesentat, sic tamen similis ut in parte etiam dissimilis sit, alioquin non esset similitudo, sed identitas, uti est imago crucifixi; sic piscina hodierna Baptismi imago est, similis quidem, sed in parte etiam dissimilis Utraque aqua salutem conferebat, sed illa corporalem, ista spiritualem; illa virtute Angeli, haec virtute Spiritus Sancti; illa *secundum tempus*, haec semper; illa uni tantum, haec omni creaturae, quoniam imago Sacramenti erat, non verum Sacramentum *regenerationis et renovationis Spiritus Sancti.* [68]

causa instrumentalis Sacramenta,

quorum figura, et maxime Baptismi, haec piscina fuit.

Efficit autem iustificatio multa: *Surge, tolle grabatum tuum et ambula. Et statim* surrexit, *tulit grabatum suum et ambulavit.* [69] Facit hominem pium erga Deum ac religiosum, nam sanatum Christus invenit in templo; [70] liberat a tribulationibus non tantum aeternis, sed etiam temporalibus: *Ecce* iam *sanus factus es... noli* amplius *peccare, ne deterius tibi aliquid contingat;* facit nos Deo obedientes magis quam hominibus, sic enim languidus sanatus Christo magis quam Iudaeis obedire voluit: *Qui me sanum fecit ille mihi dixit: Tolle grabatum tuum et ambula.* [71] Si, inquit, divina auctoritate me potuit sanare, ergo eadem divina auctoritate potuit praecipere ut grabatum in sabbato portem absque divinae legis transgressione.

Effectus iustificationis sunt a poenis peccatorum liberatio et virtutis collatio ad bene agendum.

Praeter haec locus et tempus adhuc ad iustificationem requiri videntur. Locus: in Ierusalem, in *Bethesda* [72] sanatus est infirmus. Extra Ecclesiam non sunt Sacramenta gratiae iustificantis et sanctificantis, extra Ecclesiam neminem Christus sanctificat, neminem

Circumstantiae iustificationis: locus Ecclesia est, in qua sola Sacramenta inveniuntur;

68) Tit 3, 5. 69) Io 5, 8-9. Vulg.: *Sustulit grabatum suum et ambulabat.*
70) Cf. ibid. vr. 14. 71) Ibid. vr. 11. 72) Ibid. vr. 2. Cf. supra, hom. prima huius Feriae, pag. 402.

salvat, non enim est salus extra arcam Noe :[73] *Unus Deus, una fides, unum Baptisma.*[74]

tempus vita praesens est, quia post mortem nemo iustificari potest.

Tandem et tempus, nam *Angelus... Domini secundum tempus descendebat in piscinam*[75] et sanabatur unus. Sanabat infirmum aqua ab Angelo mota *a quacunque detinebatur infirmitate,* sed non suscitabat mortuum. Tempus iustificationis est praesens vita usque ad mortem; post mortem vero nemo iustificatur, sed ubicunque ceciderit lignum, ibi manebit,[76] sive ad austrum sive ad aquilonem. Vae iis, qui in hora mortis iustificati minime inventi fuerint! Accidet enim eis sicut Aegyptiis, qui in medio undarum maris Rubri dum mergerentur, agnoscentes peccata sua dixerunt : *Fugiamus Israelem, Dominus enim pugnat pro eis;*[77] sed tarda nimis fuit eorum poenitentia eosque nihil iuvit. Fratres mei, *ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.*[78] Quandiu Christus offert nobis salutem : *Vis sanus fieri?* accipiamus eam, quia :

« Fronte capillata, post haec occasio calva ».[79]

Ad iustificationem consequendam spiritus fervore et animi sollicitudine opus est.

Advertendum item est quod ad perfectam iustificationis gratiam consequendam fervore spiritus opus est animique sollicitudine et vigilantia, hoc est enim quod *qui prior descendisset in piscinam post motionem aquae sanus fiebat* ab omni *infirmitate.* Ad hanc nos Paulus excitavit, quod omnes *qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium,* qui praecucurrit et prior pervenit ad metam; *sic currite ut comprehendatis.*[80]

In naturalibus multa volumus quae non possumus, at in spiritualibus multa possumus quae non volumus.

IX. *Vis sanus fieri?* Cupiebat hic quidem sanitatem, sed minime consequi poterat; sic saepe multa volumus quae minime possumus et, e contra, multa possumus quae minime volumus. Quamvis enim facti simus *ad imaginem et similitudinem Dei,* non tamen aequantur in nobis operandi potentia atque voluntas sicut in Deo, qui *omnia quaecunque voluit... fecit in coelo et in terra;*[81] potentia

73) Cf. Gn 7, 21-23; 1 Petr 3, 20-21. De arca Noe figura Ecclesiae cf. Firmilianus Episc. *Epist. ad Cyprianum*, (P. L. 3, 1168); S. Hieronymus Epist. 15, ibid. 22, 355; S. Augustinus *Enarrat. in Psalmos*, Ps. 103, ibid. 37, 1358; *De Civitate Dei*, lib. 15, cp. 26, ibid. 41, 472; *De Unitate Ecclesiae*, cp. 5, ibid. 43, 397; S. Fulgentius *De Remissione Peccatorum*, lib. 1, cp. 20, ibid. 65, 543.
74) Eph 4, 5. Vulg.: *Unus Dominus*, etc.
75) Io 5, 4. Vulg.: *Descendebat secundum tempus*, etc.
76) Cf. Eccle 11, 3.
77) Ex 14, 25.
78) 2 Cor 6, 2.
79) Cato Dyonisius:
« Fronte capillata, post est occasio calva ».
Carmen De Moribus, vr. 142, sine numerat. pag.
80) 1 Cor 9, 24.
81) Ps 134, 6.

aequalis est voluntati et voluntas potentiae. Non sic in nobis. Nam in corporalibus quidem et mundanis multa bona volumus, quae consequi minime possumus: honores, divitias, voluptates; in spiritualibus vero multa possumus, favente Deo, [82] qui nemini deest, sicut lux diurna, praesente sole, ea tamen operari nolumus.

Vis sanus fieri? Parum valde est quod Christus hodie a languido isto quaesivit ad sanandum eum, desiderium tantummodo sanitatis, quod quidem naturalissimum est. Sic ad conferendam nobis spiritualem sanitatem perpetuamque salutem principaliter Christus nonnisi bonam a nobis voluntatem requirit, ut velimus bonam habere animam, bonam voluntatem. O homo, tu, natura duce, omnia vis habere bona, etiam caligas bonas vis; sed dicas mihi: Non erubescis? Vis habere bonas caligas et non bonam conscientiam? Ad salutem tuam, homo, sola iustificatio sufficit, haec sola requiritur, qua dimittuntur omnia peccata et caritas gratiaque Spiritus Sancti infunditur. Potest Deus te iustificare, nec tantum potest, sed etiam vult, imo desiderat; ad hoc venit in mundum, ad hoc homo factus est, ad hoc passus et mortuus in cruce est, sicut ad hoc venit hodie Christus in piscinam ad sanandum hunc languidum, nil veritus quod, si miraculum hoc in sabbato operaretur, graves mortalesque a Iudaeis persecutiones passus fuisset, nam, ut Evangelista ait: *Propterea persequebantur* Christum *Iudaei*, quoniam miracula *faciebat in sabbato;* [83] nam in illuminatione caeci nati dixerunt, quoniam sabbato illuminavit illum Christus: *Non est hic homo a Deo, qui sabbatum non custodit.* [84] Ostendit igitur Christus quod supra vitam suam desiderabat salutem nostram, cum pro salute nostra vitam suam crudelissimae mortis periculo exposuerit.

sed ad iustificationem necessaria est bona voluntas,

Deus enim vult iustificare, imo vehementer desiderat, et quidem ad hoc venit in mundum, passus et mortuus est;

Ex parte igitur Dei nihil deest quod ad iustificationem salutemque nostram requiratur; adest potestas nec deest voluntas, imo desiderium vehemens, nedum voluntas prompta, ita ut non expectet Christus petitionem salutis, sed per seipsum benignissime offerat: *Vis sanus fieri?* Potentior Christus est et infinitis gradibus promptior ad iustificandum quam ignis ad calefaciendum, sol ad illuminandum, fons perennis ad effundendam aquam.

potest etiam, quia infinita potentia pollet;

82). Ms.: *Dei.* 83) Io 5, 16. 84) Ibid. 9, 16.

Quod si non sequitur effectus iustificationis et salutis, necesse est ut aliquid, quod ex parte nostra requiritur, desit. Deus potest et vult, ideo dictus est *sol iustitiae,* [85] *ignis consumens,* [86] *fons vivus;* [87] vult : *Haec est . . . voluntas Dei, sanctificatio vestra.* [88] Sed sicut in naturalibus accidit, ita in spiritualibus : ut ex matrimonio sequatur generatio et procreatio filiorum, requiritur fecunditas et potentia ad generandum simul tum in viro tum in muliere, nam si vir potens sit et fecundus, sicut erat Abraham, mulier autem sterilis, sicut Sara, [89] sicut Rachel, [90] sicut Anna mater Samuelis, [91] non sequetur generatio ; ita ad effectum iustificationis requiritur duplex potentia, tum ex parte Dei tum ex parte hominis : ut ille possit iustificare, homo autem possit iustificari ; ut possit medicus curare et infirmus curari, ne infirmitas facta sit incurabilis. Damnatus non potest iustificari, quoniam est velut homo mortuus cui nil medicus prodest. Ut fiat imago, non solum requiritur pictor arte excellenti et pingendi potestate ac peritia praeditus, cui nec colores optimi nec penicilli desint, sed etiam requiritur telarium factum ex bona tela ; non potest pictor [92] [pingere] in reticulata tela vel vetustate consumpta ac veluti aranearum tela. Dum iustificatur homo depingitur in eius anima imago Dei optima et pulcherrima Deoque simillima, nam sicut Deus unus et trinus est, una essentia in tribus Personis, ita gratia Spiritus Sancti una est in tribus theologicis virtutibus ; et sicut Pater producit Filium per modum intellectus et cognitionis et Spiritum Sanctum per modum voluntatis et amoris, ita in iustificatione fides viva producit magnam Dei cognitionem in intellectu et magnum amorem in voluntate. Requiritur ergo telarium bene dispositum ut haec fiat imago, anima bene disposita, quae possit et velit iustificari.

sed ut iustificationis sequatur effectus requiritur potentia tum ex parte Dei tum ex parte hominis.

Sicut enim pictor pingere non potest sine telario, sic Deus iustificare non potest animam non bene dispositam.

Et nos quidem possumus, quandiu viatores sumus, a peccato quovis iustificari. Non sumus sicut daemones et damnati qui amplius iustificari non possunt. Sicut enim ex principis privilegio fiunt in nobili aliqua civitate universales nundinae, ita ut absque vectigalium solutione mercatores omnes per tempus privilegio concessum libere possint omne mercium genus afferre et extrahere ; sed cum tempus illud expiraverit, non potest amplius libertate illa et privi-

Quandiu in mundo vivit, omnis peccator iustificari potest,

85) Mal 4, 2. 86) Dt 4, 24. 87) Cf. Ier 2, 13. 88) 1 Thess 4, 3.
89) Cf. Gn 16, 1-4. 90) Cf. ibid. 30, 1. 91) Cf. 1 Rg 1, 2. 92) Ms.: *Picto.*

legio uti, sed vectigalia solvere necesse est; ita privilegium Dei est ut omnis peccator, quandiu in mundo hoc manserit, iustificari possit, sed in morte expirat tempus huius privilegii una cum ipsamet vita, « in inferno autem nulla est redemptio », [93] nulla remissio, nulla sanctificatio.

sed necessaria est cooperatio ex parte hominis.

Possumus igitur nos iustificari, at non sufficit ista potestas. Ad ignem accendendum non sufficit ut hic quidem sit candela aut lucerna accensa, ibi autem palea, stupa et ligna; sed ut fiat combustio necesse est ut combustivum admoveatur. Ut domus ista illuminetur a sole non sufficit quod sol possit eam illuminare et ipsa similiter possit illuminari, necesse est ut aperiantur fenestrae per quas ingrediatur lumen. Ita requiritur ex parte nostra dispositio, nam, « qui creavit te sine te, non salvabit te sine te ». [94] Pater tuus, si philosophus est et de litteris optime meritus, potuit te sine te generare, cum non esses, sed non potest te sine te similem sibi in scientia et litteris facere, nam ex parte tua requiritur studium, ut possis et velis litteris operam dare. Sic « qui creavit te sine te, non salvabit te sine te »; requiritur aliquid ex parte tua. Dices: Quidnam est quod a me Deus pro salute mea requirit? Id tantum quod a languido isto hodie requisivit ad sanandum eum. Quidnam est quod requisivit? Voluntatem: *Vis sanus fieri?* Non requirit a te bona tua, possessiones tuas, dignitates tuas, filios tuos, uxorem tuam, non corpus tuum, non sensus tuos, sed tantum voluntatem tuam, desiderium voluntatis tuae, ut velis salvari; requirit modicum aquae a mari, quid enim est cor humanum nisi mare immensum desideriorum?

haec autem consistit in bona voluntate et in desiderio propriae salutis.

Languidus hic exemplar est hominis vere et sincere iustificationem volentis;

X. *Vis sanus fieri?* Non immerito quaerit hoc Christus a languido; nam etsi cuilibet infirmo naturale desiderium inest sanitatis, multi sunt tamen qui salvari minime volunt, quales sunt pauperes mendici, qui infirmitatum et ulcerum suorum ostensione victum sibi mendicando quaeritant et infirmitas eis pro lucro est, propterea curari minime volunt, imo nonnunquam seipsos magis exulcerant, quo magis in se hominum oculos convertant et ad pietatem et miseri-

93) Breviarium Rom. Officium Def. ad Mat., respons. 7 lect.

94) S. Augustinus *Sermo 169*, cp. 11, (P. L. 38, 923).

cordiam magis moveant. Hinc igitur quaerit Christus: *Vis sanus fieri?... Domine, hominem non habeo.* Cupio, inquit, et vehementer desidero consequi sanitatem, sed non possum.

qui enim vero iustificationem quaerit desiderium magnum et ardens habere debet,

In languido autem isto non qualecunque cernitur desiderium salutis, sed magnum et mirabile, verum et efficax. Verum quidem, quoniam quaesivit remedium sanitatis, sciens enim quod morbo incurabili laborabat et nonnisi per miraculum poterat curari, abiit in Ierusalem, in piscinam, ad balneum illud mirabile et saluberrimum. Nec tantum verum ostenditur in eo sanitatis desiderium, sed magnum et mirabile, nam multa cum patientia et longanimitate triginta octo annis ibi expectavit, si quo modo tandem gratiam consequi potuisset. Erat in homine isto salutis desiderium, quale est in alchimistis auri et argenti sacra fames:[95] quamvis multorum annorum experientia spe sua frustratos se videant, semper tamen spem suam in futurum alunt quod proximo experimento res bene eis pro voto succedet. Sic, inquam, magnum extitit et mirabile in languido isto desiderium sanitatis. Desiderium igitur salutis, quod in nobis requiritur, opus est ut verum sit desiderium salutis, sicut fames verus est appetitus edendi, sitis bibendi. Hinc ait: *Beati qui esuriunt et sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur.*[96]

et efficax, idest ut media efficacia ad iustificationem consequendam adhibeat;

Non est homo qui non desideret salutem; sed efficax desiderium requiritur et firma animi voluntas. Omnis homo natura scire desiderat, quilibet vellet scientias omnes artesque habere; sed eos qui magno studio laborant ad acquirendas scientias dicimus magnum habere desiderium sciendi et discendi. Desiderium efficax est quod requirit media sufficientia et efficacia perveniendi ad optatum finem, ut alchimistae faciunt, et omnis artifex instrumenta habet arti suae necessaria. Sic firma voluntas aliquid faciendi pro viribus quaerit quae necessaria [sunt] ad consequendum finem. Si via virtutis difficilis videtur, non diffidamus: virtutem benefaciendi dat Dominus; similis enim est domino qui verbis dicit servo: vade, eme aliquid; sed manibus porrigit pecuniam necessariam ad emendum et equum ad equitandum. Dixit huic languido: *Surge, tolle grabatum tuum et ambula*, et virtutem dedit; sicut in mundi creatione dixit: *Producat... germinet*

Deus autem gratia sua bonam hanc voluntatem adiuvabit.

95) Cf. Virg. *Aeneid.*, lib. 3, vr. 457. 96) Mt 5, 6.

terra herbas et animalia, *producant aquae* aves et pisces, et virtutem simul dedit ad haec producenda. [97]

XI. Considerandum nobis est qualis erat homo iste ante miraculum et qualis postea. Ante quidem homo erat, sed infirmus incurabili infirmitate, nec tantum carne infirmus, sed etiam spiritu; corporalis autem infirmitas et poena erat et imago spiritualis. Et quidem licet corpore morbo esset incurabili oppressus, non tamen viribus omnino destitutus erat, ut instar paralytici sese movere nullo modo posset. Poterat surgere a lecto et ambulare lento gradu, hinc ait: *Dum venio... ego, alius ante me descendit* [98] in piscinam. Sic utique homo spiritu infirmus, sanitate gratiae privatus, non est omnino impotens ad bene operandum, nam peccatum debilitat, non tollit liberum arbitrium, tollit gratiam non naturam. Homo autem suapte natura potest cognoscere bonum et malum, diligere bonum et odisse malum. Sic etiam infidelis naturali lumine rectae rationis potest a nonnullis vitiis abstinere et nonnulla bona opera facere, ut nunc Hebraei faciunt, eleemosynas, orationes, ieiunia atque id genus; alia moralia, quemadmodum ethnici philosophi tradunt et docent moralem philosophiam, multa de virtutibus et vitiis subtiliter et vere tractantes.

Etiam in statu peccati potest homo aliqua bona facere, quia peccatum debilitat quidem, sed non tollit naturam,

Sic poterat languidus iste per seipsum descendere in piscinam; sed frustra, sanitatem enim non consequebatur. Non potest homo liberi arbitrii viribus eo pervenire, ut consequatur peccatorum remissionem et gratiam salutis aeternae absque divino auxilio et supernaturali Spiritus Sancti dono. Facienti tamen quod in se est ad salutem consequendam Deus non deest, [99] sicut hodie in languido isto videmus; ex naturali enim salutis desiderio faciebat quod poterat, hinc tandem ex Dei misericordia et Christi gratia salutem consecutus est. Post miraculum vero iam sanus a Christo factus, surrexit, tulit grabatum suum et abiit sanus factus et fortis, potens viribus ad ambulandum et portandum grave onus.

et quamvis nequeat propriis viribus iustificationem consequi, tamen, si faciat quod in se est, Deus non denegabit suam gratiam.

Sed ita tamen sanus factus est ut iterum posset in morbum incidere; hinc cum eum Christus invenisset in templo ait: *Ecce sanus*

Iustificatio impeccabilitatem non confert,

97) Cf. Gn 1, 11-25. 98) Io 5, 7. 99) Axioma theologicum, de quo cf. supra, Feria Quinta Cinerum, not. 25, pag. 150.

factus es, iam noli amplius *peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.* Sed quidnam deterius poterat ei contingere, qui triginta octo annis incurabili morbo gravatus fuerat ? Si in hac vita deterius nil potuisset contingere, potuisset tamen in futura vita, in futuro saeculo si non in praesenti, in inferno si non in hoc mundo. An non multo deterior poena aeterna, infernalis ignis omni temporali poena in praesenti saeculo ? Tria documenta dat ei Christus : primum est, ut memor sit accepti beneficii : *Ecce sanus factus es ;* secundum est, ut caveat ne ingratus malum pro bono reddat : *Iam noli peccare,* ubi etiam docet quod peccatum est causa malorum omnium, et ut memor sit etiam se a peccato liberatum esse corpore et spiritu sanatum ; tertium est documentum timoris, ne iterum in Dei iram multo maiorem incidat, nam *horrendum est incidere in manus Dei viventis:*[100] *Ne deterius tibi aliquid contingat.*

ideo languido sanato Christus documenta dat ne iterum in peccatum et in peiorem ruinam incidat.

III. ALIA HOMILIA

Erat dies festus Iudaeorum, etc.[1]

I. Heri habuimus in sacro Evangelio mulierem ex chananaea factam christianam, ex gentili fidelem iustificatam et sanctificatam a Christo ;[2] hodie habemus hominem factum ex iudaeo christianum, ex infirmo sanum atque ex peccatore sanctum. Et pudere nos viros oportet quod apud Deum a sexu femineo virtutibus laude et honore dignis vincimur. Etenim heri mulier non tantum iustificari meruit a Christo, sed etiam laudari : *O mulier, magna est fides tua ;*[3] homo autem hodie sanctificatus non laudatus a Christo est, sed comminatus : *Ecce* iam *sanus factus es, . . . noli* amplius *peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.*[4]

Hesternum Evangelium egit de iustificatione mulieris gentilis, hodiernum agit de iustificatione hominis iudaei;

Sicut autem heri potuimus comparare chananaeam cum prima muliere Eva magna cum sympathia et antipathia : sympathia quidem, quoniam utraque mulier, utraque creatura Dei, utraque fide

et sicut in chananaea exhibita fuit figura Evae,

100) Hebr 10, 31.

1) Io 5, 1. 2) Cf. Mt 15, 22-28. Cf. supra, Feria praec., pag. 363-397. 3) Ibid. vr. 28. 4) Io 5, 14.

praedita, utraque salva; antipathia autem, quoniam illa prius sancta, postea diaboli opera facta peccatrix; prius consolata et felix in paradiso, postea infelix et tribulata in hac miseriarum valle; chananaea autem, e contra, prius peccatrix, deinde opera Christi sancta; prius tribulata, postea consolata; similiter hodie comparationem facere possumus inter primum hominem Adam et hominem hunc evangelicum, et magna reperitur tum sympathia tum antipathia inter utrunque: sympathia, quoniam uterque homo, uterque ad imaginem Dei factus, uterque capax Dei per cognitionem et amorem, per gratiam et gloriam; antipathia autem, quoniam non tantum differre videtur clarus dies ab obscura nocte et luna lumine plena a seipsa eclipsata totaliter, quantum differre videtur homo iste in piscina a primo homine in paradiso: ille beatus et felix, iste infelix et miser; ille sanctus, iste peccator; ille omnibus bonis animae et corporis affluens, [5] iste omnibus egens. At vero ille luna plena, sed eclipsata postea, iste prius eclipsata, postea plena; ibi dies conversus fuit in noctem, hic nox in diem; ille prius sanctus, postea peccator diaboli opera; iste prius peccator, postea sanctus opera Christi; ibi homo a gratia et iustitia lapsus fuit in peccatum et iniquitatem, [6] iste surgit a peccato ad gratiam, ab iniquitate ad iustitiam. Quare in piscina hodie restaurantur damna paradisi et vetus homo renovatur, iustificatur, sanctificatur, paradiso restituitur.

sic in languido isto exhibetur figura Adae tum innocentis tum peccatoris.

II. Quod si nos omnes similes sumus huic homini in statu languoris, studeamus ut similes etiam eidem simus in statu sanitatis: *Sicut portavimus*, inquit Paulus, *imaginem terreni* hominis, *portemus et imaginem coelestis.* [7] Proponuntur nobis hodie duo exemplaria ad imitandum: alterum Christus est perfectissimum exemplar perfectissimae caritatis in Deum et in proximum, alterum homo iste iustificatus et sanctificatus a Christo. Si deficit nobis animus ut imitemur perfectionem caritatis et sanctitatis Christi, saltem imitemur hunc languidum curatum servemusque quae servanda ei a Christo tradita sunt.

Christus et languidus proponuntur hodie exemplaria virtutum.

Habemus etiam nonnullas morales virtutes in languido isto quas

5) Cf. Gn 2, 5-16. 6) Cf. ibid. 3, 1 sqq. 7) 1 Cor 15, 49.

Inter alias virtutes elucet praecipue in Christo caritas erga hominem,

imitemur, quae sunt patientia, longanimitas et modestia : *Erat autem ibi*, inquit, *quidam homo.* [8] Hoc est quod movit Christum hodie ut divinum hoc operaretur miraculum : natura humana, quia erat homo *ad imaginem et similitudinem Dei* [9] conditus. Heri Christus motus fuit precibus Apostolorum dicentium : *Dimitte illam, quia clamat post nos,* [10] precibus, lacrimis, afflictione, pietate et virtute magna chananitidis : *O mulier, magna est fides tua, fiat tibi sicut vis ;* [11] hodie autem nullo horum motus est, sed tantum quia *homo* hic erat. Sed an forte alii infirmi homines non erant : *Multitudo magna languentium, caecorum, claudorum, aridorum expectantium aquae motum ?* [12] Homines erant, sed in bestias suis vitiis conversi, ut Nabuchodonosor : [13] *Homo, cum in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis,* etc. [14]

In languido autem recta ratio naturalis vivendi

Hic autem homo erat, naturalem legem servabat, vivebat secundum dictamen naturalis rationis, pro acquirenda salute, quam summopere desiderabat, faciebat quod in se erat. Potest quis, etiam infidelis, moraliter bene vivere, sobrie et temperate quoad se, iuste etiam quoad proximum et pie quoad Deum, nam Deum esse et adorandum colendumque esse, quoniam ab ipso omnia procedunt, ipsamet natura hominem docet. Has autem morales et, ut ita dicam, naturales virtutes non despicit Deus, nec homini sunt omnino vanae et inutiles. Profuit huic languido diuturni temporis patientia et tanti temporis spes et expectatio divinae misericordiae. Hoc igitur omnibus in primis satagendum est, ut quisque studeat homo esse, secundum rationem vivere, nil contra propriam conscientiam et dictamen naturalis rationis agere.

et patientia in expectanda salute, humilitas atque modestia.

Respexit Christus longam patientiam et tollerantiam hominis istius et probare etiam voluit, quo nobis innotesceret, quaerendo : *Vis sanus fieri? Respondit ei languidus : Domine, hominem non habeo.* [15] Humilis plane et modesta responsio. Non est conquestus de Deo aut de hominibus, non accusavit scribarum et Pharisaeorum impiam inhumanitatem, quod nunquam curarint providere ei hominem, non maledixit diei nativitatis suae ; [16] modestissime etiam Christo insinuat necessitatem, quatenus eum potentem cognoscit ad auxilium sibi prae-

8) Io 5, 5. Vulg.: *Erat autem quidam homo ibi.* 9) Gn 1, 26-27; 5, 1; 9, 6.
10) Mt 15, 23. Vulg.: *Dimitte eam,* etc. 11) Ibid. vr. 28. 12) Io 5, 3.
13) Cf. Dn 4, 20-23. 14) Ps 48, 13. 21. 15) Io 5, 7. 16) Cf. Iob 3, 1.

standum et impendendum, videns eum iuvenem viribus praeditum, qui posset eum in piscinam deferre. Quid fecisset si Deum eum cognovisset, naturae dominum et auctorem bonorumque omnium fontem?

Magna res homo est quia imago Dei, a diabolo quidem labefactata, sed a Christo refecta.

III. *Erat autem ibi quidam homo... Hunc cum vidisset Iesus.*[17] Non parva res homo est, cum divino dignus sit aspectu Deique oculos in se convertere possit ipsumque Deum ad pietatem miserationemque movere. *Hunc* enim *cum vidisset* hodie Christus, misertus eius beneficium contulit sanitatis perfectaeque salutis: *Totum hominem sanum feci in sabbato.*[18] *Erat ibi quidam homo,* imago Dei pulcherrima, sed a diabolo labefactata; sed Christus eam hodie reficit uno momento et ictu oculi. Est enim Christus excellentissimus pictor ipsa natura multo excellentior et potentior. Pictor, quamvis excellentissimus, multo indiget tempore ut imaginem alicuius rei faciat ad naturale; natura autem in speculo uno momento pulcherrimam omnibusque numeris absolutam facit, quoniam multis partibus natura superior est arte. Deus natura infinitis gradibus superior est, ideo in ictu oculi potest formare imagines non tantum corporalium, sed etiam spiritualium rerum, quod natura non potest, et facere permanentes perpetuasque imagines, quod natura minime potest, sed tantum momentaneas facit in speculo, quandiu praesens fuerit homo, qui seipsum in speculo contemplatur.

In hoc languido cernuntur etiam damna peccati et beneficium gratiae Christi.

*IV. *Est autem Ierosolymis probatica piscina... quinque porticus habens. In his iacebat multitudo magna languentium,* etc.[19] Elucent in sacrosancto hodierno Evangelio damna peccati Adae et beneficium gratiae Christi Redemptoris et Salvatoris generis nostri. Damna peccati: infirmitas corporalis et spiritualis languor, caecitas, curvitas, ariditas mentis et corporis, paupertas et miserabilis infelicitas, qualis est hominis deducti ob nimiam paupertatem et miserabilem infirmitatem ad hospitale incurabilium infirmorum; hoc pelagus est miseriarum: *In his iacebat multitudo magna languentium, caecorum, claudorum, aridorum.* Beneficium vero gratiae Redemptoris ac Salvatoris: *Angelus autem Domini secundum tempus descendebat in*

17) Io 5, 6. 18) Ibid. 7, 23. 19) Ibid. 5, 2-3.

piscinam et movebatur aqua, et quicunque prior descendisset in piscinam post motionem aquae, sanus fiebat a quacunque detinebatur infirmitate.[20] Christus autem est *magni consilii Angelus,*[21] hinc sua virtute languidum curavit.

Quaeritur cur inter tantos infirmos unum solummodo sanaverit Christus.

Sed quidnam, quaeso, est quod non sanabatur nisi unus ? quod nonnisi unum tantummodo languidum Christus curavit ? Divus Paulus *ad Romanos* docet quod multo maius fuit meritum et gratia Christi, quam demeritum et peccatum Adam ; ait enim : *Non sicut delictum ita et donum ; si enim unius delicto multi mortui sunt, multo magis gratia Dei et donum in gratia unius hominis Iesu Christi in plures abundavit. Et non sicut per unum peccatum ita et donum ; nam iudicium quidem ex uno in condemnationem, gratia autem ex multis delictis in iustificationem. Si enim unius delicto mors regnavit per unum, multo magis abundantiam gratiae et donationis et iustitiae accipientes, in vita regnabunt per unum Iesum Christum. Igitur sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, sic . . . per unius iustitiam in omnes homines in iustificationem vitae. Sicut enim per unius hominis inobedientiam peccatores constituti sunt multi, ita et per unius obeditionem iusti constituentur multi.*[22] Sic enim docet Paulus quod Adam fuit forma futuri,[23] idest imago et figura Christi. Sed quomodo vera est haec doctrina Pauli, quod in plures abundavit gratia Christi quam peccatum Adae, si ex tam multis nonnisi unus curatur ?[24]

Sicut Deus creaturarum ministerio regit mundum.

V. *Est autem Ierosolymis probatica piscina,* hieroglyphicum utique Sacramenti *regenerationis et renovationis Spiritus Sancti.*[25] Nam sicut Deus, quamvis potuerit mundum per seipsum regere et gubernare absque ullius creaturae ministerio, sicut et creaverat, noluit tamen, ut creaturas suas magis magisque honoraret communicatione dignitatis suae, multas earum redegit in ordinem efficientium causarum : Angelos stellasque coelestes, maxime vero septem planetas, quorum virtute atque influxu inferior hic mundus universalisque natura, ge-

20) Ibid. 5, 4. Vulg.: *Descendebat secundum tempus . . . et qui prior,* etc. 21) Is 9, 6. Ex Translat. Septuaginta. 22) 5, 15-19. Vulg.: *Sicut enim per inobedientiam unius hominis,* etc. 23) Cf. ibid. vr. 14. 24) Quaestio sine solutione relinquitur, quae tamen eadem esse debebat quae supra data fuit, pag. 413-414. 25) Tit 3, 5.

nerationis et procreationis mater, regitur et gubernatur ; ita Christus unicus et verus Deus, mystici mundi Ecclesiae sacrosanctae conditor et fundator : *Super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam,* [26] licet per seipsum solus potuerit universam fidelium suorum rempublicam administrare, nihilominus sicut regnum naturae septem errantibus sideribus administrat, sic regnum gratiae septem Sacramentis divinitus institutis ad divinae lucis communicationem voluit administrare, ut sicut septem illae erraticae stellae in corporibus varios operantur effectus, nunc enim pluvias nunc serenitatem inducunt, nunc ventos excitant nubesque producunt, nunc diem nunc noctem efficiunt, sic utique septem Sacramenta in animabus varias mirabilesque efficerent operationes ad iustificandos sanctificandosque Christi fideles. In septem planetis tres sunt valde perspicui : sol, luna et Venus, quae solem semper comitatur ; sic utique in Sacramentis Eucharistia est veluti sol, Poenitentià tanquam Venus, Baptismus veluti luna est, quae aquis dicitur dominari [27] mirabilesque effectus operatur in aquis, quasi fons vitalis humoris. [28]

sic Christus gratiam suam Sacramentis administrat in Ecclesia.

26) Mt 16, 18. 27) Cf. S. Ambrosius *Hexaem.*, lib. 4, cp. 7, (P. L. 14, 202); Plinius *Hist. Nat.*, lib. 2, cp. 97, pag. 17; Lud. Caelius *Lect. Antiq.*, lib. 26, cp. 18, col. 1455.
28) Et sic incompletum remansit argumentum.

SABBATO POST DOMINICAM PRIMAM QUADRAGESIMAE

Sicut parentes summo amore filios diligunt,

I. Multus procul dubio est parentum in filios amor, quos tanquam idola colunt, quos cupiunt ad sidera usque attollere, magnos divites, nobiles, illustres cupiunt alto honoris et gloriae dignitatisque gradu positos omnique bono affluentes; faciunt quicquid possunt, nervos omnes extendunt ad filios magnificandos,. nullis laboribus parcunt, maxime vero si filii unici sint summeque dilecti. Sed Christus primogenitus est et unigenitus Filius Dei, unica pupilla oculorum Dei, spiritus et anima et cor Patris Aeterni. Mirum igitur non est si Deus quantum potuit Christum honorare omnique honore et gloria super omnes etiam Angelos et Sanctos suos coronare summeque magnificare voluit, uti ostendit hodierna Christi transfiguratio gloriosa: *Transfiguratus est ante eos; et resplenduit facies eius sicut sol, vestimenta autem eius facta sunt alba sicut nix.*[1] Cuius quidem transfigurationis veluti causa redditur, cum ex lucida nube a Patre dicitur: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.*[2]

ita filii summo amore diligere debent parentes.

Sed si ius ipsum naturae naturalisque pietas requirit ut filius parentes et diligat et honoret quantum potest, cum multum parentibus debeat a quibus esse accepit, a quibus procreatus educatusque est summo cum honore, diligentia, cura, labore, profecto, cum Christus optimus extiterit Sanctissimae Virginis Filius ipsaque optima Mater ipsius, ratio ipsa utique persuadet ut credamus ipsum Christum Matrem suam honorasse quantum potuit suumque honorem et gloriam ei communicasse sibique similem eam effecisse, gloria et honore in coelo coronatam tanquam dominam mundi, Reginam Angelorum, unicam filiam Dei et Sponsam Spiritus Sancti.

Christus ergo Matrem suam maxime diligere et honorare debuit.

1) Mt 17, 2. 2) Ibid. vr. 5.

Assumpsit Iesus Petrum et Iacobum et Ioannem fratrem eius et duxit eos in montem excelsum seorsum et transfiguratus est ante eos, etc. [3]

II. Supra sacrosancti huius excelsi montis verticem videre mihi videor hodie paradisi felicitatem et in eo Adam gloria et honore coronatum, [4] uti eum Regius Vates contemplabatur dicens: *Quid est homo quod memor es eius?... Minuisti eum paulo minus ab Angelis, gloria et honore coronasti eum et constituisti eum super opera manuum tuarum; omnia subiecisti sub pedibus eius.* [5] Quem quidem locum Paulus de Christo interpretatur: *Omnia subiecta sunt ei sine dubio praeter eum qui subiecit ei omnia;* [6] et: *Omnia subiecisti sub pedibus eius: in eo enim quod omnia... subiecit, nihil dimisit non subiectum ei.* [7] Et merito de Christo interpretatur, nam ait: *Minuisti eum paulo minus* מֵאֱלֹהִים, *a Deo;* [8] solus autem homo Christus Deo inferior solo est, homo constitutus super omnia opera Dei, super omnes etiam Angelos. Ecce Christus gloria et honore hodie coronatus: *Resplenduit facies eius sicut sol, vestimenta autem eius facta sunt alba sicut nix... Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: ipsum audite.* [9] Constituit Deus hodie Christum regem universi praecipiens ut ei tanquam unigenito Filio suo obediant omnia. Sicut David senex Salomonem instituit regem super universum regnum suum, [10] ita Deus hodie Christum dicens: *Ipsum audite.* Hoc autem simpliciter dicit, quia omnibus dicit.

Christus a Deo constitutus fuit super omnes creaturas,

sicut hodie in eius transfiguratione declaratur a Patre;

Salomon autem factus rex, matrem suam, cuius causa factus fuit rex, valde honoravit; ait enim Divina Scriptura quod mater ipsius Bethsabee venit *ad regem Salomonem ut loqueretur ei..., et surrexit rex in occursum eius adoravitque eam, et sedit super thronum suum positusque est thronus matri regis, quae sedit ad dexteram eius.* [11] Sic Christus Matrem suam honorare, ut par est, voluit; imo sicut Deus lunam soli similem creavit Evamque Adamo simillimam, [12] sic Deus Sanctissimam Virginem Christo quam simillimam et prae-

ideo etiam Matrem Christi voluit illi simillimam in gratia et in gloria.

3) Pericope huius diei Mt 17, 1-9. Sic legitur in Missali Rom. Vulg.: *Assumit... et ducit illos*, etc. 4) Cf. Gn 2, 8-17. 5) Ps 8, 5-8. 6) 1 Cor 15, 27. 7) Hebr 2, 8. 8) Ps 8, 6. 9) Mt 17, 5. 10) Cf. 3 Rg 1, 11-48. 11) Ibid. 2, 19. 12) Cf. Gn 2, 21 sqq.

destinavit ab aeterno et in tempore fecit creando, vocando, iustificando et magnificando sive glorificando, nam: *Quos praescivit et praedestinavit conformes fieri imagini Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. Quos autem praedestinavit, hos et vocavit; quos autem vocavit, illos et iustificavit; quos autem iustificavit, illos et magnificavit.*[13] Similis Maria Christo super omnes alias electas animas in praedestinatione, in vocatione, in iustificatione et in glorificatione.

Maria simillima Christo fuit in praedestinatione,

III. In praedestinatione primo. Sicut enim in mundi huius somatici et corporei creatione Adam fuit primus homo, Eva autem ante omnes alios homines mox formata post Adam ei simillima, ita in formatione mundi pneumatici,[14] spiritualis in mente Dei, in aeterna praedestinatione Christus est primus homo, caput omnium praedestinatorum et electorum Dei. Hinc a Paulo dictus est Christus *primogenitus omnis creaturae: Qui,* inquit, *est imago Dei invisibilis,* ecce Adam, *primogenitus omnis creaturae.*[15] Sic ab aeterno praedestinatus fuit Christus ante omnes alios electos et in Christo et per Christum omnes praedestinati et electi sunt. Sic ait Paulus *Ephesiis: Elegit nos in Christo ante mundi constitutionem, ut essemus sancti et immaculati in conspectu eius in caritate. Qui praedestinavit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipsum.*[16] Hinc item ait quod *quos praescivit... praedestinavit conformes fieri imagini Filii sui,* quasi Christus exemplar ab aeterno fuerit omnium praedestinatorum. Exemplar autem prius necesse est ut sit aedificio, sive quovis artificiato cuius est exemplar. Sed si praedestinatus est Christus, ut Paulus ait: *Qui praedestinatus est Filius Dei in virtute secundum spiritum sanctificationis,*[17] non utique praedestinatus est ut Deus, sed ut homo, nam ut Deus praedestinator est, non praedestinatus. Si autem ut homo, igitur ut filius Mariae. Quare necesse est ut Maria cum Christo praedestinata sit, et si Christus in praedestinatione primum obtinet locum, Maria obtineat secundum. Sic ex la-

quia cum Christus tanquam homo primus sit omnium praedestinatorum,

necesse est ut et Mater eius una cum Ipso praedestinata sit.

13) Rom 8, 29-30. Vulg.: *Conformes fieri imaginis ... et quos vocavit, hos ... illos et glorificavit. Magnificavit* pro *glorificavit* legitur in Nic. Lyrano *Biblia Sacra cum Glossis*, h. l. et in multis codicibus. Cf. Io. De La Haye *Biblia Maxima Versionum*, t. 15, pag. 165; *Biblia Lovaniensis* et Eb. Nestle *Novum Test.*, etc., h. l. 14) Ms.: *Pnephmutici.*
15) Col 1, 15. 16) 1, 4-5. Vulg.: *Elegit nos in ipso*, etc. 17) Rom 1, 4.

tere Adami formatur Eva similis Adamo;[18] Christi gratia praedestinatur Maria talisque praedestinatur ut Christi unigeniti Filii Dei digna esset Mater.

Simillima est in vocatione ad gratiam et in iustificatione,

Similis etiam fuit in v o c a t i o n e. Est autem vocatio divinus tractus liberi arbitrii ad Deum. Christus autem in primo instanti conceptionis suae vocatus fuit, tracto et unito eius libero arbitrio cum Deo indissolubili et inseparabili caritate. Primo etiam instanti conceptionis suae Christus iustificatus et sanctificatus fuit, omni gratia plenus: *Quem Pater sanctificavit et misit in mundum.*[19] Sic et Maria primo suae conceptionis instanti vocata, iustificata, sanctificata fuit, formata ut Eva Adamo similis, absque omni macula peccati, plena omni gratia Spiritus Sancti. Hinc Angelus gratia plenam invenit: *Ave, gratia plena;*[20] *Tota pulcra es, amica mea, et macula non est in te.*[21]

quia sicut Christus in primo instanti conceptionis sanctissimus fuit, sic et Beatissima Virgo;

ideo etiam simillima in gloria.

Sicut igitur Sanctissima Virgo similis fuit Christo in natura semper et in gratia, ita etiam in gloria in coelo, in paradiso: *Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato circumdata varietate.*[22] Hinc sicut Christi facies totumque corpus resplenduit hodie sicut sol, sic et Beatam Virginem legimus *sole amictam: Signum magnum apparuit in coelo: mulier amicta sole et luna sub pedibus eius et in capite eius corona stellarum duodecim.*[23] Solari luce amictus visus est hodie Christus, solari luce et Maria, quoniam similis ipsorum gloria est: *Mulier amicta sole,* idest excellentissima gloria coelestis paradisi donata;

18) Cf. Gn 2, 21-22. 19) Io 10, 36. 20) Lc 1, 28. 21) Ct 4, 7. In *Mariali*, et praesertim undecim sermonibus *In Conceptionem Immaculatam Beatae Mariae Virginis*, nititur S. Auctor privilegium hoc Divinae Matris probare et, uti videtur, eo maiori theologico apparatu quo sub lite tunc erat, semper tamen venerans et expectans supremum Ecclesiae iudicium. In sermone primo ait: « De conceptione aut nativitate Virginis Deiparae nihil penitus Litteris consignatum fuit a Sanctis Evangelistis; hinc lis est apud theologos an Virgo Divina concepta fuerit in originali peccato sicut omnes ceteri filii Adami: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum et in peccato concepit me mater mea*, an ex speciali gratia et privilegio praeservata fuerit ex illa labe... Controversum est dogma ac veluti theologicum problema; non est in Sacris Canonicis Scripturis definitum nec in Sacris Conciliis divina sacrosanctae Ecclesiae auctoritate determinatum est...; liberum est dogma ut quisquis pro suo arbitratu sentiat in hac re quid sibi decentius, rationabilius ac verosimilius visum fuerit, quoniam nec Divinarum Scripturarum nec sacrosanctae Ecclesiae ad litem hanc dirimendam intercedit auctoritas ». Pag. 410-411. — Attamen « propendit... sacrosancta et universalis Ecclesia in hanc sententiam Immaculatae Conceptionis Virginis Matris Dei, quoniam Sacris Litteris conformis et consentanea non minus quam rationi est ». Pag. 414. Quod tamen tempore S. Laurentii discussum erat, nunc dogma fidei est. Cf. Denzinger-Bannwart *Enchiridion Symbolorum*, n. 1641. 22) Ps 44, 10. 23) Apc 12, 1.

in coelo enim hoc sole nil excellentius et illustrius est. Sic Christus et Maria excellentissima gloria paradisi donati sunt; Christus ut Filius Dei, Maria autem ut Mater Dei. O gloria infinita: *Mulier amicta sole! Resplenduit facies eius sicut sol.* Tali tantaque gloria donatus est Christus a Deo, quia unicus Filius Dei: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui;* et Virgo Maria similiter unica filia Dei est: *Quam pulcri sunt gressus tui in calceamentis, filia principis!* [24]

Magnitudo gloriae Mariae mensuratur a magnitudine gratiae et caritatis;

IV. Gloria paradisi datur a Deo iuxta mensuram gratiae et caritatis, sicut merces datur laboratori iuxta mensuram laboris et meritum operis. Hoc docuit Christus in parabola vineae patrisfamilias, *qui exiit primo mane conducere operarios in vineam suam.* [25] Si quis bonis quidem operibus alium excedat, non autem maiori caritate praeditus sit, non utique maiori gloria donabitur. Hinc omnibus operariis data fuit merces aequalis, quia, si non in opere, in voluntate tamen operandi et laborandi omnes fuerunt aequales. [26] Qui autem maiori ac perfectiori gratia et caritate donatus fuerit, maiorem utique gloriam consequetur, sicut docuit Dominus in parabola quinque talentorum et decem minarum. [27] Hinc ait: *In domo Patris mei mansiones multae sunt.* [28] Hinc Paulus dicit quod sicut *stella... differt a stella in claritate,* quod *alia* est *claritas solis, alia claritas lunae et alia claritas stellarum,* [29] sic erit in gloria Sanctorum.

at Beata Virgo gratia plenissima fuit,

At Sanctissima Virgo dicitur *gratia plena: Ave, gratia plena,* per excellentiam gratiosa: *Invenisti enim gratiam coram Domino;* [30] *Benedicta tu in mulieribus,* [31] idest super omnes mulieres. Hoc est quod in *Canticis* legimus: *Sexaginta sunt reginae... octoginta concubinae et adolescentularum non est numerus; una est columba mea,* una est *perfecta mea, una est matri suae, electa genetrici suae. Viderunt eam filiae et beatam dixerunt reginae et concubinae... laudaverunt eam. Quae est ista quae progreditur quasi aurora consurgens, pulcra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata?* [32]

24) Ct 7, 1. 25) Mt 20, 1. 26) Cf. ibid. vrr. 8-15. 27) Cf. ibid. 25, 14-30; Lc 19, 12-26. 28) Io 14, 2. 29) 1 Cor 15, 41. Vulg.: *Stella... a stella differt*, etc. Ordine inverso affert hunc vr. 30) Lc 1, 30. Vulg.: *Apud Deum.* 31) Ibid. vr. 28.
32) 6, 7-9. Ex hebraico. Vulg.: *Matris suae... beatissimam praedicaverunt*, etc.

Advertite artificium Spiritus Sancti in laudem Sanctissimae Virginis. Omnes animae electorum sunt quoad gratiam in triplici differentia : vel enim sunt perfectae in caritate, vel proficiunt tenduntque ad perfectionem caritatis, vel incipiunt proficere in caritate. Haec tria Dominus in parabola seminatoris expressit per fructum centesimum, sexagesimum et trigesimum, innuens corda fidelium bona, meliora et optima :[33] *Qui in corde bono et optimo audientes verbum retinent et fructum afferunt in patientia.*[34] Hoc triplex animarum electarum genus expressit Spiritus Sanctus per *reginas, concubinas* et *adolescentulas.* Tunc enim apud reges reginae primum tenebant locum, concubinae vero secundum, sed adolescentulae nondum cognitae, sed destinatae ad torum regis, tenebant tertium locum in dignitate, ex quarum numero Esther ab Assuero constituta fuit regina tanquam omnium pulcherrima et gratiosissima.[35] Sed, inquit : *Una est columba mea,* una est *perfecta mea,* sicut Salomoni inter innumeras reginas, concubinas et adolescentulas una omnium gratissima fuit filia Pharaonis ;[36] *una est* in matrem electa, in genitricem. et quidem super omnes electos,

Hanc unicam phoenicem[37] omnes electae animae summis laudibus celebrant : *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes ;*[38] *Viderunt eam filiae,* idest contemplatae et admiratae sunt, *et reginae beatam dixerunt et concubinae laudaverunt eam,* magno utique encomio : *Quae est ista, quae progreditur quasi aurora consurgens,* sive lucifer, *pulcra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata ?* Quid significant tria haec luminum hieroglyphica : lucifer, luna et sol ? Sunt tria peccata, quae animam nostram commaculant : originale, mortale et veniale.[39] Beatissima Virgo fuit immunis ab omni peccato ; hinc dicitur *columba mea, immaculata mea : Tota pulcra es, amica mea, et macula non est in te.* quia inter omnes ab omni prorsus peccato praeservata;

Immunis a peccato originali, hinc dicitur *aurora,* sive lucifer, stella, quae nunquam passa est tenebras et nunquam eclipsari ullo modo potest neque per interpositionem terrae, uti eclipsatur luna, neque per interpositionem alterius astri, sicut ceterae stellae eclipsari possunt, quoniam inter ipsam et solem nullum est intermedium astrum ; immunis enim fuit a peccato originali, ideo comparatur aurorae,

33) Cf. Mt 13, 3-8. 34) Lc 8, 15. 35) Cf. Est 2, 15-18. 36) Cf. 3 Rg 3, 1; 7, 8; 2 Par 8, 11. 37) Phoenix proverbialiter aliquod rarum significat. Cf. P. Mannuccius *Adagia,* col. 949. 38) Lc 1, 48. 39) Ms.: *Actuale* loco: *Veniale.*

ipsa est soli proxima et sicut lucida creata fuit a Deo, ita semper mansit. Sic Beatissima Virgo, quia nunquam passa tenebras fuit nec peccati quidem originalis, dicitur *lucifer*. Hinc in *Psalmo 110 aurora* dicitur Beatissima Virgo: *Ex utero ante luciferum genui te; De matrice ex aurora tibi ros generationis*, sive *nativitatis tuae*.[39a]

Immunis a peccato mortali et veniali, ideo comparatur etiam lunae et soli.

Ob gratiam igitur qua praeservata fuit ab originali peccato dicitur *aurora*, ob gratiam vero qua praeservata fuit a mortali dicitur *luna plena*. Verum, ne putaremus veniale aliquod aliquando admisisse, sicut in luna plena nonnullas maculas videmus, tandem dicitur *electa ut sol*, in quo nulla penitus macula est.

hinc plenissima etiam gloria.

Sic fuit Beatissima Virgo plena gratia super omnes animas electas, sicut sol plenus luce super omnes stellas. Maximae autem huic plenitudini gratiae necesse est ut maxima respondeat gloriae plenitudo, hinc *mulier amicta sole*.

Plenitudo gratiae Mariae incomprehensibilis est,

V. Necesse esset intelligere plenitudinem gratiae Mariae, quomodo ipsa montem hunc excelsum conscendit cum tribus hisce optimis Christi sequacibus Petro, Iacobo et Ioanne, voluntate, memoria et intellectu, concupiscibili, irascibili et rationali, per fidem, spem et caritatem, per exercitia vitae activae, contemplativae et mixtae, si quis intelligere vellet plenitudinem gloriae ipsius; qualis fuerit fides Mariae: *Beata quae credidisti;*[40] qualis eius spes: *Exultavit spiritus meus in Deo salutari meo;*[41] qualis eius caritas, qualis humilitas, qualis puritas conscientiae, qualis denique omnis virtus mentis ipsius: *Ave, gratia plena*, plena caritate, in qua consistit omne meritum gloriae, sine qua nihil penitus valent ceterae omnes aliae virtutes: Si *caritatem... non habuero, nihil sum... nihil mihi prodest.*[42] Caritati autem proprium et principale, imo primum munus est Deum ex toto corde diligere.[43] Maria igitur plena gratia, plena caritate, plena dilectione divina; quamvis etiam plenissima fuerit caritate erga proximum, ut ostendit in visitatione Elisabeth[44] et in nuptiis, cum, deficiente vino, accessit ad Christum dicens: *Vinum non habent;*[45] sed super omnia plena fuit divina dilectione.

quia plena fuit omnibus virtutibus, praesertim caritate erga Deum.

39a) Ps 110 hebr., Vulg. 109, 3. 40) Lc 1, 45. 41) Ibid. vr. 47. 42) 1 Cor 13, 2-3. 43) Cf. Mt 22, 36-38; Mc 12, 29-30. 44) Cf. Lc 1, 39-56. 45) Io 2, 3.

Potest quippiam tripliciter amari: primo quidem, rationali amore, quo res aliqua in magno pretio habetur, plurimi fit, sicut vir nobilis diligit honorem, dives aurum bonaque sua; secundo, amore singularis affectionis affectuque nimium intenso et ferventi, ut est amor parentum erga filios amorque sponsorum, cum in primo est flore; tertio, amore sensuali appetitus quo delectabilia quaeque sensuum oblectamenta diligimus.

Tripliciter aliquid amari potest: amore rationali, affectivo et sensuali.

Et sancti quidem electique omnes, iusti et probi viri caritate praediti necesse est ut Deum primo diligant amore, Deum super omnia aestimantes et in pretio habentes. Hinc Abraham propter Deum nil veritus fuit proprium filium unicum et dilectissimum propriis occidere manibus;[46] hinc Apostoli et Martyres vitam etiam propriam propter Deum prodegerunt. Primus igitur amor necessarius est ad salutem et sine eo nemo salvari potest. Secundus vero non necessitatis est, sed perfectionis: *Gustate et videte quoniam suavis est Dominus;*[47] hoc praediti sancti viri divinae contemplationi sunt totaliter dediti Deumque ferventissime et intensissime diligunt. Tertio autem amore vel nullus Sanctorum dilexit Deum, quoniam non est Deus obiectum sensibile, nisi Apostoli et carissimi Christi discipuli, qui Christum Deum hominem factum hoc etiam amore diligere potuerunt, sensibili et naturali amore, sicut diligitur amicus gratiosissimus, qui omnes ad sui trahit cogitque amorem.

Amor rationalis erga Deum necessarius est ad salutem; amor affectivus non necessitatis est, sed perfectionis; amor sensualis solis qui Christum viderunt concessus fuit, quia Deus obiectum sensibile non est.

Sanctissimae autem Virgini datum est specialissimum hoc ac singularissimum privilegium, ut non solum primo et secundo amore Deum perfectissime dilexerit, sed etiam tertio intensissimo et ardentissimo, quo mater dulcissimi et amantissimi cordis viscerumque tenerrimorum diligit unicum filium, pulcherrimum, gratiosissimum, omni virtute praeditum, matri obedientissimum eiusque amantissimum et summe beneficum. Hoc ineffabili amore Virgo Sanctissima Deum dilexit, quoniam Deus factus est verus ipsius filius. Quis igitur dicere unquam poterit qualis quantaque fuerit caritas Mariae? eius in Deum amor? *Ave gratia plena.*

Sanctissima Virgo autem triplici hoc amore Deum ineffabiliter dilexit, quia eius vera Mater.

Summae caritati summa debetur gloria. Maria summa caritate quae omnem tum hominum tum Angelorum caritatem excessit, di-

Atqui si caritas Mariae immensa fuit, ergo et gloria.

46) Cf. Gn 22, 1 sqq. 47) Ps 33, 9.

lexit Christum verum Deum hominemque filium eius; igitur summa ipsius gloria in coelo est super omnem gloriam tum hominum tum Angelorum: *Resplenduit facies eius sicut sol; Mulier amicta sole.*

Gloria Beatae Virginis omnem paradisum illuminat.

Hinc ait quod *luna sub pedibus eius et in capite eius corona stellarum duodecim.* Per lunam intelligitur hierarchia ecclesiastica, Ecclesia enim veluti luna est soli iustitiae[48] Christo comparata; corona autem stellarum duodecim significat universam angelicam hierarchiam, Angeli enim in coelo sunt astra coelestia ac veluti duodecim signa zodiaci. Sunt autem omnes Angeli in coelo vel assistentes vel ministrantes: *Millia millium ministrabant ei et decies millies centena millia assistebant ei.*[49] Utraque autem pars perfecta in gloria est; hinc duae hae Angelorum acies designatae sunt per duos Seraphim apud Isaiam, quorum uterque sex alas habebat.[50] Est autem numerus senarius primus perfectorum:[51] ecce numerus duodenarius stellarum facientium coronam Beatae Virgini, idest honorantium eam tanquam reginam et dominam, imo tum luna sub pedibus tum stellae in capite a Beata Virgine omnem suam gloriam hauriunt, sicut astra omnia a sole omne lumen. Hinc dicitur *amicta sole,* nam a Christo nato ex Maria Virgine glorificantur omnes Angeli et Sancti in coelo.

Ideo omnem Angelorum et Sanctorum splendorem superat.

O igitur gloria Sanctissimae Virginis infinita! *Resplenduit facies eius sicut sol.* Et omnes iusti fulgebunt in paradiso sicut sol, nam Christus ait: *Tunc iusti fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum.*[52] Quid igitur credendum est de gloria Sanctissimae Virginis, si uniuscuiusque iusti gloria erit splendidissima sicut sol? Sed tunc *erit lux lunae sicut lux solis, sed lux solis... septempliciter sicut lux septem dierum.*[53] Omnis sol gloriae iustorum Beatae Virgini comparatus erit luna. Angelus quilibet, si videri in sua gloria posset, multo utique splendidior sole appareret, multo enim nobilior est Angeli quam solis natura, et empyreum ipsum multo lucidius sole est; sed Angeli in empyreo illo lucidissimo tanto splendore gloriae sunt praediti, ut sint sicut stellae sole multo lucidiores in coelo illo. Sed Angeli quoque Beatae Virgini comparati nonnisi stellae sunt respectu solis: *Resplenduit... sicut sol.*

48) Cf. Mal 4, 2. 49) Dn 7, 10. 50) Cf. 6, 2. 51) De hoc cf. Lud. Caelius *Lect. Antiq.*, lib. 22, cp. 11, col. 1239-1240. 52) Mt 13, 43. 53) Is 30, 26. Vulg.: *Et lux solis,* etc.

VI. Sed cur putatis, fratres, tanta a Christo gloria donatam esse Beatam Virginem? Num quia carne eum concepit et peperit? Christus dixit ei: *Quid mihi et tibi est, mulier?* [54] in nuptiis, cum petiit miraculum vini, quoniam operari miracula non humanitatis, sed divinitatis est munus. Christus autem non secundum divinitatem, sed secundum humanitatem filius est Virginis, ita dare gloriam divinitatis est opus. Hinc mulieri dicenti: *Beatus venter qui te portavit,* respondit: *Quinimo beati qui audiunt verbum Dei et custodiunt illud.* [55] Similiter cuidam dicenti Christo: *Ecce mater tua et fratres tui foris stant quaerentes te,* dixit: *Quae est mater mea et qui sunt fratres mei?... Quicunque... fecerit voluntatem Patris mei, qui in coelis est, ipse meus frater et soror et mater est.* [56] Ob id ergo tali tantaque gloria donata est Sanctissima Virgo Maria, quia voluntatem Dei fecit, quia verbum Dei audivit et custodivit illud, quia summa caritate et gratia praedita fuit. Quod si peccasset et poenitentiam non egisset, ipsa quoque damnata fuisset; sic Deus peccati inimicus est!

Tanta gloria Beata Virgo coronata fuit, quia voluntatem Dei fecit et gratiam quam accepit fideliter custodivit.

Scitis, fratres, quid Sanctissima Virgo egit ut talem tantamque gloriam consequi mereretur? Montem hunc excelsum conscendit, imo id quod ait: [57] *Assumpsit Iesus Petrum et Iacobum et Ioannem... et duxit eos in montem excelsum seorsum.* Nos quidem ex nobis operari nil possumus: *Sine me nihil potestis facere;* [58] *Non sumus sufficientes cogitare aliquid a nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est;* [59] *Deus est qui operatur omnia in omnibus;* [60] *Omnia... opera nostra in nobis operatus es,* [61] Domine. Id nobis agendum est: ne gratiae Dei resistamus, ne obicem ponamus: *Contemplantes ne quis desit gratiae Dei.* [62]

Id nobis quoque agendum est,

Assumpsit Iesus Petrum et Iacobum et Ioannem. Sunt in anima nostra, praeter quinque sensus externos et quattuor internos, tres animae principes potentiae: voluntas, memoria et intellectus; voluntas qua diligimus bona, memoria qua reminiscimur praeteritorum, intellectus quo intelligimus et cognoscimus verum. Hi sunt tres isti discipuli: Petrus princeps Apostolorum, voluntas regina animae;

idest voluntate Deum amare, memoria beneficiorum eius recordari,

54) Io 2, 4. 55) Lc 11, 27-28. 56) Mt 12, 47 sqq. 57) Idest: Imo ducta fuit a Deo per voluntatem, memoriam et intellectum, sicut supra dicitur, pag. 438, et infra subiungitur. 58) Io 15, 5. 59) 2 Cor 3, 5. Vulg.: *Non quod sufficientes simus cogitare, etc.* 60) 1 Cor 12, 6. 61) Is 26, 12. Vulg.: *Operatus es nobis.* 62) Hebr 12, 15.

intellectu illum cognoscere et novissima nostra, passionem et gloriam Christi meditari.

Iacobus calcaneum,[63] posterior pars corporis, memoria qua reminiscimur praeteritorum; intellectus quo verum intelligimus et cognoscimus; Ioannes adeo deditus cognitioni et contemplationi veritatis. Has tres potentias assumit secum Iesus[64] et ducit *in montem excelsum*. Excelsus mons Deus est. Hoc est quod vult Christus: ut Deum amemus, Dei beneficiorum et donorum recordemur, Deum cognoscamus. Hos tres discipulos specialiter duxit secum Christus ad suscitationem filiae archisynagogi,[65] ad ostendendam eis gloriam transfigurationis suae et ad orationem in horto, ante passionem suam.[66] Haec vult Deus: ut meditemur novissima nostra, passionem Christi, gloriam Christi. Sic semper Sanctissima Virgo egit.

Nos autem suggestione diaboli contrarium facimus: temporalia diligimus, horum tantum recordamur, haec solum cognoscere quaerimus,

Sed diabolus quoque quaerit potentias has sumere, non tamen ut sursum *in montem excelsum*, sed ut deorsum ducat ad amanda temporalia, ut horum tantum recordemur, ut haec tantum optime cognoscere satagamus. O fratres, dicite: nos cui magis potentias has animae nostrae tribuimus: Deo an diabolo? Quid magis satagimus: coelestia, divina, an terrena, mundana amare, meditari, cognoscere? Ah! fratres, opera nostra ostendunt manifesta vitia et peccata nostra, clare manifesteque demonstrant quisnam Petrum hunc voluntatis nostrae, Iacobum memoriae et Ioannem intellectus assumpserit. Heu nos miseros! Et non ingemiscimus? et non lugemus? Qui in peccatis vivit, sine Deo est. O fratres mei, Michas plangebat et lamentabatur quoniam viri Dan furati fuerant ei deos suos argenteos; unde interrogatus: *Quid tibi vis? Quid clamas?... Respondit: Deos meos... tulistis... et dicitis: Quid tibi est?*[67] Nobis autem diabolus daemonesque furati sunt non idola, sed vivum verumque Deum per peccatum; Deum tanquam benignissimum patrem, clementissimum dominum ac regem, summum benefactorem, magistrum, amicum omneque bonum nostrum amittimus cum peccamus, cum diabolus has potentias sumit deorsumque ducit ad concupiscentias carnis et vitia eius, ad luxurias, ad gulas, ad avaritias, ad superbias et ambitiones, ad quodvis vitium et peccatum.

et sic Deum et omne verum bonum amittimus.

63) Sic enim latine Iacob interpretatur. 64) Ms.: *Secum* repetitur. 65) Cf. Mc 5, 37 sqq.; Lc 8, 51. 66) Cf. Mt 26, 37; Mc 14, 33. 67) Idc 18, 23-24.

II. ALIA HOMILIA

Transfiguratus est ante eos; et resplenduit facies eius sicut sol, vestimenta autem eius facta sunt alba sicut nix. [1]

I. Gloriam hic non tantum Christi, sed etiam vestimentorum eius cernimus. Vestis autem Christi Ecclesiae hieroglyphica figura est, nam apud Isaiam legimus: *Omnes isti congregati sunt, venerunt tibi. Vivo ego, dicit Dominus, quia omnibus his veluti ornamento vestieris et circumdabis tibi... sicut sponsa.* [2] Legimus etiam quod, cum Saul scidisset pallium Samuelis, ait Samuel quod sic Dominus scissurus erat regnum ipsius; [3] Ahias etiam silonites pallium suum scidit in partes ad designandum quod regnum Israel dividendum erat. [4] Vestis ergo Christi significat Ecclesiam, quae regnum est Christi. Videmus igitur gloriam Christi et gloriam Ecclesiae in vestibus Christi. Symbolo autem candoris nivalis aut lucis, designatur futura gloria et felicitas, quoniam summa erit, qua maior nec excogitari quidem potest.

Vestis Christi hieroglyphicum Ecclesiae est, gloria autem vestimentorum figura est gloriae et felicitatis coelestis.

II. Multis sacris imaginibus designatur nobis gloria paradisi in Divinis Litteris. Eam Christus appellat nunc *vitam aeternam,* [5] nunc *regnum coelorum,* [6] nunc *thesaurum absconditum,* [7] nunc *regale convivium* in nuptiis filii factum, [8] nunc *exaltationem: Qui se humiliat exaltabitur,* [9] nunc *consolationem: Hic consolatur* [10] in sinu Abraham, nunc *beatitudinem* in suis macarismis: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum coelorum... ipsi possidebunt terram... ipsi consolabuntur... ipsi misericordiam consequentur... ipsi saturabuntur... Deum videbunt... filii Dei vocabuntur... Merces vestra magna est in coelis;* [11] *Habebis thesaurum* magnum *in coelo,* [12] et mille aliis sacris symbolis. Hodie vero lucis hieroglyphico, quoniam lux imago est totius bonitatis.

Multis imaginibus designatur in Sacris Litteris gloria paradisi, hodie vero lucis hieroglyphico.

1) Mt 17, 2. 2) 49, 18. Vulg.: *Quasi sponsa.* 3) Cf. 1 Rg 15, 27-28. 4) Cf. 3 Rg 11, 29-31. 5) Mt 25, 46; Io 3, 15-16. 36; 4, 14. 36; 6, 27. 55. 6) Cf. Mt 5, 3. 10. 20; 7, 21; 8, 11. 7) Cf. Mt 13, 44. 8) Cf. ibid. 22, 2. 9) Cf. ibid. 23, 12; Lc 14, 11; 18, 14. 10) Cf. Lc 16, 22-25. 11) Mt 5, 3-12. Vulg.: *Ipsi saturabuntur... misericordiam consequentur... copiosa est in coelis.* 12) Ibid. 19, 21.

Lux Christi splendidior fuit luce Moysi, quia Christus gratiam et gloriam dedit, Moyses vero solam legem.

Resplenduit facies eius . . . sicut sol, vestimenta autem eius . . . sicut lux. [13] Resplenduit et facies Moysi, [14] sed non communicavit splendorem suum vestibus; Moyses enim princeps synagogae legem quidem dare potuit, sed non gratiam aut gloriam ipsi synagogae. At Christus fons est tum gratiae tum gloriae: *Lex per Moysen data est, gratia et veritas per Iesum Christum facta est,* [15] sicut ipse *Verbum caro factum est . . . plenum gratiae et veritatis . . . et de plenitudine eius nos omnes accepimus . . . gratiam pro gratia.* [16]

Divus Ioannes gloriam paradisi descripsit sub imagine splendidissimae civitatis,

Divus Ioannes in *Apocalypsi* describens gloriam paradisi ait se vidisse *civitatem sanctam Ierusalem . . . habentem claritatem Dei,* [17] idest gloriam insignem ac maximam, quoniam ait civitatem totam esse ex auro mundo, [18] idest optimo, fundamenta autem et porta ex lapidibus pretiosis, *et lumen,* inquit, *eius,* sive, ut graece est, φωστὴρ, [19] *luminare eius simile lapidi pretioso tanquam lapidi iaspidis simile crystallo.* [20] Luminare coelestis Ierusalem Christus est, sic enim ipse ait quod civitas *non eget sole aut luna . . . nam claritas Dei illuminavit eam* et *lucerna eius est Agnus,* [21] sicut etiam Isaias ait: *Erit tibi Dominus in lucem sempiternam et Deus tuus in gloriam tuam.* [22] Sed quale erit hoc *lumen,* sive *luminare? Simile,* inquit, *lapidi pretioso,* sive, ut graece est, *pretiosissimo.* [23] Lux autem lapidis pretiosissimi oculis gratissima ac iucundissima est, quae nihil eos laedit, sicut lux solis; clarissima item lux erit tanquam lapidis iaspidis crystallini, nam crystallum purissimum est ac maxime pellucidum, sed iaspidis fulgorem non habet nec tam gratam iucunditatem. Sic lux emanans a facie Christi iucundissima erit. Nil laesi fuerunt oculi Petri videntes faciem Christi instar solis fulgentem, sed iucundissime recreati, unde ait: *Domine, bonum est nos hic esse.* [24] Sicut autem non desiderant oculi maiorem lucem solari, sic nec animus ibi maiorem poterit desiderare felicitatem: *Domine, bonum est nos hic esse.*

in qua Christus omnem lucem iucundissimam oculis diffundit

De superna etiam illa civitate ait Ioannes quod longitudo et latitudo et altitudo eius aequalia sunt. [25] Longitudo huius civitatis

13) *Sicut lux* legitur in textu graeco: Ὡς τό φῶς. 14) Cf. Ex 34, 29; 2 Cor 3, 7. 15) Io 1, 17. 16) Ibid. vrr. 14-16. 17) Apc 21, 10-11. 18) Cf. ibid. vrr. 19-21. 19) Ms.: *Phostir.* 20) Apc 21, 11. Vulg.: *Sicut crystallum.* 21) Ibid. vr. 23. Vulg.: *Neque luna,* etc. 22) 60, 19. 23) Textus graecus: Τιμιωτάτῳ. 24) Mt 17, 4. 25) Cf. Apc 21, 16.

aeternitas est ; latitudo aequalis longitudini : infinita bonorum copia, infinita gloriae magnitudo ; altitudo autem ipsa pariter longitudini et latitudini aequalis : consolatio et gaudium infinitum, omne implens cordis nostri desiderium.

et omni gaudio et felicitate Beatos replet.

III. *Duxit eos in montem excelsum seorsum.* In altum Christus ducit discipulos, quoniam in coelo sita est nostra patria, quod etiam ethnicis philosophis perspectum fuit ; nam Anaxagoras, referente Laertio, cum argueretur quod nulla ei patriae cura esset ob studium philosophiae, respondit : « Mihi vero patriae cura et quidem summa est, digitum in coelum intendens ».[26] Quod si inferior haec coeli pars tam spectabilis est, ut idem philosophus interrogatus cuius rei causa natus esset, respondit : « Inspiciendi coeli, solis, et lunae »[27] causa, qualis censenda est aula coelestis, in qua summus rex Deus cum omnibus Angelis habitat ? Magnitudo excogitari non potest ; quanto enim visibile coelum terra maius est, tanto invisibile empyreum hoc coelo visibili. Imo, quid dico? Tres locos praeparavit Deus pro homine : primum parvum pro spatio novem mensium in utero matris, secundum magnum pro spatio temporalis vitae multorum annorum in hoc mundo, tertium maximum in coelo pro aeternitate et saeculis infinitis. Quo secundus locus maior est primo, eo tertius maior est secundo. Bone Deus ! *Quam magna est domus Domini et ingens locus habitationis eius ! Magnus est et non habet finem !*[28]

Immensitas et pulcritudo coelestis patriae describi nequit.

IV. De felicitate coelestis patriae verba faciens Divinus Vates Isaias sic ait : *Oblivioni traditae sunt angustiae priores . . . quia absconditae sunt ab oculis meis. Ecce enim ego creo coelos novos et terram novam et non erunt in memoria priora et non ascendent super cor, sed gaudebitis et exultabitis usque in sempiternum in his quae ego creo, quia ecce ego creo* in *Ierusalem exultationem et populum eius gaudium et exultabo in Ierusalem et gaudebo in populo meo et non audietur ultra in eo vox fletus et vox clamoris. Non erit ibi amplius infans dierum et senex, qui non impleat dies suos, quoniam puer centum*

De hac ineffabili felicitate Isaias loquens dicit eam consistere in absentia cuiusvis mali

26) *De Vita et Moribus Philosophorum*, lib. 2, *Anaxagoras*, pag. 62. 27) Ibid. pag. 63.
28) Bar 3, 24-25. Vulg.: *Domus Dei . . . locus possessionis*, etc.

annorum morietur et peccator centum annorum maledicetur.[29] Felicitas inquit, cum ex omnium consensu in eo consistat ut nullum homo patiatur malum, sed omni perfruatur bono, primo ibi quidem nullum erit malum, nam omnes angustiae priores, omnia mala praesentis vitae oblivioni traditae erunt, sicut patet in Ioseph[30] et in Domino nostro Iesu Christo, qui passionum suarum oblitus dixit discipulis euntibus in Emmaus: Quae? quaenam facta sunt in Ierusalem his diebus?[31] Hinc ait quod non erit ibi *vox fletus et vox clamoris*, nam, ut Ioannes ait: *Absterget Deus omnem lacrimam ab oculis* Sanctorum *et mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, sed nec ullus dolor, quoniam priora transierunt;*[32] *Non esurient neque sitient amplius;*[33] postea vero: *Creo*, inquit, *Ierusalem exultationem et populum* meum *gaudium... exultabitis usque in sempiternum.* Erit enim Beatorum vita adeo longaeva, ut si, inquit, mors in beatam patriam posset intrare et aliquis ibi centum annos natus moreretur, diceretur utique quod puer mortuus esset, sicut in prioribus saeculis, cum homines viverent nongentos ac prope mille annos.[34] Et si quis centenarius moreretur, malediceretur utique tanquam peccator. Hac ratione Divinus Vates vitae aeternitatem in patria describit.

et in fruitione aeterni gaudii et exultationis.

III. ALIA HOMILIA

Assumpsit Iesus Petrum et Iacobum et Ioannem fratrem eius et duxit illos in montem excelsum seorsum, etc.[1]

In hac gloriosa transfiguratione ostenditur Christi divinitas

I. In Sacrosancto hodierno Evangelio septem sunt in summa quae proponuntur nobis: primum iter et conscensus Christi cum tribus Apostolis in montem excelsum; secundum transfiguratio Christi; tertium apparitio Moysi et Eliae; quartum desiderium Petri: *Domine, bonum est nos hic esse;*[2] quintum apparitio et praesentia

29) 65, 16-20. Vulg.: *Non audietur in eo ultra... centum annorum maledictus erit.*
30) Cf. Gn 37, 1-41, 1 sqq. 31) Cf. Lc 24, 18-19. 32) Apc 21, 4. Vulg.: *Neque dolor erit ultra, quia prima abierunt.* Adducit ex Breviario Rom. Com. Plurimorum Mm., respons. 1 lect. 33) Ibid. 7, 16. 34) Cf. Gn 5, 1 sqq.

1) Mt 17, 1. Cf. supra, not. 3 primae hom. huius diei, pag. 433. 2) Mt 17, 4.

divinae maiestatis in nube lucida; sextum quod tremenda valde est divina maiestas: *Audientes discipuli ceciderunt in faciem suam et timuerunt valde;*[3] septimum tandem consolatio et instructio discipulorum: *Surgite et nolite timere.*[4] *Et descendentibus illis... praecepit...: Nemini dixeritis visionem* hanc, *donec Filius hominis a mortuis resurgat,*[5] subindicans quod visionis huius gloria imago quaedam fuit gloriae futurae resurrectionis. Quare praecipuum ac principale mysterium hodierni Evangelii est gloria Christi, ad declarandam ac manifestandam veritatem divinitatis ipsius atque ad confirmandam in Apostolis deitatis Christi fidem. Sic enim coelitus hodie Salvator unigenitus Dei Filius declaratur ostenditurque rex gloriae.

et imago quaedam gloriae futurae resurrectionis.

Ostenditur nobis imago quaedam paradisi in hodierno Evangelio, cuius gloria donandi sunt omnes Christi fideles evangelicae legis veri observatores: *Ipsum audite,*[6] nam haec sola verum est dignumque praemium et corona virtutis. Praemii autem magnitudo vim habet et magnam ad movendum animum; timor damni et spes lucri calcaria sunt acutissima. Vidit Ioannes in *Apocalypsi* Christum super equum album equitantem, quem sequebantur omnes coeli exercitus.[7] Equus albus Ecclesia est ob candorem fidei et innocentiam ac sanctitatem vitae. Equitat hodie Christus super hunc equum atque acutis hisce calcaribus incitat ad currendum: *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum.*[8] Ut igitur praemii magnitudine Christus nos moveat, propalat hodie spectaculum gloriae paradisi, ostendit coronam ut bene certemus, bravium ut curramus, mercedem ut laboremus; ostenduntur nobis fructus terrae promissionis, ut eius desiderio capiamur.[9] Botrus uvae Christus est, magnus utique, a duobus hominibus portatur, Moyse et Elia, sicque Apostolis spectandus proponitur.

ut visio maximi huius praemii moveat animum ad fidelem evangelicae legis observationem.

II. Sed, quaeso, contemplemur hodie divinum hoc spectaculum gloriae paradisi. *Resplenduit facies eius sicut sol, vestimenta autem eius facta sunt alba sicut nix. Et ecce apparuerunt,* etc.[10] De gloria hac, quae in virtutis praemium statuta a Deo est, quattuor praecipue demon-

Quattuor demonstrantur hodie de hac gloria:

3) Ibid. vr. 6. 4) Ibid. vr. 7. 5) Ibid. vr. 9. 6) Ibid. vr. 5.
7) Cf. 19, 11-15. 8) Ps 118, 32. 9) Cf. Nm 13, 22-28. 10) Mt 17, 2-3.

auctor gloriae paradisi, Christus Deus et homo;

strantur in hodierno Evangelio: primum est auctor, Christus Deus et homo, qui proponitur exemplar gloriae; secundum est essentia ipsius gloriae: *Domine, bonum est nos hic esse;* tertium est locus: *Duxit eos in montem excelsum . . . et ecce nubes lucida obumbravit eos;* [11] quartum est tempus: *Post dies sex,* [12] septimo ergo die, cui in Divinis Litteris non assignatur vespera, [13] non enim dicitur de sabbato sicut de aliis diebus: *Factum est vespere et mane dies* [14] septimus, sed sine fine relinquitur veluti perpetuus dies divinae quietis a Deo benedictus et in perpetuum sanctificatus.

essentia figuratur sub lucis symbolo, quae in mundo fons est omnis bonitatis,

Proponitur nobis gloria paradisi sub lucis symbolo, nam lux est bonitatis imago: *Vidit Deus lucem quod esset bona,* [15] imo quod lux in mundo veluti fons et thesaurus est omnis bonitatis. Quid esset mundus sine luce? Quid boni nasceretur aut reperiretur in mundo? Ecce lux: *Domine, bonum est nos hic esse,* bonum absolutum absque ullo malo, lux solaris sine omni macula. Haec est vera felicitas et vera gloria: *Bonum est nos hic esse. Dicite iusto quoniam bene,* ait Deus per Isaiam, [16] sive *quoniam bonum:* אִמְרוּ צַדִּיק כִּי־טוֹב, [17] *quoniam bonum,* idest omne bonum consequetur, longe ab omni malo: *Ego ostendam tibi omne bonum.* [18] Bonum est vita, bonum sanitas, bonum integritas, bonum pulcritudo, bonum divitiae, bonum honores, bonum deliciae, bonum scientia, bonum virtus: *Ostendam tibi omne bonum.* Sic Petrus ait: *Domine, bonum est nos hic esse.*

sed lucis solaris, ut ostendatur plenitudo perfecta huius gloriae;

Non qualicunque luce designatur gloria paradisi, sed solari qua maiorem nec excogitare quidem possumus. Sic a Christo descripta fuit per convivium regale in nuptiis unici filii, [19] sic a Ioanne in *Apocalypsi* per civitatem maximam duodecim millium stadiorum, cuius omnes muri et omnia aedificia erant ex auro et pretiosis gemmis. [20] Quis gloriosorem civitatem excogitare potest?

locus coelum est, quod figuratur per montem,

Lux est solaris gloria paradisi, locus est mons excelsus, nubes lucida coelum empyreum super omnes coelos. Sic Ioannes supra montem magnum et altum vidit coelestem civitatem Ierusalem, [21] supra montem magnum stantem cum omnibus Angelis et Sanctis suis. [22]

11) Ibid. vr. 5. 12) Ibid. vr. 1. 13) Cf. Gn 2, 1-3. 14) Ibid. 1, 5. 8. 13. 19. 23. 31. 15) Ibid. vr. 4. 16) 3, 10. 17) Ms.: *Imru hezadik chi thob.* 18) Ex 33, 19. Vulg.: *Ostendam omne bonum tibi.* 19) Cf. Mt 22, 2. 20) Cf. 21, 16-21. 21) Cf. Ibid. vr. 10. 22) Cf. Ibid. 14, 1.

Felicitas vera non reperitur in terra, sed in coelo, non in mundo, sed in Deo; ipse enim thesaurus est verae felicitatis, sicut sol thesaurus est lucis et perpetuae lucis, ubi enim sol est, ibi perpetua lux, perpetuus dies. Hoc est quod ait: *Post dies sex*, post tempus praesentis saeculi, post temporalem hanc vitam, in die sabbati qui non habet finem, vita erit sed aeterna, sanitas sed aeterna, felicitas sed aeterna, lux solaris summa et perpetua: *Ibunt... iusti... in vitam aeternam;* [23] *Percipietis immarcescibilem gloriae coronam.* [24]

ut ostendatur veram gloriam non in terra sed in coelo reperiri;

tempus vita futura est sub figura septimi diei designata.

III. *Resplenduit facies eius sicut sol.* Non est sol corruptibilis substantia, sed perpetua; sic erit omnis beatus: *Resplenduit facies eius sicut sol.* Lux est naturalis proprietas solis. Totus homo erit veluti sol, omnes eius naturales proprietates erunt perpetuae. Naturalis proprietas corporis est vita, sensus, sanitas: haec erit perpetua lux solaris. Naturalis proprietas animae quoad intellectum est cognitio, scientia, quae est eius perfectio: haec erit lux solaris perpetua, maxima, perfectissima; naturalis proprietas voluntatis amor, consolatio, caritas, virtus, quae est eius perfectio: haec erit lux solaris.

In vita aeterna omnis beatus in potentiis animae et in proprietatibus corporis perfectissimus erit.

Et ecce apparuerunt illis Moyses et Elias cum eo loquentes, [25] *visi in maiestate,* inquit L u c a s. [26] En mathematica demonstratio humanae glorificationis vitae et gloriae sempiternae in Moyse et Elia, qui homines fuerunt similes nobis mortales, nunc autem videntur immortalitate et coelesti gloria donati ac divinitus circumdati: *Visi in maiestate.* In Elia autem et Moyse designatur non tantum lex et Prophetae, quae testificantur Christi gloriam, sed etiam misericordia et iustitia, quibus motus Christus his quidem dabit gloriam suam, his autem negabit, ut hinc quidem speremus, hinc vero timeamus. Haec enim sunt calcaria quibus incitatur equus ad cursum; nam Deus hodie non tantum placidus ostenditur in nube lucida, sed etiam terribilis in voce, quam audientes *discipuli ceciderunt in faciem suam et timuerunt valde.* Quare his calcaribus spei et timoris pungit hodie Christus equum suum, fidelem populum: *Assumpsit... Petrum et Iacobum et Ioannem... et duxit eos in montem excelsum.*

In Moyse et Elia demonstratur glorificatio humanae vitae in futura resurrectione,

designatur etiam misericordia qua Christus iustos ad gloriam vocabit, et iustitia qua reprobos ad poenam damnabit.

23) Mt 25, 46. 24) 1 Petr 5, 4. 25) Mt 17, 3. 26) 9, 31.

Ostenditur hodie Christus fons verae felicitatis,

IV. Ostenditur hodie Christus fons verae felicitatis, sicut sol lucis, quoniam Deus est omnipotens, aeternus, infinitae et aeternae caritatis ac bonitatis, potest et vult nos felicitate donare qua fruitur ipse, sicut sol communicat omnem lucem quam habet, et semper. Sicut autem sol totum mundum illuminat, sic Christus cupit omnes beatificare. Non tamen omnes salvantur; non omnes discipulos secum duxit Christus ad videndam gloriam regni sui. Hinc timendum nobis est.

eius quoque caritas qua ad nos salvandos mala nostra suscipere voluit et divinitatem suam abscondere;

Hodierno hoc opere ostenditur Christi caritas, dum manifestantur bona, quae propter nos reliquit, et mala, quae ad patiendum suscepit; quod ad salvandum nos potuit quidem venire in gloria et maiestate, in qua visus est hodie et in qua venturus est ad iudicandum.[27] Sed si sic venisset, pati nulla mala potuisset: *Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriae crucifixissent;*[28] quare non potuisset ostendere infinitum divinae caritatis suae erga nos amorem. Magna res est ut unicus filius regis pergat ipse missus a patre ad redimendos captivos; sed si pergat ut regis potentissimi filius magno, ut par est, cum comitatu, procul dubio ubique gentium et locorum magno suscipietur cum honore. Sed hoc magnum et inauditum, ut pergat solus tanquam persona privata, in habitu hominis ignobilis, licet sub ignobili illo indumento gestet insignia et vestes regiae gloriae, ita ut ad ostendendam caritatem suam captivis, ad quos redimendos venit ac tale tantumque iter suscepit tanto cum incommodo ac vitae discrimine, ad manifestandum illis seipsum cogatur deponere ignobile illud indumentum et ostendere regias vestes regiaque insignia, divitias et gloriam. Sic utique egit Christus hodie: manifestavit seipsum ostendens gloriam divinitatis suae et manifestatus a Patre est: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.*[29]

hanc autem hodie manifestat, ut magis cognoscatur verus Filius Dei.

Proponitur hodie nobis consideranda gloria Christi,

V. *Resplenduit facies eius sicut sol.* Duo mysteria consideranda singulariter nobis veniunt in hodierno Evangelio: unum est gloria Christi et aliud est gloria nostra nobis communicata a Christo. Nam Ecclesia vestis est Christi; Christus autem vestibus suis communi-

27) Cf. Mt 25, 31. 28) 1 Cor 2, 8. 29) Mt 17, 5.

cavit lucem gloriae suae: *Vestimenta autem eius... sicut nix*, sive, ut graece est, *sicut lux*,[30] sicut in sole duplex est lumen: primum quo in seipso lucidus est, et secundum in radiis, quo astra, coelum mundumque illuminat. Videmus ergo hodie et gloriam Christi et gloriam nostram, non tantum in vestibus Christi, sed etiam in Moyse et Elia fidelibus Christi. Primum mysterium spectat ad fidem; cibus est intellectus ut Christum cognoscat: *Hic est Filius meus dilectus;* ut credamus Christum esse verum Filium Dei unigenitum, verum Deum de Deo vero.[31] Secundum vero spectat ad spem; cibus est voluntatis ut speremus gloriam, felicitatem perpetuam et sempiternam a Christo beatitudinem; propterea enim Christus duxit discipulos suos supra *montem excelsum*, ut videntes et contemplantes gloriam regni coelestis, eam desiderarent, sicut duxit Moysen supra montem Abarim, ut inde promissionis terram contemplaretur, cum in eam ingredi non posset, Deo non permittente.[32] Assumpsit discipulos suos et duxit *in montem excelsum*, ubi eis paradisum aperuit, quoniam ob gloriam paradisi creatus est homo; hinc mox ut conditus fuit, in paradisum adductus fuit.[33] Sed nonnisi fidelibus et iustis datur gloria paradisi, hinc assumpsit discipulos suos.

ut credamus eum verum Deum esse,

et gloria nostra, ut futuram et sempiternam cum Christo beatitudinem speremus, ad quam conditi sumus.

30) Textus graecus: Ὡς τὸ φῶς.
31) Cf. *Symbolum Nicaenum*. Cf. Denzinger-Bannwart *Enchiridion Symbolorum*, n. 54.
32) Cf. Nm 27, 12-14.
33) Cf. Gn 2, 8-15.

DOMINICA SECUNDA QUADRAGESIMAE

Hodierna transfiguratio Christi figura et promissio est aeterni gaudii,

I. Ut saepe militibus accidit ducem sequentibus ut, post belli labores partasque ab hostibus victorias, magnis ab imperatore praemiis coronisque donentur, et viatoribus contingit nonnunquam ut, confecto magno itinere excelsoque et valde aspero conscenso monte multo cum labore atque sudore per saxeas praeruptasque vias, tandem supra montem prata inveniant virentia floridaque et amoenissima, aquarum viventium ac clarissimarum fontibus rivisque irrigata, arboribus etiam optimorum ac suavissimorum fructuum plenis onustisque consita, ibique amoenitate illa invitati atque retenti vires spiritumque resumant ac recreentur; sic hodie Apostoli Petrus, Iacobus et Ioannes, tanquam milites Christum summum optimumque ducem sequentes, post belli labores, post multas cum Christo tribulationes, tentationes et persecutiones perpessas, hodie a summo imperatore Deo, tanquam praemio et corona coelestis gloriae visione donantur et, monte excelso conscenso, inveniunt amoenissima prata, non terrestris, sed coelestis paradisi, unde Petrus ait : *Domine, bonum est nos hic esse.* [1] Sic omnibus Christum sequentibus post labores et tribulationes vitae praesentis dabitur quies et gaudium sempiternum, quod in sacrosancto hodierno Evangelio nobis sub oculis ponitur et aperto coelo, quod gloriam filiorum Dei celat, totius paradisi gloria ostenditur.

quod post vitam praesentem omnibus Christum sequentibus dabitur.

1) Mt 17, 4.

Assumpsit Iesus Petrum et Iacobum et Ioannem fratrem eius et duxit illos in montem excelsum scorsum et transfiguratus est ante eos. [2]

Sicut Deus post latam legem ostendit Moysi gloriam suam, ex qua splendida facta est facies eius,

II. Sicut [3] post coelitus datam praedicatamque legem veluti ostendere volens Dominus mercedem, quam consecuturi erant divinae illius legis observatores, iussit Moysi ut una cum Aaron, Nadab et Abiu montem conscenderet: *Ascenderuntque*, inquit Divina Scriptura, *Moyses et Aaron, Nadab et Abiu... et viderunt Deum Israel... sub pedibus eius quasi opus lapidis sapphirini et quasi coelum cum serenum est*, [4] ibi Moyses tabulas lapideas legis accepit ibique ex consortio divini sermonis facta fuit facies eius splendida, [5] *ita ut non possent filii Israel in faciem* eius *intendere* [6] et oculos figere prae nimia claritate; ita hodie Christus summus legislator, dux et princeps populi Dei, *tanto melior* Moyse *effectus quanto differentius* prae illo *nomen hereditavit* [7] – Moyses semper *servus Dei* dicitur, [8] Christus autem *Filius Dei*, [9] – ducit supra montem excelsum Petrum summum Ecclesiae pontificem, sicut Aaron summus fuit synagogae sacerdos, [10] et Iacobum ac Ioannem fratres, magnos apostolos, sicut Nadab et Abiu magni fuerunt synagogae sacerdotes, [11] et tribus his gloriam suam

2) Pericope huius diei Mt 17, 1-9. Sic legitur in Missali Rom. Vulg.: *Assumit ... et ducit.* 3) In margine haec adiecta fuerunt: « Iussit Dominus ut arca Testamenti operiretur auro optimo intrinsecus et extrinsecus. Sic hodie sacra humanitas Christi, arca divinitatis, in qua *inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter*, cum intrinsecus auro gloriae operta fuerit ab instanti conceptionis, hodie operitur auro extrinsecus per gloriam corporis: *Resplenduit facies eius sicut sol.* Posita autem fuit arca inter duos Cherubim aureos; sic hodie Christus inter Moysen et Eliam videtur, tanquam apud Zachariam aureum candelabrum ardens et lucens in medio duarum olivarum, idest, ut Angelus interpretatur, duos filios olei inunctos oleo, constitutos principes, assistentes *dominatori universae terrae;* Moyses autem et Elias principes sunt Prophetarum. Salomon unctus fuit rex a Sadoch sacerdote summo et Nathan propheta. Sic ad hoc apparuerunt hodie Moyses et Elias, qui etiam sunt duo viri portantes in vecte botrum uvae de terra promissionis, ad ostendendum quod vere esset terra manans et fluens lacte et melle, idest omnibus deliciis affluens. Christus hodie maximus hic est et dulcissimus botrus uvae; ipse etiam mare est aeneum inter duas columnas aeneas Iachin et Bohaz in templo Salomonis, cuius aqua nos ab omnibus delictis emundat et nive candidiores efficit: *Asperges me*, Domine, *hyssopo, et mundabor, lavabis me, et super nivem dealbabor.* Hinc: *Vestimenta eius facta sunt alba sicut nix*; vestis autem Christi Ecclesia est; facta autem dicit candida, sed nonnisi a Christo ». 4) Ex 24, 9-10. 5) Cf. ibid. 34, 28-30. 6) 2 Cor 3, 7. Vulg.: *Non possent intendere*, etc. 7) Hebr 1, 4. 8) Cf. Nm 12, 7-8; Dt 34, 5; Ios 1, 1-2. 7. 13. 15; 2 Esr 10, 29; Ps 104, 26; Bar 1, 20; Apc 15, 3. 9) Cf. Mt 8, 29; 14, 33; 16, 16; Lc 1, 32. 35; Io 1, 49; 6, 70; 11, 27. 10) Cf. Ex 28, 1 sqq. 11) Cf. ibid. 29, 8-9.

sic ostenditur gloria Christi maximo splendore relucentis;

gloriamque regni sui ostendit: *Et transfiguratus est ante eos; et resplenduit facies eius sicut sol.* [12] Facies Moysi resplenduit sicut luna, Christi autem facies *sicut sol,* multo magis, sicut Paulus ait: *Amplioris enim gloriae* Christus *prae Moyse dignus est habitus quanto ampliorem honorem habet domus qui fabricavit illam. Omnis enim domus fabricatur ab aliquo; qui autem omnia creavit Deus est. Et Moyses quidem fidelis erat in tota domo Dei tanquam famulus, Christus autem tanquam filius in . . . sua.* [13]

tanto autem splendidior Moyse Christus apparet quanto illo maior est,

Et idem Paulus conferens hodiernam Christi gloriam cum Moysi gloria, sic ait: *Idoneos nos fecit ministros novi testamenti, non littera, sed spiritu, littera enim occidit, spiritus autem vivificat. Quod si ministratio mortis, litteris deformata in lapidibus, fuit in gloria, ita ut non possent filii Israel intendere in faciem Moysi propter gloriam vultus eius, quae evacuatur; quanto magis ministratio spiritus erit in gloria? Nam, si ministratio damnationis* in *gloria est, multo magis abundat ministerium iustitiae in gloria. Nam nec glorificatum est quod claruit in hac parte propter excellentem gloriam. Si enim quod evacuatur in gloria est, multo magis quod manet in gloria est.* [14]

et eius lex perfectior lege Moysi.

Confert Christum cum Moyse, gloriam Christi cum gloria Moysi, Novum Testamentum cum Veteri gloriamque huius cum gloria illius. Illud vocat *litteram,* hoc autem *spiritum,* quia spiritum gratiae confert; illud *ministrationem mortis,* quod peccantem non iustificaret, sed interimeret: *Morte moriatur,* [15] hoc *ministrationem iustitiae,* quia homines iustificat et sanctificat; illud *testamentum evacuatum,* nam per Christum abolita est lex Moysi, istud vero *semper permanens* et aeternum. Hinc gloria illius Testamenti claruit in facie Moysi, huius autem in facie Christi; et illud quidem nec glorificatum dicit propter eminentem gloriam huius, sicut luna respectu solis clara et lucida minime dicitur. Ostenditur itaque hodie gloria Novi Testamenti, merces et praemium, quod datur servantibus Evangelium Christi, ascendentibus hunc montem excelsum.

12) Mt 17, 2. 13) Hebr 3, 3-6. Vulg.: *Omnis nanque . . . in tota domo eius . . . Christus vero tanquam filius,* etc. 14) 2 Cor 3, 6-11. Vulg.: *Non possent intendere . . . quomodo non magis ministratio . . . quod evacuatur per gloriam . . . ministratio damnationis gloria est,* etc. *In gloria* legitur in veteribus editionibus Vulg. In posterioribus autem iussu Clementis VIII recognitis praepositio *in* expuncta fuit. 15) Cf. Ex 21, 12-16; Lv 20, 1 sqq.

Mons excelsus, supra quem Christus transfiguratur, imago est vitae christianae,

III. Mons enim excelsus est lex evangelica vitaque christiana: excelsus ratione fidei, excelsus ratione spei, excelsus ratione caritatis. Excelsum est valde credere Deum Unum et Trinum, Christum simul Deum et hominem; excelsum est sperare non terrena ac mundana, praesentia et visibilia bona, sed coelestia, divina, invisibilia, futura; excelsum est Deum super omnia diligere ex toto corde, proximum tum amicum tum inimicum sicut seipsum diligere[16] ac seipsum propter Christum odio habere.[17] Ante enim haec[18] hodierni Evangelii verba apud Matthaeum legimus: *Qui vult venire post me, abneget semetipsum et tollat crucem suam et sequatur me. Qui enim voluerit animam suam salvam facere, perdet eam, qui autem perdiderit animam suam propter me, inveniet eam.*[19] Hoc est montem conscendere excelsum valde.

quam consequetur gloria in regno Christi, danda omnibus sectatoribus eius.

Sed ecce gloria transfigurationis: *Filius enim hominis venturus est in gloria Patris sui cum Angelis suis, et tunc reddet unicuique iuxta opera sua:*[20] ecce Christus in gloria. Et ad hanc gloriam ostendendam Christus transfigurari voluit, ait enim: *Sunt quidam de hic stantibus qui non gustabunt mortem, donec videant Filium hominis ... in regno suo;*[21] et tunc subicitur: *Et post dies sex assumpsit Iesus*, etc. Sic etiam apud Marcum, statim post illa verba: *Sunt quidam de hic stantibus qui non gustabunt mortem, donec videant regnum Dei veniens in virtute,*[22] statim subiungitur transfiguratio,[23] et Lucae 9 similiter, ubi cum Marco Lucas regnum Dei videndum dicit.[24]

Christus igitur ostendit hodie gloriam suam ad confirmandam fidem nostram, quod ipse sit verus Filius Dei,

Ostenditur igitur nobis hodie tum Christi tum eius regni gloria, quae danda est omnibus sectatoribus Christi; gloria quidem Christi ad confirmandam fidem, quod ipse sit verus Filius Dei verusque Messias, sicut Petrus confessus fuerat dicens: *Tu es Christus Filius Dei vivi,*[25] paulo antequam diceret Christus: *Filius ... hominis venturus est in gloria Patris sui cum Angelis suis;*[26] et hodie in transfiguratione dicitur: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.*[27] Unde et Petrus in *2 Epistola* ad hanc eandem fidem

16) Cf. Mt 5, 44; 22, 37-39. 17) Cf. ibid. 10, 39; Lc 9, 24; 14, 26; Io 12, 35.
18) Ms.: *Haec* bis ponitur. 19) 16, 24-25. Vulg.: *Si quis vult post me venire*, etc.
20) Ibid. vr. 27. Vulg.: *Secundum opera eius.* 21) Ibid. vr. 28. 22) 8, 39.
23) Cf. 9, 1-8. 24) Cf. vrr. 27-36. 25) Mt 16, 16. 26) Ibid. vr. 27.
27) Ibid. 17, 5.

confirmandam dicit : *Non . . . doctas fabulas secuti notam fecimus vobis Domini nostri Iesu Christi virtutem et praescientiam, sed speculatores facti illius magnitudinis. Accipiens enim a Deo Patre gloriam et honorem, voce delapsa ad eum . . . a magnifica gloria : Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui : ipsum audite. Et hanc vocem nos audivimus de coelo allatam, cum essemus cum ipso in monte sancto.* [28]

et spem in nobis excitandam coelestium bonorum visione gloriae eius,

Eius vero regni gloria ostenditur ad excitandam spem ac desiderium coelestium bonorum. Hinc duo videmus : Christi faciem tanquam sol resplendentem et nubem lucidam, in qua habitat et de cuius medio loquitur Deus. Lux solaris est gloria Christi, nubes autem lucida regnum est Christi, coelum empyreum, paradisus gloriae. Imo in ipsomet Christo duo videmus : et faciem resplendentem et vestimenta candida *sicut nix*, vel, ut graeca habent, *sicut lux.* [29] Vestis autem Christi Ecclesia est, vestis inconsutilis, vestis Christi nuptialis, de qua apud Isaiam legimus : *Leva in circuitu oculos tuos . . . omnes isti congregati sunt, venerunt tibi. Vivo ego, dicit Dominus, quia omnibus his velut ornamento vestieris et circumdabis tibi eos quasi sponsa.* [30] Ecclesia autem triumphans regnum est Christi.

quae imago est futurae gloriae nostrae.

Imo una cum Christo videmus Moysen et Eliam in gloria : *Ecce apparuerunt illis Moyses et Elias,* [31] *visi in maiestate,* inquit Lucas. [32] Videmus igitur hodie gloriam tum Christi tum nostram, imo Christum tanquam exemplar gloriae nostrae, nam : *Quos praescivit et praedestinavit conformes fieri imagini Filii sui.* [33] Nam si Christus ut sol resplenduit, ipsemet dixit quod omnes *iusti fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum.* [34] Christus igitur hodie exemplar est nostrae gloriae, quam consequemur divinam legem ad finem usque servantes.

Huius gloriae plurimae habentur figurae in Sacra Scriptura,

Et haec quidem gloria multis nobis sacris symbolis ac hieroglyphicis ostensa est in mysteriis Divinarum Scripturarum. Hanc enim terrestris paradisus designabat, [35] locus perpetuae felicitatis et immortalitatis ; hanc quies, sanctificatio et benedictio septimi diei, cui non

28) 1, 16-18. Vulg.: *Virtutem et praesentiam*, etc. *Praescientiam* legitur in veteribus editionibus Vulg. Cf. *Biblia Lovaniensis* h. l. 29) Ὡς τὸ φῶς. 30) 49, 18. 31) Mt 17, 3. 32) 9, 31. 33) Rom 8, 29. Vulg.: *Imaginis*, etc. 34) Mt 13, 43.
35) Cf. Gn 2, 8-14.

statuitur vespera[36] in signum aeternae perpetuitatis ; in coelesti enim gloria est vita perpetua cum perpetua sanctitate et perpetua felicitate in omnium bonorum affluentia, quam benedictio ipsa significat. Hanc sancta sanctorum, suprema pars divini tabernaculi templique, quod tribus suis partibus[37] ipsum universum cum tribus suis partibus terra, coelo et empyreo designabat. Infima enim pars mundum elementalem adumbrabat, erat enim locus communis in quo etiam nundinae fiebant, unde eiecit Dominus homines et iumenta, oves, boves, columbas et alia huiuscemodi ;[38] hic erant vasa aquis plena et mare aeneum, hic ignis in altari semper ardens locusque erat omnibus aeris iniuriis expositus, uti est terra. Pars media adumbrabat coelum, ibi enim erat aureum candelabrum cum septem lucernis semper ardentibus in signum septem planetarum, et mensa duodecim panum propositionis in signum duodecim signorum coelestium, et altare incensi supra quod sacerdotes incensum Domino offerebant ; solis enim sacerdotibus sacrisque ministris locus iste patebat,[39] sicut coelum solum Angelis patet, qui per hanc scalam iugiter ascendunt atque descendunt[40] ministrantes Deo in salutem electorum Dei. Suprema vero pars figurabat empyreum coelum paradisumque Angelorum, hic enim erant cherubim aurei divinumque propitiatorium et arca auro intrinsecus extrinsecusque vestita cum tabulis legis,[41] vase mannae[42] et virga Dei[43] et cum corona desuper aurea.[44] Haec autem omnia coelestis beatitudinis sacra mysteria ac divina erant sacramenta.

praesertim vero tabernaculum Moysi et templum Salomonis.

Hanc designabat terra promissionis, quae toties in Divinis Scripturis dicitur *terra bona, lacte et melle manans,*[45] idest deliciis omnibus affluens. Hinc Paulus loquens de patribus Veteris Testamenti : *Fide,* inquit, *defuncti sunt omnes iusti, non acceptis repromissionibus, sed a longe eas respicientes et salutantes et confitentes quia peregrini et hospites sunt super terram. Qui enim hoc dicunt significant se patriam inquirere. Et si quidem ipsius meminissent de qua exierunt, habebant utique tempus revertendi ; nunc autem meliorem appetunt,*

terra promissionis

36) Cf. ibid. vrr. 2-3. 37) Cf. Ex 26, 1-27, 1 sqq.; 3 Rg 6, 2 sqq.; 2 Par 3, 1-4, 1 sqq. 38) Cf. Io 2, 14-16. 39) Cf. Ex 30, 1 sqq.; 40, 1 sqq.; Nm 3, 1 sqq.; 16, 40; 18, 1-7; Hebr 9, 6. 40) Cf. Gn 28, 12. 41) Cf. Ex 25, 16. 21; Dt 10, 5; Hebr 9, 4. 42) Cf. Ex 16, 33; Hebr 9, 4. 43) Cf. Nm 17, 10; 20, 9; Hebr 9, 4. 44) Cf. Ex 37, 1 sqq.
45) Cf. ibid. 3, 8. 17; 13, 5; Nm 14, 7-8; 16, 14; Dt 1, 25. 35; 8, 7-8; 26, 9. 15; 27, 3.

idest coelestem. Ideo non confunditur Deus vocari Deus eorum, paravit enim illis civitatem. [46]

et civitas Ierusalem.

Hanc tandem et civitas Ierusalem sedes israelitici regni, quae visio pacis interpretatur et יְרוּשָׁלַיִם [47] duplicis pacis; hinc Paulus dicit quod *paravit illis civitatem*, quoniam: *Non ... habemus hic civitatem permanentem, sed futuram inquirimus ;* [48] et de Abrahamo dicit quod *expectabat ... fundamenta habentem civitatem, cuius conditor et artifex Deus ;* [49] et iterum : *Accessistis*, inquit, *ad Sion montem et civitatem Dei viventis, Ierusalem coelestem, et multorum ... Angelorum frequentiam ... ecclesiam primitivorum ;* [50] et : *Illa autem, quae sursum est Ierusalem, libera est, quae est mater nostra.* [51]

Sed specialiter imago gloriae coelestis ostenditur hodie in transfiguratione Christi,

Sed specialiter et singularissime hodie supra excelsum hunc sacrosanctum montem in gloriosa Christi transfiguratione ostenditur nobis clare et manifeste coelestis paradisi gloria, quam ante mundi constitutionem ab aeterno Deus praeparavit electis suis : [52] *Duxit eos in montem excelsum ... et transfiguratus est ante eos et resplenduit facies eius sicut sol, vestimenta autem eius facta sunt alba sicut nix*, sive *lux*. Ponuntur nobis multa. Primo quidem, locus gloriae : *In montem excelsum ;* secundo, gloria interna in facie : *Resplenduit facies eius sicut sol ;* tertio, gloria externa vestium, in qua designatur gloria corporis, quod vestis est animae : *Vestimenta ... eius facta sunt alba sicut nix* et *lux ;* quarto, societas gloriosa : *Apparuerunt illis Moyses et Elias visi in maiestate ;* quinto, visio nubis lucidae, quae divinam designabat naturam, Deus enim *lucem habitat inaccessibilem :* [53] *Et ecce nubes lucida ;* sexto, auditur *vox de nube dicens : Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*, quod summus est honor, hinc Petrus : *Accipiens*, inquit, *a Deo honorem et gloriam, voce delapsa ad eum ... a magnifica gloria : Hic est Filius*, etc.

in qua omnia mysteria huius gloriae proponuntur consideranda.

46) Hebr 11, 13-16. Vulg.: *Iuxta fidem defuncti sunt omnes isti ... eas aspicientes ... Qui enim haec dicunt*, etc. 47) Ms.: *Ierusalaim*. Sanctes Pagnini: « Hebraei hodie dualiter efferunt יְרוּשָׁלַםִ (Chirik indicante Iod), quod urbs bipertita esset; etsi Cabalici hoc ad terrestrem et coelestem, duplicem scilicet Ierusalem referant ». *Thesaurus Linguae Sanctae*, sub radice: שָׁלַם. 48) Hebr 13, 14. Vulg.: *Manentem civitatem, sed futuram*, etc. 49) Ibid. 11, 10. Vulg.: *Cuius artifex et conditor Deus.* 50) Ibid. 12, 22-23. 51) Gal 4, 26. 52) Cf. Mt 25, 34. 53) 1 Tim 6, 16. Vulg.: *Lucem inhabitat*, etc.

IV. Omnia haec nobis consideranda sunt, si coelestis huius gloriae nonnihil degustare spiritu volumus. Christus enim hodie veluti Assuerus rex sumptuosissimam nobis coenam conviviumque magnificentissimum parat; [54] haec illa coena magna evangelica est: *Homo quidam fecit coenam magnam;* [55] hae nuptiae a rege factae filio suo, a quibus eiectus fuit non habens vestem nuptialem. [56] *Duxit eos in montem excelsum.* Hic locus est gloriae, hoc sancta sanctorum divini templi, civitas Ierusalem, terra promissionis, paradisus terrestris. Locum huius gloriae describit Divus Ioannes in *Apocalypsi* civitatem esse in quadro positam, cuius muri, fundamenta et portae sunt [57] ex lapidibus pretiosissimis, plateae vero civitatis et viae omnes ex auro purissimo, ubi semper est dies, per cuius medium transit fluvius habens ex utraque ripa arbores fructificantes per singulos menses. [58] Sed civitatem hanc describit in coelo, non in terra; hinc Christus ascendit hodie *in montem excelsum.*

a) Per montem excelsum designatur locus gloriae, coelum.

Ex auro et lapidibus pretiosis constructa dicitur civitas paradisi, quoniam apud nos nil pretiosius reperitur fitque nobiscum sicut cum homine fieret qui natus in subterranea domo ibique semper educatus, nunquam viderit coelum, nunquam solem, sed ibi semper vixerit ad lumen candelae, cui si quis vellet declarare lucem et gloriam solis, diceret ei: sol in coelo est sicut lumen illius candelae aut lampadis illuminans totum mundum, sicut lucerna ista domum hanc totam illuminat, quid, quaeso, ille lucis et solis gloriae et magnitudinis mundi posset intelligere ex lumine unius candelae? Sed quia non habet ibi aliquid illustrius, per illud declarat magnitudinem huius. Sic, quia in mundo isto nil pretiosius est auro et gemmis, ex his civitas paradisi dicitur aedificata, et quia nihil in mundo est gloriosius sole, huic comparatur gloria paradisi: *Resplenduit facies eius sicut sol.*

b) Per lucem solarem figuratur plenitudo huius gloriae incomprehensibilis;

Duplex gloria splendet in Christo hodie: gloria faciei et gloria vestium. Sic duplex est gloria cuiusvis beati: gloria animae et gloria corporis. Gloria animae designatur per splendorem faciei et gloria corporis per candorem vestium, corpus enim vestis est animae. Multo

c) per splendorem vestium et faciei duplex gloria Beatorum.

54) Cf. Est 1, 3. 55) Lc 14, 16. 56) Cf. Mt 22, 2-14. 57) Ms.: *Sint.*
58) Cf. 21, 10-22, 1-2.

maior erit gloria animae quam gloria corporis, sicut magis splenduit hodie facies quam vestis Christi : illa ut *sol*, haec ut *lux*.

Gloria animae in tribus consistit: in intellectu, voluntate et memoria;

Gloria animae consistit in tribus : in clarissima cognitione summae veritatis Dei, in ardentissima dilectione summae bonitatis et in possessione aeternae felicitatis. Hinc designatur per solem, in quo est summa lux, summus calor et perpetua invariabilisque in seipso gloria ; non enim ut luna mutatur. In lucidissima cognitione omnis veritatis consistit beatitudo intellectus nostri, in ardentissima dilectione omnis bonitatis fruitioneque ipsius consistit gloria et beatitudo nostrae voluntatis, et in felicissima aeternaque possessione spiritualium thesaurorum, uti scientiarum, virtutum artiumque omnium, consistit beatitudo et felicitas nostrae memoriae. Sic felicissima et beatissima erit anima in seipsa.

gloria vero corporis in quattuor: in claritate, impassibilitate, agilitate et subtilitate.

Gloria vero corporis designatur in luce, et iure quidem optimo ; lux enim suapte natura est clara candidaque, hinc tenebras pellit aeremque illuminat ; est spiritualis et subtilis, hinc radius solis transit per coelum, per aerem, per aquam, per vitrum et solidissimum crystallum ; est impassibilis radius solis : intrans per fenestram in domum pati a nulla re potest, si ense eum velis dividere tanquam lignum, nihil agis ; et tandem agilissima est : uno momento radius solis pervenit ab oriente in occidentem. Sic utique erit gloria corporis nostri, ut inquit Paulus : *Seminatur* corpus *in ignobilitate, surget in gloria :* ecce claritas ; *seminatur in corruptione, surget in incorruptione :* ecce impassibilitas ; *seminatur in infirmitate, surget in virtute :* ecce agilitas ; *seminatur corpus animale, surget corpus spirituale:* [59] ecce subtilitas corporis nostri. Erit summa pulcritudo, vita perpetua, sempiterna sanitas, nullus labor, nulla passio sitis, frigoris et caloris ; habebit omnia sensuum oblectamenta summa cum iucunditate. Quid amplius desiderari in humano corpore potest ? *Vestimenta autem eius facta sunt alba sicut lux.*

d) Per Moysen et Eliam designatur societas Beatorum

Adhuc autem consideranda societas est : *Apparuerunt illis Moyses et Elias, visi in maiestate.* Isti sunt cherubim gloriae in sancta sanctorum, ubi arca quidem auro interius exteriusque induta gloriam hominis designat internam et externam. Societas nobilissima, ubi summa

59) 1 Cor 15, 42-44. Vulg.: *Spiritale.*

est pax, concordia et caritas, hinc cherubim se mutuo respiciebant; ubi omnis scientia, hinc erant *cherubim* appellati; summa innocentia et sanctitas, hinc erant in sancta sanctorum.[60] Hi sunt septem filii Iob mutua omnes caritate coniuncti;[61] sunt etiam ditissimi et nobilissimi, hinc cherubim facti erant ex auro optimo. Quid amplius in amico, in socio desiderari potest? Hi sunt *Moyses et Elias visi in maiestate*, viri optimi, sanctissimi, sapientissimi, nobilissimi. O gloria conversari in coelo et amicissime loqui cum omnibus sanctis Angelis, Archangelis, Cherubim et Seraphim, cum Patriarchis et Prophetis, cum Apostolis et Sanctis omnibus, cum Sanctissima Virgine Regina Angelorum et Sanctorum omnium et cum ipsomet Christo Sancto Sanctorum, Rege paradisi! *Apparuerunt Moyses et Elias visi in maiestate, loquentes cum Iesu.* O societas! o colloquia!

cum omnibus Sanctis et Angelis.

Quinto loco videtur nubes lucida, lucidissima Dei essentia, quia *lucem habitat inaccessibilem.* Si tale tantumque gaudium affert mortalibus videre faciem huius solis, quod maxima, et merito, infelicitas putatur luce privari, nam eius in mundo praesentia causa est omnium bonorum, quid, quaeso, erit videre faciem Dei? Hinc omnis gloria oritur; sicut enim omnis gloria lunae ab aspectu solis dependet et ob id ei simillima est, quia ipsum facie ad faciem videt, sic utique ex visione Dei oritur omnis paradisi felicitas: *Similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.*[62] Hoc est propitiatorium totum aureum inter cherubim semper manens super arcam gloriae Dei, illud enim propitiatorium divinam essentiam designabat: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.*[63] Hinc Moyses super omnia id desideravit et petiit a Deo: videre gloriam faciei ipsius: *Ostende mihi gloriam tuam... ostende mihi faciem tuam, si inveni gratiam in oculis tuis.*[64]

e) Per nubem lucidam Dei essentia indicatur, quae fons erit omnis iucunditatis.

Tandem auditur a lucida nube vox plena gaudii: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: ipsum audite.* Magnum est in hoc mundo filium esse magni regis et filium valde dilectum, in quo rex omnes delicias suas posuerit universoque regno praeceperit ut[65] filio suo principi tanquam ipsimet regi obedirent. Sed quanto

f) Per verba Patris exprimitur summus Beatorum honor, qui *filii Dei vocabuntur.*

60) Cf. Ex 37, 7-9. 61) Cf. Iob 1, 13. 62) 1 Io 3, 2. 63) Mt 5, 8.
64) Ex 33, 13-18. Vulg.: *Si ... inveni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi faciem tuam ... ostende*, etc. 65) Ms.: *Ut* bis ponitur.

Deus maior est quovis homine, tanto gloria cuiusvis beati in coelo maior est gloria cuiusvis filii regis in terra, quamvis unicus esset rex et monarcha totius orbis terrarum. Haec gloria est Beatorum in coelo. Omnes sunt filii summi Dei et filii maxime dilecti, in quibus sibiipsi summopere placet Deus, quoniam filii sunt ab ipsomet secundum voluntatem suam facti et formati tum secundum corpus tum secundum animam. Si homo sic filios suos formare suo modo secundum voluntatem suam, iuxta desiderium cordis sui posset, sicut pictor aut sculptor, quales, quaeso, illos faceret ? Quomodo in illis sibi complaceret, nihil in ipsis reperiens quod sibi displiceret ? Sic sunt omnes Beati in coelo : filii Dei summe dilecti, facti ab ipsomet Deo secundum voluntatem suam, in quibus nihil quod Deo displiceat reperitur.

Gloria Beatorum consistit in copia omnium bonorum utilium, delectabilium et honorabilium;

V. *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: ipsum audite.* Hoc est universo regno imperare, ut principi filio regis obediant, sicut sol et luna obediverunt voci Iosue.[66] Sic quisque beatus in coelo rex est coeli et terrae. Haec est aurea corona super arcam,[67] haec virga Moysi in arca,[68] cui terra, mare, coeli obediebant. Et, ut uno dicam verbo, beatitudo et gloria coelestis paradisi est abundantia omnium bonorum, absque ullo penitus malo, sicut Isaac in sua benedictione expressit : *Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus. Det tibi Deus de rore coeli et de pinguedine terrae abundantiam frumenti et vini . . . serviant tibi populi et adorent te tribus.*[69] Vides hic copiam omnium bonorum utilium, delectabilium et honorabilium : *Odor agri pleni cui benedixit Dominus,* cui dedit Deus maximam copiam fructuum odoratissimorum ; *det tibi Deus de rore coeli,* etc. : ecce copiam bo-

66) *Cf.* Ios 10, 12-13. 67) Cf. Ex 37, 1-2. 68) Cf. Nm 17, 10; 20, 9; Hebr 9, 4. « Virga Moysi in arca » nequaquam! Ex hoc loco et pluribus aliis videtur Sanctus Auctor opinari virgam Moysi eandem fuisse quae in manu Aaron floruit et in arca Domini posita fuit. Ait enim pag. 198: « Posita fuit in arca virga divinae virtutis, qua fiebant miracula ». Virga autem tot portentorum operatrix, non illa Aaronis erat quae fronduerat; haec enim tantum fuerat signum sacerdotii Aaron consignati atque ad eius rei testimonium reposita in arca Domini; nullibi vero legimus Deum ea usum fuisse ad prodigia patranda. De virga autem Moysi nescitur quonam devenerit; attamen ex Scriptura certe non constat in arca fuisse repositam. Cf. Aug. Calmet *Dictionarium Historicum,* sub voce: *Virga.*
69) Gn 27, 27-29.

norum utilium et delectabilium simul; *serviant tibi populi et adorent te tribus; esto Dominus fratrum tuorum:* [70] ecce copiam honorabilium bonorum.

Sed ut hanc benedictionem assequeretur Iacob, opus fuit ut matris iussa impleret, ut pergeret ad gregem et sumeret duos haedos occideretque ut ex eis fieret pulmentum gratum gustui Isaac, ut se indueret vestimentis Esau valde bonis et haedinis pellibus manus veluti chirothecis et etiam colli nuditatem operiret, et tandem cocta conditaque pulmenta ad Isaac patrem deferret. [71] Si consequi volumus gloriam regni coelestis, fratres, necesse est ut Sanctae Matris Ecclesiae iussa et monita omnia exequamur, ut carnis appetitus mortificemus, ut habitibus sanctarum virtutum nos induamus, ut Christo unigenito Filio Dei, quem Pater summopere diligit, similes efficiamur [72] per sanctam humilitatem, nam Christus factus est *in similitudinem carnis peccati,* [73] absque tamen ullo peccato, haedinasque has carnes igne caritatis assatas et virtutum saporibus conditas, iuxta beneplacitum divinum Deo offeramus [74] in cibum; cordibus enim nostris libenter vescitur Deus: *Fili mi, praebe mihi cor tuum.* [75]

Sed ad eam assequendam necesse est ut virtutibus similes Christo efficiamur.

Hoc autem quod requiritur ad gloriam hanc consequendam, expressit et R e g i u s V a t e s dicens: *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo? aut quis requiescet in monte sancto tuo? Qui ingreditur sine macula et operatur iustitiam;* [76] et alibi: *Quis ascendet in montem Domini? aut quis stabit in loco sancto eius? Innocens manibus et mundo corde,* etc. [77] Haec requirit a nobis Deus ut det cunctis hanc gloriam, quam ob id hodie ostendit ut eam cunctis largiatur. Gloriam enim Deus vult cunctis dare, non poenam; hinc nunquam in Divinis Scripturis legimus apertam esse terram a Deo ad ostendendum hominibus infernum, sed bene saepissime coelum ad ostendendum paradisum.

Hoc docet etiam Regius Vates.

VI. Ostendit hodie nobis Dominus gloriam paradisi, ut eius desiderio et amore capiamur. Sicut Iacob, mox ut vidit pulcherrimam Rachelem, eius amore captus fuit, adeo ut septem annorum tempus

Ostendit nobis hodie Dominus gloriam paradisi.

70) Ibid. 71) Cf. ibid. vrr. 8-18. 72) Ms.: *Effici.* 73) Rom 8, 3. 74) Ms.: *Offerre.* 75) Prv 23, 26. Vulg.: *Praebe, fili mi, cor tuum mihi.* 76) Ps 14,1-2. 77) Ps 23, 3-4.

ut eius desiderio capiamur.

durae servitutis graviumque laborum parum ei visum fuerit prae magnitudine amoris et desiderii fruendi ea, [78] sic quisquis vero desiderio tenetur felicitatis aeternae, profecto cum Apostolo ait: *Non sunt condignae passiones huius temporis ad futuram gloriam, quae revelabitur in nobis,* [79] nam: *Momentaneum et leve tribulationis nostrae supra modum... aeternum gloriae pondus operatur in coelis.* [80] Sic Iacob existimavit minime condignam esse pro Rachele servitutem septem annorum.

Gloriam hanc Dominus convivio regali comparavit, quo melius vix excogitari potest,

Saepe Dominus in Evangelio locutus est de regno coelorum, sed quoniam ineffabilis est et verbis ostendi non potest eius magnitudo, voluit hodie ipsam oculis hominum spectandam ostendere. Orator est sicut pictor, lingua sicut penicillus, verba sicut colores, oratio sicut pictura; sed non potest ars picturae assequi naturam, semper maxima est differentia inter hominem vivum et hominem pictum. Sic quanto homo vivus pictum excedit, tanto gloria paradisi excedit omne quod in Divinis Scripturis de ea dicitur. Si enim Divina Scriptura vix potest exprimere magnitudinem convivii Assueri, quomodo exprimere pro dignitate poterit coeleste convivium? Plane vix potest humana lingua gloriam exprimere regalis convivii, quod fit in regalibus nuptiis, dicere apparatum palatii, divitias indumentorum regis, reginae, principum, equitum et servorum, copiam et splendorem epularum et quae ante ac post pastum dantur, aurea vasa et argentea mira cum arte facta, musicos concentus, harmonias, choreas, etc. Quis dicere poterit gloriam et magnificientiam paradisi, quam Dominus regali convivio comparavit? *Simile... est regnum coelorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo.* [81]

quia vere ineffabilis est.

78) Cf. Gn 29, 14-28. 79) Rom 8, 18. 80) 2 Cor 4, 17. Vulg.: *Operatur in nobis.* 81) Mt 22, 2.

II. ALIA HOMILIA

Assumpsit Iesus Petrum et Iacobum et Ioannem fratrem eius et duxit illos in montem excelsum seorsum et transfiguratus est, etc. [1]

I. Laboriosum est homini propter corporis gravitatem excelsum montem ascendere; sic: *Regnum coelorum vim patitur et violenti rapiunt illud.* [2] In paradisum per flumen eundum est contra fluminis cursum, adeo ut remis velisque opus sit, in terram promissionis per desertum, in sancta sanctorum per locum sacrificiorum et baptismatum atque per sancta, ubi erat aureum candelabrum cum septem lucernis semper accensis, mensa panum propositionis et altare incensi. [3]

Ad regnum coelorum magno cum labore conscenditur.

Dominus noster in sermone, quem habuit in monte, depinxit nobis gloriam paradisi: *Ipsorum est regnum coelorum... ipsi possidebunt terram... ipsi consolabuntur... ipsi saturabuntur... ipsi misericordiam consequentur... Deum videbunt... filii Dei vocabuntur.* [4] Quid amplius desiderari potest? quid ultra? Sed ostendit etiam qua via tendendum sit ad hanc beatitudinem consequendam: *Beati pauperes spiritu... mites... qui lugent... qui esuriunt et sitiunt... misericordes... mundo corde... pacifici... qui patiuntur persecutionem propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum coelorum.* [5] Hic est ascensus in montem excelsum. Arduum est non apponere cor divitiis affluentibus, [5a] non vindicare iniurias, de peccatis praeteritis poenitentiam agere, esurire et sitire non temporalia sed aeterna, non carnalia sed spiritualia, eleemosynas pauperibus elargiri et inimicos diligere, habere cor mundum ab omni macula peccati, pacem cum omnibus habere, pati persecutiones patienter propter iustitiam, pro bonis mala pati. Ardua haec sunt valdeque laboriosa, sed tamen necessaria ad salutem.

hinc Dominus gloriam paradisi atque arduam et laboriosam viam virtutis ostendit.

Agit hodie Christus sicut mercator fidelis qui, aperta apotheca, ostendit emptoribus et pretiosa mercimonia et pretium necessarium,

Supra montem Christus gloriam suam manifestavit,

1) Mt 17, 1-2. Cf. not. 2 praec. hom., pag. 453. 2) Ibid. 11, 12. 3) Cf. Ex 37, 1-38, 1-8; 40, 16-31; Nm 8, 1-4; 3 Rg 7, 48-49. 4) Mt 5, 3-9. 5) Ibid. vrr. 3-10. Vulg.: *Qui persecutionem patiuntur*, etc. 5a) Cf. Ps 61, 11.

ut eum sequamur, sed neminem cogit, quia nullius eget.

quo vilius dari nullo modo possunt. Ostendit gloriam paradisi : haec sunt mercimonia Christi ; neminem tamen ad emendum cogit, sed : *Si quis*, inquit, *vult venire post me, abneget semetipsum et tollat crucem suam et sequatur me.* [6] Hoc est sequi Christum ascendentem in montem excelsum. Notate verba : *Si quis vult :* relinquit omnes in libera voluntatis suae potestate, neminem cogit, quia nullius eget; Dei gloria et beatitudo infinita est. Erat Deus nil minus quam modo beatissimus antequam mundum creasset, hinc dicitur שַׁדַּי [6a] sibi sufficiens, sicut sol lumine lunae non eget, nec coelum aliquo eorum, quae in terra sunt, opus habet : *Bonorum meorum non indiges.* [7] Hinc ait : *Si quis vult.* Sic non coegit, sed voluntarie *assumpsit* hodie *Petrum... Iacobum et Ioannem... et duxit.* Factus est ipse dux noster in huius excelsi montis conscensu : *Coepit* enim *Iesus facere et docere.* [8] Si poenitentia, si ieiuniis, si paupertate, si patientia, si humilitate, si denique virtute omni opus est, virtutum omnium exempla prae oculis habemus in Christo.

Tres tantum Apostolos Christus secum duxit in montem, significans parvum esse numerum electorum.

II. Sed cur non omnes Apostolos duxit in montem hunc ? Profecto quia non omnes fideles Christi gloriam consequuntur, sed *pauci sunt qui salvantur.* [9] Qui enim salvari vult, necesse est ut sit Petrus firmus et constans in fide et in obedientia mandatorum Dei, Iacobus supplantator vitiorum carnis, sicut Iacob supplantavit Esau calcaneum ipsius manu tenens, [10] idest mortis meditatione mortificanda caro est, spiritui subicienda, et Ioannes divina gratia plenus: *Gratia* enim *Dei vita aeterna.* [11] Sed paucissimi sunt qui hisce virtutibus student, igitur paucissimi sunt qui salvantur.

Tres duxit tres Ecclesiae status significantes: incipientium, proficientium et perfectorum;

Duxit item hos tres Apostolos Christus ad videndam gloriam paradisi tanquam exploratores. Sicut enim Moyses ex mandato Dei misit duodecim exploratores, ex singulis duodecim tribubus accipiens unum, ad explorandam terram promissionis, ut universo populo existenti in deserto referrent terrae illius felicitatem, [12] ita Christus duxit hodie tres hos Apostolos, quoniam tres sunt status Ecclesiae : incipientium, proficientium et perfectorum. Hi omnes in caritate

6) Ibid. 16, 24. Vulg.: *Si quis vult post me venire*, etc. 6a) Ms.: שדי. 7) Ps 15, 2. Vulg.: *Eges.* 8) Act 1, 1. 9) Lc 13, 23. 10) Cf. Gn 25, 24-25; 37, 35-36. 11) Rom 6, 23. Sic enim latine interpretantur haec nomina: Petrus *firmus*, Simon *obediens*, Iacobus *supplantator*, Ioannes *gratia*. 12) Cf. Nm 13, 1-28.

constituti digni sunt gloria et felicitate paradisi. Et omnes fideles vel superiores sunt vel inferiores; hi autem vel activae vitae dant operam vel contemplativae. Ecce Petrus, Iacobus et Ioannes. Hos tres status Dominus designavit per agrum, per molam et per lectum: *Duo erunt in agro: unus* [13] *assumetur et unus relinquetur; duae molentes in mola* una, [14] *duo in lecto uno: unus assumetur et unus relinquetur.* [15] Ad ostendendum quod etiam qui sanctae vitae dant operam, damnari possunt, nisi satagant oleum habere in vasis suis cum prudentibus virginibus, [16] Dominus ait: *Unus assumetur et unus relinquetur.* Ut igitur tres isti Apostolorum optimi fideque dignissimi referrent nobis gloriam patriae coelestis, hanc eis hodie Dominus ostendere voluit omnesque thesauros suos, sicut Ezechias ostendit omnem gloriam domus suae servis regis Babylonis [17] et Salomon omnem gloriam suam reginae Saba. [18]

et etiam ut testes nobis fierent coelestis gloriae.

III. Nunc itaque, fratres mei, caveamus nos ne simus sicut filii Ruben et Gad qui amore capti terrae Galaad respuerunt terram promissionis eligentes sibi habitationem extra felicissimam terram lacte et melle manantem. [19] Nam in terra ista vera felicitas reperiri nullatenus potest; quod quidem multis efficacibus rationibus S a l o m o n in suo *Ecclesiaste* probat dicens quod omnia, quae in mundo reperiuntur, sunt non vera bona, sed umbrae larvaeque bonorum verorum: *Vanitas vanitatum et omnia vanitas... Vanitas et afflictio spiritus,* [20] sive pastus venti. Vento utique et aere satiari et pasci est velle in mundo hoc felicitate vera donari: *Filii hominum, usquequo gravi corde? Usquequo gloria mea contemptui, diligetis vanitatem, quaeretis mendacium?* [21] Usquequo peccabimus in coelum spernendo bona coelestia? Peccat in aliquam nobilissimam, pulcherrimam ditissimamque dominam qui eam accipere in uxorem contemnit, quaerens accipere turpissimam quandam aethiopem, illius praestigiis dementatus ac veluti Circe venenis infectus et ex homine in bestiam miserabili metamorphosi commutatus [22] tanquam alter Nabuchodono-

Caveamus ergo ne terrenorum vanitatum amore

veram felicitatem contemnamus:

13) Ms.: *Unus* bis ponitur. 14) Mt 24, 40-41. 15) Lc 17, 34. Vulg.: *Et alter relinquetur.* 16) Cf. Mt 25, 1-12. 17) Cf. 4 Rg 20, 13; Is 39, 2. 18) Cf. 3 Rg 10, 1-13; 2 Par 9, 1-2. 19) Cf. Nm 32, 1 sqq. 20) 1, 2-14; 12, 8. 21) Ps 4, 3. Ex hebraico. 22) Nota est de Circe fabula, ex Homero *Odyss.*, lib. 10, vrr. 234-243, quae Ulissis socios in sues mutavit. Cf. etiam Cicero *Divin.*, *In Q. Caecilium*, vol. 2, col. 71; Hyginus *Fabulae*, fab. 125, pag. 30.

sor :[23] *Homo, cum in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus et similis factus est illis.*[24] Contempsit Adam lignum vitae et concupivit lignum scientiae boni et mali suasu antiqui serpentis,[25] ac sic peccavit et ex homine in bestiam veluti conversus fuit.

etsi enim laboriosum sit iter ad hanc consequendam, maxima tamen erit retributio.

Ne spernamus, fratres mei, gloriam paradisi, quam nobis hodie Christus ostendit, labore territi ascensus montis, sed consideremus quod, post laborem sex dierum, perveniemus ad aeternam sabbati quietem, ad felicitatem aeternam. O homo, o frater, tu laboras in mundo et nimium laboras ; sed si potes labore tuo gloriam coelestis regni tibi acquirere bonaque sempiterna, cur non pro his laboras ? Cur magis eligis vana fictaque bona quam vera ? lutum potius quam aurum ? fel potius quam mel ? Cur vitium magis quam virtutem ? peccatum quam gratiam ? mundum quam Deum ? satanam quam Christum ? infernum quam paradisum ?

Sicut Christus quamvis exterius multa pateretur, interius semper beatissimus fuit,

O frater, si potes paradisum habere et in hac praesenti et in futura vita, cur renuis ? Habent servi Dei, o fratres, paradisum intra seipsos : *Regnum Dei intra vos est ;*[26] *Beati pauperes spiritu . . . beati mites . . . beati* etiam *qui patiuntur persecutionem propter iustitiam.* Sunt omnes servi Dei sicut Christus, qui interius beatissimus erat, etsi exterius multa patiebatur, unde non fuit miraculum ut ostenderet hodie gloriam suam ; miraculum fuit quod non semper ostendit. Miraculum esset si lumen positum intra crystallinam laternam ex purissimo crystallo factam, non emicaret. Anima Christi lux erat solari multo splendidior, corpus autem veluti laterna ex purissimo crystallo ; quare maximum miraculum fuit quod non semper facies eius sic splenduit sicut hodie, semper enim Christus interius beatus fuit, sicut in sanctuario Domini semper erat sancta sanctorum, quod paradisi hieroglyphicum erat. Sic, sic, inquam, veri servi Dei etiam in hoc mundo magna utique intus in anima et corde felicitate gaudent, gustantes quam suavis sit Dominus[27] et quam magna est multitudo divinae dulcedinis, quam Deus abscondit timentibus se,[28] gustantes manna absconditum, cibati manna in deserto.[29] Hinc Petrus

sic servi Dei non tantum in futuro, sed et in praesenti in semetipsis magna felicitate gaudent.

23) Cf. Dn 4, 19-30. 24) Ps 48, 13. 21. 25) Cf. Gn 3, 1-6. 26) Lc 17, 21. 27) Cf. Ps 33, 9. 28) Cf. Ps 30, 20. 29) Cf. Ex 16, 14 sqq.; Sap 16, 20-21; Apc 2, 17.

hodie ait : *Domine, bonum est nos hic esse,* [30] *bonum* simpliciter, quia omne bonum : *Ego ostendam tibi omne bonum.* [31] O igitur, fratres mei, si possumus etiam in hoc mundo omni bono frui, Deus enim bonum est quo per caritatem fruimur, cur renuimus ? Cur propter carnes Aegypti renuimus manna coeli ? [32]

IV. Fratres mei, *per multas* procul dubio *tribulationes oportet nos introire in regnum Dei,* [33] nam : *Oportuit pati Christum et ita intrare in gloriam suam.* [34] Post multum laborem et sudorem, quem passus fuit in ascensu montis, transfiguratus fuit. Hinc in hodierno Evangelio legimus dixisse Christum Apostolis : *Nemini dixeritis visionem, donec Filius hominis a mortuis resurgat.* [35] Fit mentio mortis et resurrectionis, passionis et felicitatis, poenae et gloriae. Passio et mors est montis ascensus, resurrectio transfiguratio gloriosa. Sed inquit Apostolus quod *momentaneum et leve tribulationis nostrae . . . aeternum nobis gloriae pondus operatur in coelis.* [36] Id quod patimur momentaneum est respectu aeternitatis ; sicut enim terra respectu coeli punctum est, ita omne tempus respectu aeternitatis *momentaneum et leve : Iugum enim meum suave est et onus meum leve ;* [37] *Invenietis requiem animabus vestris ;* [38] *Ego reficiam vos.* [39] Hinc : *Non sunt condignae passiones huius temporis ad futuram gloriam quae revelabitur in nobis.* [40] Passio temporalis et momentanea et levis, gloria autem aeterna et infinita.

Exemplo suo docet Christus tribulationes viam esse ad coelum;

quod autem patimur hic breve est, sed quod gustabimus aeternum erit;

Et si quid patimur in hoc mundo propter Deum, ipse Deus nobiscum est : *Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum et glorificabo eum ;* [41] ipse consolatur nos : *Benedictus Deus et Pater Domini nostri Iesu Christi, Pater misericordiarum et Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra.* [42] Rubus Moysi ardebat et non comburebatur, quoniam Deus ibi erat ; [43] tres pueri nil passi fuerunt in fornace, [44] Daniel in lacu leonum, [45] Moyses proiectus in flumen, [46] Hebraei in deserto. [47] Hinc Petrus ait : *Domine, bonum est*

et dum patimur Deus ipse nobiscum est, qui in tribulationibus nostris omni nos consolatione replet.

30) Mt 17, 4. 31) Ex 33, 19. Vulg.: *Ostendam omne bonum tibi.* 32) Cf. Nm 21, 5. 33) Act 14, 21. Vulg.: *Oportet nos intrare,* etc. 34) Lc 24, 26. 35) Mt 17, 9. 36) 2 Cor 4, 17. Vulg.: *Aeternum gloriae pondus operatur in nobis.* 37) Mt 11, 30. 38) Ibid. vr. 29. 39) Ibid. vr. 28. 40) Rom 8, 18. 41) Ps 90, 15. 42) 2 Cor 1, 3-4. 43) Cf. Ex 3, 1-2. 44) Cf. Dn 3, 46-50. 45) Cf. ibid. 6, 16-29; 14, 27-40. 46) Cf. Ex 2, 1-10. 47) Cf. Dt 29, 5; Ps 104, 37.

nos hic esse. Hic, inquit. Ubi, o Petre? In deserto loco, in cacumine montis excelsi, ubi nonnisi asperitas videri solet, ubi nil oculis gratum, nil ad vescendum suave, et tamen inquit: *Bonum est nos hic esse.* Sed quia paradisi gloria ibi cum Christo fruebatur, hinc ait simpliciter: *Bonum* ob maximam spiritus consolationem quam experiebatur.

Sed mundus sui contemptores spernit, quia ignorat magnitudinem gaudii spiritus.

Sed animalis homo non percipit... quae sunt spiritus Dei. [48] Si quis a longe hominem saltantem videret, nec audiret sonum musici instrumenti ad cuius consonantiam ille corpus movet et saltat, saltantem illum reputaret insanum ac mente captum; sed si propius accedens sonum illum audiret, profecto mutaret sententiam diceretque quod saltatio illa ex arte et peritia oritur. Sic utique si quis cernat vitam hominis spiritualis, qui carnem suam cum vitiis et concupiscentiis crucifigat, [49] qui mundum fugiat et omnia quae in eo videntur bona, qui non divitiis delectetur sed paupertate, non honoribus sed humilitate, non deliciis sed asperitate, mirabitur utique, existimabit illum insanum, qui mala praeferat bonis. At si quis propius accederet ut scire posset quae operatur Deus in corde et animo viri spiritualis, mutaret sententiam. Hinc Petrus in loco asperrimo et ubi nullum cernebatur bonum, reperiit gloriam paradisi cum Christo et dixit: *Domine, bonum est nos hic esse.*

In hodierna transfiguratione declaratur Christi divinitas;

V. *Et ecce vox de nube dicens: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: ipsum audite.* [50] Ostendit sacrosanctum hodiernum Evangelium Christum esse unicum Filium Dei. Sicut autem in mundo si quis rex magnus et potentissimus imperator filium haberet, sed occultum, vellet autem eum declarare mundo regnique heredem instituere [51] et regem coronare, sicut David rex Salomonem filium suum regem super universum regnum Israel constituit, [52] illum utique regalibus indumentis indueret aureaque corona coronaret atque praeciperet ut omnes ei fidelitatem iurarent omnesque, maxime vero regni principes, iuramento fidelitatis facto, ei obedirent; sic utique hodie factum est. Erat Christus Filius

48) 1 Cor 2, 14. Vulg.: *Animalis autem homo*, etc. 49) Cf. Gal 5, 24. 50) Mt 17, 5.
51) Ms.: *Instituerem.* 52) Cf. 3 Rg 1, 28-48.

Dei, sed occultus sub forma servi; hodie declarat eum Deus: *Hic est Filius meus dilectus;* induit regalibus indumentis: *Resplenduit facies eius sicut sol, vestimenta autem eius facta sunt alba sicut lux;* [53] praecipit ut omnes obediant ei: *Ipsum audite.*

In sacrosancto autem hodierno Evangelio aperiuntur mysteria, quae rex David Spiritu Sancto afflatus de Christo vaticinatus fuit *Psalmo 2: Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum eius, praedicans praeceptum eius. Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te,* [54] sive, ut Hebraica Veritas habet: *Ego autem constitui regem meum super Sion montem sanctum meum; Dominus dixit ad me: Filius meus es tu.* Ad hunc enim locum allusit Divus Petrus, dum loquens de Christi transfiguratione [ait] quod ad Christum de nube lucida mirabiliter facta fuit vox: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi* bene *complacui: ipsum audite. Et hanc vocem nos audivimus ... cum essemus cum illo in monte sancto; et* adhuc *habemus firmiorem propheticum sermonem, cui bene facitis attendentes tanquam lucernae lucenti in caliginoso loco, donec dies illucescat et lucifer oriatur in cordibus vestris.* [55] Ad *Psalmi,* inquam, vaticinium alludit, ubi etiam in fine *Psalmi* Christus dicitur *Filius Dei:* נַשְּׁקוּ־בַר פֶּן־יֶאֱנַף וְתֹאבְדוּ דֶרֶךְ כִּי־יִבְעַר כִּמְעַט אַפּוֹ אַשְׁרֵי כָּל־חוֹסֵי בוֹ: *Osculamini filium,* sive, *adorate filium;* [56] בַר enim, ut eo in loco dicit Rabbinus Abraham ben Ezra, [57] *filium* significat; sicut in *Proverbiis:* מַה־בְּרִי וּמַה־בַּר בִּטְנִי: *Quid fili mi, et quid, fili uteri mei?* [58] Et sic superius dictus fuit Christus: *Filius meus es tu.* Psalmum autem hunc de Christo interpretati sunt magistri Iudaeorum, sicut Rabbinus Salomon in principio *Psalmi* testatur. [59] Messias igitur futurus erat Filius Dei. Hinc Christus hodie tanquam Filius Dei heres instituitur divinae hereditatis, sicut Isaac unicus fuit

Messias enim futurus erat Filius Dei, sicut David iam vaticinatus fuerat Ps 2,

ad quem etiam Divus Petrus alludit,

et hebraei doctores interpretantur.

53) Mt 17, 2. Cf. supra, Sabbato praec., hom. 2, not. 13, pag. 444. 54) Vrr. 6-7.
55) 2 Petr 1, 17-19. Vulg.: *Cum essemus cum ipso ... quasi lucernae ... elucescat,* etc.
56) Ps 2, 12. Ex hebraico. Ms.: *Nasceku bar pen iecnaph velobdu derech chi iibhar chimhath appo ascre col hosce bo.* 57) Cf. *Biblia Rabbinica,* h. l. 58) 31, 2. Ex hebraico. Ms.: *Mah beri umah bar bithni.* 59) Cf. *Biblia Rabbinica,* h. l.

Abrahami heres, [60] et coronatur rex super universum regnum Dei : *Ipsum audite.*

Transfiguratio Christi post montem conscensum imago fuit transfigurationis eius in mundo post passionem.

VI. Dicet quis : unde et quomodo scire potero Filium Dei esse Christum ? Dico : ex ipsamet transfiguratione; nam in universo mundo transfiguratus est Christus. Ascendit hodie Christus *in montem excelsum,* ergo valde lassus et fatigatus erat cum ad cacumen montis pervenit. Sic autem *transfiguratus est :* fatigatus, lassus ac valde defessus, *resplenduitque facies eius sicut sol.* O mirabilis transfiguratio ! Sed si quis Christum considere' in cruce passionis suae tempore, multo mirabiliorem transfigurationem videbit ; ibi enim erat non tantum lassus et fatigatus, sed etiam flagellatus et crucifixus, tanquam latro et scelestissimus vir ab omnibus habebatur. [61] Nunc autem ab universo fere mundo non solum tanquam homo sanctissimus, sed etiam tanquam verus Deus colitur et adoratur : *Transfiguratus est . . . et resplenduit facies eius sicut sol,* quo nihil est in mundo isto corporeo excellentius et Dei symbolum ac hieroglyphicum est. Quomodo, quaeso, facta est transfiguratio ista ? Quomodo transfiguratus est ? A quo transfiguratus est et in tantam gloriam devenit ? Non a diabolo, quia Christus regnum diaboli destruxit; non a mundo, quia totis viribus christianos persecutus fuit ; ergo a Deo.

colitur enim Christus a fidelibus et adoratur tanquam verus Deus.

Nec tantum facies Christi transfigurata fuit et sicut sol resplenduit, sed etiam *vestimenta . . . facta sunt alba sicut nix,* sive *lux.* Per vestimenta autem Christi designatur Ecclesia et maxime ii qui proxime Christo adhaeserunt. Hinc apud Isaiam iusti et fideles dicuntur *cingulum Christi : Et erit iustitia cingulum lumborum eius et fides cinctorium renum eius.* [62] Sic, inquam, Apostoli Christi, cum ignobiles ac despecti essent viri, ad summam, in hoc etiam mundo, gloriam devenerunt, ut a summis etiam regibus eorum reliquiae adorentur et in eorum honorem et gloriam per singulos annos solemnissima festa celebrentur.

Sicut autem Christus ita eius fideles transfigurantur in mundo, et homines ignobiles post mortem in mundo tantopere honorantur.

VII. Deinde Christus Dominus noster quod Filius sit Dei testimonium habet a Moyse et Elia, a lege et Prophetis. Profecto mirum

60) Cf. Gn 21, 10. 61) Cf. Mt 26, 47-27, 1 sqq.; Mc 14, 43-15, 1 sqq.; Lc 22, 47-23, 1 sqq.; Io 18, 12-19, 1 sqq. 62) 11, 5.

est quod nullum sit vitae Christi mysterium quod a lege et Prophetis non habeat testimonium. Tandem ex ipsis Christi operibus et actibus, quae in sacrosancto hodierno Evangelio sunt: *Assumpsit... duxit... in montem excelsum... accessit... tetigit... dixit* atque *praecepit.*[63] Haec opera sunt quae divinam plane Christi virtutem testantur.

Ex ipsis actibus Christi significatur hodie eius divinitas:

Assumpsit homines, vocando eos a saeculo et saecularibus affectionibus trahendo eos ad se. Abstrahere homines a mundo, elevare a terra, ut non diligat homo terrena, mundana et saecularia bona, ut vitia et peccata relinquat, destruere idololatriam opus est Dei, solius est divinae potestatis auferre a corde hominum amorem saeculi et vitiorum idola in universa terra destruere.

a) *assumpsit* enim homines vocando eos a saeculo et trahendo ad se;

Duxit... in montem excelsum, in montem sanctum, in montem excelsae sanctitatis, altissimae perfectionis vitae. Mons excelsus est Ecclesia ratione fidei, spei et caritatis, quarum virtutum solus Deus in Christo finis est et obiectum. Mons excelsus est religio: *Si vis perfectus esse, vade, vende* omnia *quae habes et da pauperibus.*[64] Sic multi, relictis omnibus saecularibus bonis propter Christi amorem, arctissimas ingrediuntur Religiones, ut Deo vacent, in continuis orationibus et contemplationibus vitam caelibem ducentes et in coelis perpetuo conversantes. Et tandem ducere homines ad gloriam paradisi opus est solius divinae potestatis. In signum autem quod Christus homines, qui illum sequuntur, ad coelestem gloriam ducat, electos suos etiam in hac vita quodammodo beatificat. Hinc Petrus ait: *Domine, bonum est nos hic esse. Bonum est*, paradisum hic reperimus, hic ergo maneamus.

b) *duxit* eos in montem, mons autem significat sanctitatem Ecclesiae et status religiosi perfectionem;

Praeterea *accessit* ad cor et mentes hominum, ut pura fide crederetur caritateque super omnia diligeretur ac coleretur. *Tetigit* tactu manus, excitavit. Operatio miraculorum tangit cor admiratione, quae ad fidem animum excitat. *Dixit* verba sanctissima ac purissima: coelestis divina doctrina; Christi enim sapientia, humanitus minime acquisita, plane supernaturalis et divina fuit, sicut et sapientia Salomonis, sapientiam enim Salomon non humanitus acquisivit, sed divinitus accepit.[65]

c) *accessit* ad cor et mentem eorum fide et caritate;
d) *tetigit* operando miracula;
e) *dixit* manifestando divinam sapientiam;

63) Mt 17, 1-9. 64) Ibid. 19, 21. *Omnia* lect. cod. 65) Cf. 3 Rg 3, 5-13; 2 Par 1, 7-12.

f) praecepit ut praedicarent mundo fidem in Crucifixum, pro qua etiam mortem subierunt;

Tandem *praecepit*. Sunt Christi praecepta sanctissima ac perfectissima : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo . . . et proximum*, etc.[66] In praeceptis legis Christi nulla est penitus macula, nullum vitium, nulla imperfectio, sed omnis virtus omnisque perfectio. *Praecepit* discipulis suis ut praedicarent mundo hominem crucifixum et mortuum in cruce inter duos latrones scelerosos, tertia die resurrexisse a mortuis, ascendisse in coelum, sedere ad dexteram Dei, esse Filium Dei, regem coeli, imperatorem Angelorum, auctorem omnium bonorum, sicut sol in hoc mundo corporeo, et implere mundum universum hac fide ! O miraculum infiniti stuporis ! Quomodo non erubuerunt praedicare, imo loqui de homine summa cum infamia et ignominia suspenso cum latronibus in ligno ? Quis est tam verus amicus, imo frater, imo pater etiam amantissimus qui non erubescat loqui de filio tam turpi morte extincto ? Et discipuli Christi non tantum non erubuerunt, sed ausi sunt tanta cum fiducia et animi magnitudine hoc praedicare, ut sanguinem vitamque prodigerent et universo fere mundo hoc persuadere praedicatione et martyriorum constantia vitaeque sanctitate et taliter persuadere, ut universus mundus, relictis diis quos ante coluerat antiquissimaque religione, Christum crucifixum tantummodo adorandum colendumque susceperit !

conversio autem mundi ad fidem Christi tale est miraculum, ut vix comprehendi possit Deum maius facere posse.

Miraculum profecto tale ac tantum istud est, ut nec Deus ipse maius miraculum facere posse vix comprehendi possit hac Christi transfiguratione in mundo. Si Deus humana lingua loqueretur, quid maius persuadere posset hominibus ? quod homo crucifixus tanquam scelestissimus latro, sit potentia, sapientia, bonitate, sanctitate, maiestate et gloria aequalis omnipotenti Deo ? Non posset profecto Deus maius quid persuadere hominibus, etiam si de coelo locutus fuisset, sicut cum legem dedit in Horeb.[67]

Sicut duplex est Christi transfiguratio: una in hoc mundo, altera in paradiso,

VIII. Sicut autem duplex est Christi transfiguratio : quaedam in mundo in oculis hominum et altera in paradiso in oculis Angelorum et Sanctorum Dei – nam Christus transfiguratus est in oculis discipulorum et in oculis Moysi et Eliae, qui beatam vitam extra hunc mundum ducebant, – transfiguratio in hoc mundo et in Ecclesia est

66) Mt 22, 37-39; Mc 12, 30; Lc 10, 27. 67) Cf. Ex 19, 1 sqq.

per fidem, nam qui prius putabatur homo peccator, nunc creditur sanctus, Deus, et sic adoratur et colitur ab Ecclesia universum per orbem; transfiguratio autem per gloriam in paradiso est, quia ex mortali et passibili in carne factus est immortalis et impassibilis; sic etiam duplex est hominis transfiguratio: una quidem per gratiam, dum homo iustificatur et fit ex peccatore iustus et sanctus, cum exuit *veterem hominem cum actibus suis* [68] et novum induit *qui secundum Deum creatus est in iustitia et sanctitate;* [69] altera vero est transfiguratio per gloriam, cum transit homo a terra in coelum, a mundo ad Christum, ab Ecclesia militante ad triumphantem, a deserto in terram promissionis.

sic duplex est etiam transfiguratio hominis: una per fidem in hac vita, altera per gloriam in futura;

Pendet autem transfiguratio haec posterior a priori, sicut gloria a gratia, praemium a merito, merces a labore. Hinc Christus prius transfiguratus fuit coram Apostolis, deinde *visi* fuerunt *in maiestate* Moyses et Elias et *nubes lucida obumbravit eos.* [70] Ad priorem autem transfigurationem duo vel maxime necessaria sunt: montem excelsum conscendere, contemnendo terrena et aspirando ad coelestia bona, et orationi operam dare, nam: *Dum oraret,* inquit, *facta est species... eius altera,* [71] etc. Necesse est autem ut haec transfiguratio incipiat ab interioribus ad exteriora, nam prius, inquit, *resplenduit facies eius* et postea *vestimenta... facta sunt alba.* In sole experimur lumen et calorem. Cum anima fuerit illuminata in intellectu [per fidem] et calida in voluntate per caritatem, hinc morum elegantia oritur et ornamentum externarum virtutum vitaque [72] exemplaris et conspicua. Nos felices si montem hunc conscenderimus et orationi, ut par est, operam demus! Hoc est quod in *Canticis* legimus: *Vadam ad montem myrrhae et ad collem thuris,* et statim sequitur: *Tota pulcra es, amica mea, et macula non est in te:* [73] ecce transfiguratio. Sed unde hoc? Quoniam manebat sponsa in monte myrrhae per carnis mortificationem mundique contemptum, et in colle thuris per orationem.

sed posterior a priori pendet,

quam homo consequitur studio orationis et carnis mortificatione.

68) Col 3, 9. 69) Eph 4, 24. 70) Mt 17, 5; Lc 9, 31. 71) Lc 9, 29. Vulg.: *Facta est, dum oraret,* etc 72) Ms.: *Vitaeque.* 73) 4, 6-7.

III. ALIA HOMILIA

Assumpsit Iesus Petrum et Iacobum et Ioannem fratrem eius et duxit eos in montem excelsum scorsum, etc. [1]

In hodierna transfiguratione ostendit Dominus electis gloriam regni sui.

I. Ostendit hodie Dominus electis suis gloriam regni sui. Sicut Ezechias nunciis regis Chaldaeorum ostendit omnes thesauros domus suae,[2] et sicut Assuerus, celebrato factoque splendidissimo ac solemnissimo convivio, ostendere voluit gloriam domus suae,[3] et sicut Deus formatum hominem *tulit... et posuit eum in paradiso voluptatis,*[4] quoniam homo *ad imaginem et similitudinem Dei*[5] creatus erat; sic Christus hodie homines sibi similes ducit in paradisum non terrestrem, sed coelestem, ubi[6] omnium bonorum copia reperiatur perfectaque felicitas. Ait Petrus: *Domine, bonum est nos hic esse;*[7] *bonum* simpliciter, quia nullum ibi deest bonum quod ad perfectam felicitatem requiratur. Hinc per lucidam nubem designatur; lux autem bonitatis hieroglyphicum est, et empyreum coelum vere lucidissimum est.

Transfiguratur supra montem excelsum, ut significet gloriam suam infinite excedere mundi gloriam,

Ostendit Dominus gloriam suam, sed supra montem et *montem excelsum,* non in loco imo; hoc vero quia mundus hic est ad instar statuae, quam in somnis vidit Nabuchodonosor,[8] et sicut tabernaculum Moysi[9] templumque Salomonis,[10] nec non et indumenta magni sacerdotis,[11] semper enim superiora multo nobiliora et pretiosiora erant; sic in mundo superius elementum inferiori nobilius est, coelum nobilius elementis multoque maius, unde terra coelo comparata punctum est. Sic supra coelum hoc visibile est coelum empyreum, ubi manent Angeli Dei, multo nobilius coelo visibili. In mundo igitur quo substantiae sunt superiores, eo sunt maiores, nobiliores et perfectiores. Sic divina felicitas et gloria maior est sine comparatione omni felicitate et gloria mundana, sicut coelum maius est terra et vita

1) Mt 17, 1. Cf. supra, hom. 1 huius Dom., not. 2, pag. 453. 2) Cf. 4 Rg 20, 12-13; Is 39, 1-2. 3) Cf. Est 1, 1-6. 4) Gn 2, 15. 5) Ibid. 1, 26; 5, 1; 9, 6. 6) Ms.: *Cum* adicitur. 7) Mt 17, 4. 8) Cf. Dn 2, 31-36. 9) Cf. Ex 37, 1-38, 1 sqq. 10) Cf. 3 Rg 6, 2-10. 11) Cf. Ex 39, 1 sqq.

aeterna multo diuturnior vita temporali. Mons igitur excelsus ostendit coelestis gloriae magnitudinem.

Triplicem locum Deus homini praeparavit: uterum matris, propterea dicit Scriptura Divina quod Deus *aedificavit* mulierem,[12] ac si domus futura esset filii nascituri; manet autem homo in domo hac circa novem menses. Alter locus est mundus iste, qui quidem animo hominis angustus est, sicut prior locus corpori, vix enim totus mundus uni tantum sufficit homini, si animi magnitudinem spectemus; hinc Alexander, referente Plutarcho,[13] cum nonnullos disputantes audisset de opinione quorundam philosophorum, qui putaverunt extra hunc mundum innumeros alios esse mundos, suspiravit dicens: Adhuc sunt extra hunc mundum tot mundi alii, et ego adhuc vix unius tantum factus sum dominus! Sic totus mundus animo hominis angustus visus fuit; factus enim dominus universi: *Dominetur piscibus maris et volatilibus coeli et bestiis universaeque terrae,*[14] non fuit sua sorte contentus, sed, diabolo suggerente, divinam gloriam appetiit.[15] Adhuc tertius restat locus tanto excedens magnitudinem animi hominis quanto secundus locus excedit magnitudinem corporis. Hinc cum Petrus in montem hunc excelsum[16] ascendisset, ait: *Domine, bonum est nos hic esse.*

quanto enim mundus excedit magnitudinem corporis et animus magnitudinem mundi, tanto coelum excedit magnitudinem animi.

Designat etiam gloriae magnitudinem tempus, nam: *Post dies sex,* inquit Matthaeus.[17] Post sex autem dies, septimus sabbatum est, quietis dies, cui benedixit Dominus et sanctificavit illum, quia in eo complevit atque perfecit omne opus suum.[18] Sed etiam homo opus Dei septimo die perficietur, ut animo hominis nihil omnino desit; divina enim sanctificatio et benedictio copiam infinitam importat omnium bonorum; hinc Petrus: *Domine, bonum est nos hic esse.*

Transfiguratur in sabbato, ut significet gloriam coeli copiam infinitam esse omnium bonorum.

II. Ostendit Dominus gloriam, sed supra *montem excelsum,* quae nonnisi multis laboribus comparari potest. Quis enim sine labore excelsum montem conscendat? Sed si quis ascenderit, eam consequetur. Saul proposuit praemium percutienti philisthaeum[19] et David

Transfiguratur supra montem, ut ostendat multis laboribus consequendam esse coelestem gloriam.

12) Cf. Gn 2, 22. 13) *Ethica sive Moralia Opera, De tranquillitate et serenitate animi,* pag. 91. 14) Gn 1, 26. Vulg.: *Praesit piscibus, etc.* 15) Cf. ibid. 3, 1-7. 16) Ms.: *Cum repetitur.* 17) 17, 1. 18) Cf. Gn 2, 1-3. 19) Cf. 1 Rg 17, 25-26.

percutienti iebusaeum.[20] Sic praemium proponitur conscendenti montem excelsum. Voluit Isaac benedicere filium suum primogenitum, sed post venationem,[21] quae non fit sine labore. Benedictio autem illa gloriam hanc perpetuamque felicitatem significat. *Duxit eos in montem excelsum.* Vere de hoc monte dicere possumus : *Quam terribilis est . . . locus iste ! Non est hic aliud nisi domus Dei et porta coeli,*[22] sicut dixit Iacob cum vidit gloriam Dei in Bethel.

Nos quoque transfigurari oportet virtutibus, ut simus Christo similes, non autem deformari vitiis, ne diabolo similes reddamur.

Transfiguratus est.[23] Potest et homo transfigurari, ut fiat similis Deo, potest et defigurari, ut fiat similis diabolo. Primum fit ascendendo *in montem excelsum* et orando, vivendo secundum spiritum; alterum descendendo et vivendo secundum carnem. Primum fit acquirendo perfectam gratiam Dei, quae nos coelestes angelos efficit; alterum per peccatum quod nos[24] daemones infernales reddit. Sed si potes, o homo, transfigurari ut sis Christo similis, sicut luna plena soli, cur vis defigurari ut sis diabolo teterrimo similis ? Bone Deus, quam suapte natura desiderabilis est pulcritudo ! Quanta cum diligentia eam emendicant mulieres ! Si se possent ad libitum pulcras facere, quaenam mulier non esset pulcherrima ? Et tamen, cum nos possimus animas nostras pulcherrimas virtutibus facere, Angelis et Deo simillimas, eas tamen turpissimas volumus daemonibus diaboloque ipsi quam similes.

Pulcritudo Dei incomparabilis est

III. *Resplenduit facies eius sicut sol, vestimenta autem eius facta sunt alba sicut nix.*[25] Comparatur hodie facies Christi soli, vestimenta nivi, Moyses et Elias principibus gloriosis, nam *visi* sunt *in maiestate,*[26] locus gloriae monti excelso, locus Dei nubi lucidae. At Deus ipse nulli rei comparatur, imo nec nominatur, sed ait : *Et ecce vox de nube dicens : Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui : ipsum audite.*[27] Quid est quod nulli rei Deus comparatur ? Nihil invenit Evangelista per quod Dei gloriam veluti in speculo demonstraret. Profecto sic ostendit quod Dei gloria omnino ineffabilis et incomprehensibilis est. Sponsa in *Canticis* requisita a filiabus Ierusalem ut diceret qualis esset dilectus suus, respondit : *Dilectus meus*

20) Cf. 2 Rg 5, 8. 21) Cf. Gn 27, 1-4. 22) Ibid. 28, 17. 23) Mt 17, 2.
24) Ms.: *Non.* 25) Mt 17, 2. 26) Lc 9, 31. 27) Mt 17, 5.

candidus et rubicundus.[28] Deinde per partes ostendit pulcritudinem ipsius : *Caput eius aurum optimum, comae* capitis *eius sicut elatae palmarum, nigrae sicut corvus, oculi eius columbarum,... genae eius areolae... consitae a pigmentariis, labia eius lilia,* sive *rosae,... manus eius tornatiles,* sive *orbes aurei pleni hyacinthis, venter eius eburneus, distinctus sapphiris, crura illius columnae marmoreae, quae fundatae sunt super bases aureas,... guttur eius suavissimum.*[29] Sponsum comparavit aliquando pomo mali,[30] quia *candidus et rubicundus ;* aliquando monti Libano : *Species eius,* sive *statura eius ut Libanus. electus ut cedrus ;*[31] caput comparavit auro, capillos corvinis pennis, oculos columbis, genas areolis laudans barbae pulcritudinem, labia rosis, corpus ebori, manus aureis circulis, tibias columnis marmoreis, pedes aureis basibus ; guttur autem nulli rei comparavit, sed dixit : *Guttur eius suavissimum et totus* ipse *desiderabilis,* sive : *Guttur ipsius dulcedines et totus ipse desideria.*[32] Hoc dixit quoniam bonitatem sponsi in dictis et factis exprimere non potuit. Veluti si quis in magna aliqua solemnitate, dum magna cum pompa in aliqua Ecclesia festum celebratur, videns Ecclesiae apparatum, Episcopum cum universo clero, sacerdotes paratos audiatque musicam suavissimam dulcissimumque concentum et harmoniam, si ab amicis petatur de pompa festivitatis, dicet : maxima fuit ; Ecclesia illa videbatur mihi paradisus, Episcopus cum universo clero videbatur Deus cum Angelis, sacerdos canens missam cum ministris videbatur Christus cum discipulis. Fuit ibi praedicator qui habuit concionem et videbatur Divus Paulus praedicare. Sed super omnia ob musicam videbatur mihi esse in paradiso. O qualis musica ! O qualis musica ! Chorus videbatur Angelorum ! Nec aliud dicere novit, etiam si millies milliesque interrogetur : qualis fuit illa musica ? Dulcissima, suavissima, stupendissima. Qualis fuit ? Nescit dicere, sed : musica stupendissima, inquit, fuit. Ita divina gloria, quoniam ineffabilis est, nulli rei hodie ab Evangelista comparatur.

et figuris tantum exprimitur in Sacra Scriptura;

sic divina gloria nulli rei comparari potest.

IV. Ostenditur nobis hodie divina Christi pulcritudo, ut animae nostrae ipsius amore capiantur. Amor enim pulcritudinis deside-

Ostenditur nobis hodie divina Christi pulcritudo,

28) 5, 10. 29) Ibid. vrr. 11-16. Vulg.: *Nigrae quasi corvus, oculi eius sicut columbae... genae illius... manus illius... guttur illius,* etc. et ex hebraico. 30) Cf. ibid. 4, 3; 6, 6. 31) Ibid. 5, 15. Ex hebraico. 32) Ibid. vr. 16. Ex hebraico.

ut ipsius amore capiamur,

rium est. Christus *speciosus* est *forma prae filiis hominum,* [33] tanquam sol inter astra, Ioseph inter filios Iacob, [34] Absalom inter filios David. [35] Sed si quis videre vult divinam hanc pulcritudinem et gloriam vultus Christi, necesse est ut valedicat peccato. Vidit Isaias gloriam Dei, hodiernam hanc Christi gloriam, sed post mortem Oziae regis leprosi. [36] Est peccatum rex leprosus, nam : *Qui facit peccatum servus est peccati.* [37] Nonnisi post mortem regis huius videri potest gloria Domini. Hinc Paulus *ad Romanos* ait: *Non ... regnet peccatum in mortali vestro corpore, ut obediatis concupiscentiis eius.* [38] Ierusalem, quae tot saeculis Messiam expectavit, audito quod natus esset, non fuit laetata, sed turbata, quoniam in ea regnabat impius Herodes ; [39] propterea Christus fugit in Aegyptum nec, nisi defuncto Herode, reversus est in terram Israel ; [40] non enim potest lux cum tenebris simul stare, nec arca Dei cum Dagone. [41] Filii Israel post mortem regis Aegypti, a quo gravissime opprimebantur, clamaverunt ad Dominum et exauditi fuerunt, sicut in *Exodo* legimus, nimium enim, eo vivente, in operibus luti et laterum occupati, vix poterant oculos in coelum attollere et ad Deum suspirare. [42] Sic regnante in nobis peccato, nec contemplari quidem gloriam Domini possumus.

sed eam videre non poterimus nisi prius renuntiemus peccato.

Qualis autem et quanta sit haec gloria ait : *Plena est omnis terra,* idest totus mundus, *gloria eius,* [43] et minima pars ipsius implere potest totum hominis animum, qui infinitae capacitatis in bonorum appetitu videtur ; hoc est : *Ea quae sub ipso erant, fimbriae eius,* extrema pars vestimenti ipsius, *replebant templum,* [44] sicut minimus solis radius totum oculum nostrum implet. Sic Petrus ait : *Domine, bonum est nos hic esse :* ecce templum plenum minima parte gloriae Domini.

Infinita est gloria Domini

Sicut autem quamvis oculus noster luminis et splendoris appetentissimus sit, maximum tamen solis splendorem et candidissimam lucem ferre non potest, etiamsi aquilinus esset, sic quamvis animus noster boni omnis avidissimus sit, divinae tamen bonitatis magnitudinem in gloria ferre vix poterit. Hoc est quod Moyses videns

et nulla creatura infinitum eius splendorem ferre potest.

33) Ps 44, 3. 34) Cf. Gn 37, 2-4. 35) Cf. 2 Rg 14, 25-26. 36) Cf. 4 Rg 15, 5; 2 Par 26, 16-21; Is 6, 1. 37) Io 8, 34. 38) 6, 12. Vulg.: *In vestro mortali corpore*, etc. 39) Cf. Mt 2, 3. 40) Cf. ibid. vrr. 13-21. 41) Cf. 1 Rg 5, 1-5. 42) Cf. 2, 23 sqq. 43) Is 6, 3. 44) Ibid. vr. 1. Ex hebraico.

gloriam Domini in rubo ardenti, operuit pallio faciem suam;[45] similiter Elias in monte sancto Dei Horeb videns gloriam Domini vultum suum operuit.[46] Imo hoc est quod Seraphim operiebant alis facies suas ante conspectum gloriae Domini,[47] veluti ostendentes quod talem ac tantam lucem divinae faciei ferre non poterant; talis est ac tantus splendor divini huius solis!

Maxima ergo puritate opus est ut ad hanc gloriam perveniri possit,

Visa autem gloria Domini, humiliavit se Isaias indignumque ob sua licet minima peccata confessus est; ait enim: *Vae mihi, quia tacui, quia vir pollutus labiis ego sum!*[48] ad ostendendum quod nemo quamvis sanctus, nisi per misericordiam Dei potest hac gloria dignus esse et quod minima etiam peccata vel omissionis, quale est: *Quia tacui* a divinis laudibus, vel commissionis: *Quia vir pollutus labiis ego sum*, per verba otiosa, hominem indignum hac gloria reddunt: *Non* enim *introibit in eum aliquid coinquinatum;*[49] hinc seraphico ministerio purgatus fuit Isaias.[50]

et maxima humilitate.

Et ad hanc gloriam consequendam humilitas summopere necessaria est. Descendat Rebecca de camelo et humilitatis pallio sese operiat, si dulcissimi sponsi sui Isaac nuptiis frui concupiscit in domo ipsius,[51] nam: *Qui se humiliat exaltabitur.*[51*]

Christus declaratur hodie verus Filius Dei, quod est principalis articulus fidei nostrae.

V. *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: ipsum audite.* Agitur in sacrosancto hodierno Evangelio de principali articulo nostrae fidei: quod Christus Dominus noster sit vere Filius Dei et tanquam verus Filius Dei hodie in gloriosa transfiguratione declaratur, sicut Divus Petrus, qui divino huic spectaculo praesens adfuit, postea praedicavit dicens: *Non enim indoctas fabulas secuti notam fecimus vobis Domini nostri Iesu Christi virtutem et praesentiam, sed speculatores facti illius magnitudinis. Accipiens enim a Deo Patre honorem et gloriam, voce ad eum delapsa huiuscemodi a magnifica gloria: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi* bene *complacui: ipsum audite. Et hanc vocem nos audivimus de coelo allatam, cum essemus cum ipso in monte sancto. Et habemus firmiorem propheticum sermonem, cui bene facitis attendentes quasi lucernae lu-*

Idem Divus Petrus testatur

45) Cf. Ex 3, 3-6. 46) Cf. 3 Rg 19, 12-13. 47) Cf. Is 6, 2. 48) Ibid. vr. 5.
49) Apc 21, 27. Vulg.: *Non intrabit in eam aliquod*, etc. 50) Cf. Is 6, 6-7.
51) Cf. Gn 24, 64-66. 51*) Lc 14, 11; 18, 14.

centi in caliginoso loco, donec dies illucescat et lucifer oriatur in cordibus vestris. [52]

alludens ad vaticinium David, qui Messiam dicit Filium Dei verum et naturalem;

Alludit autem Divus Petrus ad vaticinium quod est in *Psalmo 2: Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te,* [53] ubi Christus ostenditur Filius Dei, non adoptivus per gratiam, sed verus per naturam, verus Deus. Hinc in fine *Psalmi* dicitur iuxta hebraicum: *Adorate filium, ne forte irascatur et amittatis viam,* quoniam, *cum exarserit quasi modicum ira eius, beati omnes qui confidunt in eo.* [54]

idem Divus Ioannes praedicat in initio Evangelii sui docens Christi Dei aeternitatem, coaequalitatem et consubstantialitatem,

De hoc autem Filio Dei tria praecipit fides: ut credamus quod sit Patri coaeternus, quod sit coaequalis et quod sit consubstantialis, unius eiusdemque substantiae atque naturae. Tria haec de eo docet et praedicat Ioannes in initio Evangelii sui: *In principio erat Verbum et Verbum erat apud Deum et Deus erat Verbum.* [55] *In principio erat:* aeternitas, *et Verbum erat:* coaequalitas, *et Deus erat Verbum:* consubstantialitas. Haec tria docet Paulus *ad Hebraeos: Multifarie multisque modis olim Deus loquens patribus in Prophetis, novissime diebus istis locutus est nobis in Filio, quem constituit heredem universorum, per quem fecit et saecula; qui cum sit splendor gloriae et figura,* sive *character, substantiae eius portansque omnia verbo virtutis suae, purgationem peccatorum faciens,*

sicut et Divus Paulus

sedet ad dexteram maiestatis in excelsis; tanto melior Angelis effectus, quanto differentius prae illis nomen hereditavit. Cui enim Angelorum aliquando dictum est: Filius meus es tu, ego hodie genui te? [56] Docet aeternitatem: *Qui cum sit splendor gloriae:* si aeternus fuisset sol, aeternus fuisset radius; si lux aeterna, et splendor. Docet aequalitatem: *Figura,* sive *character substantiae eius:* figura sigilli impressa in cera aequalis est ipsi sigillo, et imago faciei in speculo optimo aequalis est ipsi faciei, sic tanquam aequalis *sedet ad dexteram maiestatis in excelsis;* alibi etiam clarissimis verbis Paulus docuit aequalitatem hanc: *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo.* [57] Tandem consubstantialitatem

52) 2 Petr 1, 16-19. Vulg.: *Voce delapsa ad eum . . . elucescat,* etc. *Indoctas* legitur in veteribus editionibus Vulg., cf. *Biblia Lovaniensis.* In posterioribus autem iussu Clementis VIII recognitis emendatum fuit: *Doctas.* 53) Vr. 7. 54) Ibid. vr. 13. Cf. supra, pag. 471. 55) 1, 1. 56) 1, 1-5. Vulg.: *Multifariam . . . cui enim dixit aliquando Angelorum,* etc. Phil 2, 6.

docet: *Cui enim Angelorum aliquando dictum est: Filius meus es tu, ego hodie genui te?*

Ratione horum trium Christi generatio apud Michaeam dicitur plurali numero: *Egressus eius, egressiones eius ab initio, a diebus aeternitatis.* [58] In naturalibus enim quaedam est generatio coaeterna generanti, ut generatio radii solaris et generatio splendoris a luce; quaedam coaequalis, ut generatio ignis, aequalis enim caloris et virtutis est ignis genitus cum igne generante; quaedam consubstantialis, ut generatio rivi a fonte, unius enim eiusdemque substantiae atque naturae est aqua fontis et aqua rivi. Sed in nulla rationali generatione simul reperiri possunt omnes hae conditiones: divina et supernaturalis. Propterea sicut in Divinis Scripturis Deus dicitur *Domini,* [58a] quia in se omnem complectitur dominationis gradum, qui reperiri potest, et Divina Potentia dicitur *potentiae: Introibo in potentias Domini,* [59] quia omnes in se complectitur creatas potentias; sapientia dicitur *sapientiae* [60] et *thesauri sapientiae et scientiae divitiaeque,* [61] quia omnem complectitur scientiam; aeternitas *aeternitates: In perpetuas aeternitates,* [62] quia omnes simul complectitur mundi aetates, omnia tempora; sic generatio ista dicitur *generationes,* quia omnes complectitur nobilium generationum modos.

et Michaeas propheta.

Sic igitur intelligendum est quod ait: *Hic est Filius meus dilectus:* Filius unicus, Filius naturalis, Filius mihi coaeternus, coaequalis et consubstantialis; *Filius meus dilectus* infinito amore, quoniam Patri per omnem modum simillimus est eademque simpliciter Patris substantia atque natura; *In quo mihi bene complacui:* mihi in omnia ac per omnia semper gratissimus, quoniam suapte natura mihi simillimus, unicus pulcherrimus optimusque et mei amantissimus, ita ut in eo omnes sint rationes amoris et complacentiae; ideo: *Ipsum audite:* ipsi obedientiam omnem, quae mihi debetur, praestate, ipsi fidem iurate; ipsum enim supra universum regnum meum, sicut

Ideo Pater cum declarat Filium suum dilectum

regemque et doctorem universi,

58) 5, 2. Textus Hebraicus: וּמוֹצָאֹתָיו. 58a) Cf. Dt 10, 17: וַאֲדֹנֵי; Mal 1, 6: וַאֲדוֹנִים; et generalim אֲדֹנָי de Deo pluraliter dicitur in S. Scriptura; cf. Sanctes Pagnini *Thesaurus Linguae Sanctae,* sub radice: אָדָן. 59) Ps 70, 16. 60) Cf. Prv 1, 20; 9, 1: חָכְמוֹת; cf. Sanctes Pagnini *Thesaurus Linguae Sanctae,* sub radice: חָכַם.

61) Cf. Rom 11, 33; Col 2, 3. 62) Dn 12, 3.

David Salomonem regem,[63] constituo, ipsi meam omnem confero potestatem, omnem gloriam, omnem honorem meum et maiestatem.

quia per omnia sibi conequalis, quamvis humilis et mortalis homo videretur.

Hinc sequitur quod gloria, quae hodie in Christi facie splendet, talis et tanta est, qualis et quanta est tota Dei gloria, infinitis partibus maior omni gloria paradisi, omni gloria omnium simul Angelorum et Sanctorum Dei, sicut lux solis maior est omni simul lumine omnium astrorum. *Ipsum audite,* quoniam ipse *est Filius meus* mihi per omnia aequalis potentia, sapientia, bonitate, aeternitate, gloria, honore et maiestate: *Hic.* « O magnum mysterium et admirabile sacramentum! »[64] *Hic* qui vobiscum est, qui nonnisi homo humilis, pauper, passibilis et mortalis videtur, sicut quilibet alius homo, *est Filius meus,* humanitate veluti larvatus et personatus. Si princeps filius regis et imperatoris larvatus incedat sub persona pauperis, non agnoscetur nisi declaretur. *Hic,* ait summus Rex, Imperator et Monarcha universi, *est Filius meus dilectus,* qui mihi est paradisus deliciarum: *In quo mihi bene complacui,* in quo sunt omnes thesauri gloriae meae, omnes thesauri deliciarum mearum; *Ipsum audite,* ipsum Dominum regemque vestrum constituo.

Cum Christus Deus sit, ei obedire debemus,

VI. *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: ipsum audite.* Nullam assignat causam Pater cur Christo praestanda sit obedientia, quoniam sicut Deus per seipsum diligendus est, ita Christus per seipsum colendus et adorandus. Praemium autem obedientiae huius gloria paradisi est, nam propterea Moyses et Elias visi sunt in gloria et maiestate una cum Christo, quoniam servi fuerunt Christi.

qui, cum Deus esset, amore nostri homo fieri voluit, ut nos exaltaret.

Sed quid est quod postquam *in montem excelsum* ascendit, transfiguratus est Christus? Hoc mysterium est: *A summo coelo egressio eius et occursus eius usque ad summum eius;*[65] *Exivi a Patre et veni in mundum, iterum relinquo mundum et vado ad Patrem;*[66] Qui ascendit ipse est et qui *descendit... in inferiores partes terrae.*[67] Divinam hanc gloriam semper Christus possedit, hinc ait: *Clarifica me... Pater... claritate, quam habui priusquam mundus fieret, apud*

63) Cf. 3 Rg 1, 28-48. 64) Breviarium Rom. in Nativitate Domini ad Mat., respons. 4 lect. 65) Ps 18, 7. 66) Io 16, 28. 67) Eph 4, 9.

te. [68] Ab aeterno fuit *in forma Dei*, aequalis Deo in omnibus et per omnia ; sed descendens de coelo *exinanivit semetipsum formam servi accipiens.* [69] Ad quid ? Ut assumeret Petrum et Iacobum et Ioannem et duceret eos *in montem excelsum*, qui paradisum significat. Hinc ibi ostenditur gloria paradisi. Facile reperitur dominus, qui exaltet servum et benefaciat servo, sed non qui se humiliet et mala patiatur multa ad servum exaltandum et beneficiis afficiendum.

Eius gloria hodie nobis ostenditur, ut libentius eum sequamur eique obediamus;

Assumpsit Iesus Petrum et Iacobum et Ioannem fratrem eius et duxit eos, etc. Si post gloriosam hanc transfigurationem Christus iterum assumpsisset hos Apostolos in eundem montem, procul dubio multo libentius montem conscendissent, cum Petrus dixerit : *Domine, bonum est nos hic esse.* Ideo igitur ostenditur nobis gloria Christi ut libenter eum sequamur eique obediamus. Hi sunt effectus vivae fidei : Christum sequi eique obedire tanquam unigenito Filio Dei. Sed quoniam non omnes fidem hanc habent, ideo non omnes salvantur. Tres tantum Apostolos, quartam partem discipulorum duxit Christus in montem hunc, ad designandum quod vix quarta pars fidelium salvatur ob defectum vivae fidei. Hinc quarta pars seminis fructum fecit, [70] et quartus tantum fluvius paradisi terrestris, Euphrates f r u g i f e r , [71] pervenit ad terram promissionis. [72]

sed quia pauci sunt qui veram fidem habent, pauci sunt qui salvantur.

68) Io 17, 5. Vulg.: *Mundus esset. Fieret* lect. cod. 69) Phil 2, 7. Vulg.: *Semetipsum exinanivit*, etc. 70) Cf. Mt 13, 3-8; Mc 4, 3-8; Lc 8, 5-8. 71) Sic latine interpretatur Euphrates. 72) Cf. Gn 2, 14; 15, 18.

FERIA SECUNDA DOMINICAE SECUNDAE QUADRAGESIMAE

Fides, spes et caritas vita sunt animae; mortuus ergo est qui his virtutibus destitutus est.

I. Sicut sensus et potentiae omnes animae nostrae sua habent obiecta: visus colorem, auditus sonum, olfactus odorem, gustus saporem, tactus elementorum qualitates tum primas tum secundas, intellectus verum, voluntas bonum, appetitus famelicus ac sitibundus cibum et potum; omnis etiam scientia habet suum obiectum: physica, mathematica, metaphysica; sic omnes virtutes gratiae, quae spiritus et vita animaque est animae nostrae: caritas divinam bonitatem, spes aeternam in paradiso felicitatem, fides summam Christi veritatem. Et sicut caecus est qui non videt lucem, surdus qui non audit, insensatus et stupidus qui non sentit, moritur tandem qui convenientem cibum non sumit; ita plane damnationi et morti aeternae est proximus qui Deum non diligit, qui aeternam felicitatem non sperat, qui in Christum non credit: *Moriemini in peccato vestro, nisi credideritis quia ego sum;* [1] *Ego vado, et quaeretis me et in peccato vestro moriemini.* [2]

Ego vado, et quaeretis me et in peccato vestro moriemini, et quo ego vado, vos non potestis venire, etc. [3]

Ostendit hodie Christus causam salutis se esse omnibus in ipsum credentibus.

II. Est Christus mysticus ille aeneus serpens a Moyse in deserto exaltatus, quem cum morsi ab ignitis serpentibus fixis oculis intuerentur, divina utique virtute a mortis faucibus sanabantur, extincto letiferi veneni mortali ardore. [4] Sic Christus ait: *Sicut Moyses exal-*

1) Io 8, 24. Vulg.: *Si . . . non credideritis quia ego sum, moriemini in peccato vestro.*
2) Ibid. vr. 21. 3) Pericope huius diei Io 8, 21-29. Cf. Missale Rom. 4) Cf. Nm 21, 6-9.

tavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis, ut omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam aeternam. Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret. [5] Et ad hoc mysterium alludit Christus in sacrosancto hodierno Evangelio dicens: *Cum exaltaveritis Filium hominis, tunc cognoscetis quia ego sum.* [6] Ubi declarat Christus per sanitatem illam intelligendam esse vitam aeternam, per intuitum illum fidem et per serpentem ipsummet Christum tanquam verum fidei obiectum. Sic hodie Christus fidei obiectum se esse ostendit dicens: *Moriemini in peccatis vestris, nisi credideritis quia ego sum.*

Sicut in homine multa sunt consideranda tum in corpore tum in anima, et in natura multa sunt entium genera,

Sicut autem in homine, quamvis una natura sit, quoniam tamen duplici constat substantia et est veluti universi compendium, multa consideranda sunt in corpore: membra interna et externa, partes homogeneae et heterogeneae, intestina atque sensoria; in anima tot potentiae et vires: vegetativae, sensitivae, motivae et rationales; tot actiones: internae et externae; sicut in mundo hoc, quamvis unus sit, multa sunt entium genera: simplicia et composita elementa, coeli, astra, Angeli, homines, animalia, plantae, metalla, lapides et meteora; ita in Christo multa utique credenda sunt. Sunt enim duodecim fidei articuli veluti duodecim signa coeli, duodecim menses anni et duodecim horae diei, veluti duodecim filii patriarchae Iacob, [7] duodecim tribus Israel, [8] duodecim lapides pretiosi in *Rationali* summi sacerdotis, [9] duodecim panes propositionis, [10] duodecim lapides extracti ex alveo Iordanis ex quibus aedificatum fuit altare, [11] duodecim vituli sustentantes mare aeneum, [12] duodecim leunculi throni Salomonis, [13] duodecim stellae in corona coelestis mulieris [14] et duodecim fundamenta ac portae coelestis civitatis Ierusalem; [15] sic in sacrosancto hodierno Evangelio duodecim utique proponuntur de Christo credenda.

sic in Christo multa sunt credenda, quae hodie ad duodecim capita reducta proponuntur:

a) quod sit Deus,
b) Filius Dei,

Primum quod ipse sit Deus: *Nisi credideritis quia ego sum; Tunc cognoscetis quia ego sum;* [16] hoc autem proprium Dei est nomen: *Ego sum qui sum.* [17] Secundum quod sit Filius Dei: *Non co-*

5) Io 3, 14-16. 6) Ibid. 8, 28. 7) Cf. Gn 35, 22-26. 8) Cf. ibid. 49, 28. 9) Cf. Ex 39, 14. 10) Cf. Lv 24, 5. 11) Cf. Ios 4, 3-8. 12) Cf. 3 Rg 7, 44; 2 Par 4, 15. 13) Cf. 3 Rg 10, 20; 2 Par 9, 19. 14) Cf. Apc 12, 1. 15) Cf. ibid. 21, 14. 16) Io 8, 28. 17) Ex 3, 14.

c) creator universi, d) factus homo, e) manens Deus, f) sanctissimus natura, g) sanctissimus vita, h) cuius doctrina verissima,

gnoverunt quia Patrem eis dicebat Deum; [18] *Ego de supernis sum.* [19] Tertium, quod sit Deus omnium rerum creator: Ego *principium, qui et loquor vobis.* [20] Quartum, quod a Patre missus fuit in mundum per incarnationem: *Qui me misit verax est.* [21] Quintum, quod veniens in mundum non fuit separatus aut divisus a Patre: *Qui me misit mecum est et non reliquit me solum.* [22] Sextum, quod homo factus fuit absque ullo peccato, sed *sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus:* [23] *Vos de mundo hoc estis, ego non sum de hoc mundo.* [24] Septimum, quod eius vita quoad opera fuit sanctissima: *Ego quae placita sunt ei facio semper.* [25] Octavum, quod eius doctrina verissima: *Qui me misit verax est et ego quae audivi ab eo, haec loquor in mundo,* [26] et: *A meipso facio nihil, sed sicut docuit me Pater, haec loquor.* [27] Nonum, eius mors: *Cum exaltaveritis Filium hominis;* quod mortuus est pro salute mundi in remedium peccati, sicut serpens aeneus positus fuit in antidotum contra venenum; itemque quod eius mors voluntaria fuit: *Ego vado, et quaeretis me.* Decimum, eius resurrectio et ascensio in coelum: *Quo ego vado, vos non potestis venire,* quia *vos de deorsum estis, ego de supernis sum; vos de mundo hoc estis, ego non sum de hoc mundo.* [28] Undecimum, quod iudex est mundi: *Multa habeo de vobis loqui et iudicare;* [29] et duodecimum, quod largitor est vitae aeternae credentibus, pereuntibus in aeternum non credentibus: *Si... non credideritis quia ego sum, moriemini in peccato vestro; Ut omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam aeternam.* Haec omnia utique credenda sunt de Christo.

i) mortuus pro salute mundi, l) resuscitatus et in coelum ascendit, m) iudex sit constitutus, n) largitor vitae et perditionis.

Horum mysteriorum multae figurae inveniuntur in Sacra Scriptura sub numero duodenario.

III. Hi sunt duodecim lapides pretiosi in *Rationali* summi sacerdotis et duodecim portae coelestis civitatis Ierusalem ac duodecim boves sustentantes mare aeneum. Et duodecim quidem lapides distincti erant in quattuor ordines, quorum quilibet continebat tres gemmas; [30] similiter duodecim boves sic erant dispositi quod tres respiciebant orientem, tres occidentem, tres aquilonem et tres au-

18) Io 8, 27. Sic legitur in veteribus editionibus Vulg., cf. *Biblia Lovaniensis.* In posterioribus autem iussu Clementis VIII recognitis emendatum fuit: *Patrem eius,* etc.
19) Ibid. vr. 23. 20) Ibid. vr. 25. *Ego principium,* legitur in Breviario Rom. hac Feria, antiph. ad *Benedictus.* 21) Ibid. vr. 26. 22) Ibid. vr. 29. 23) Hebr 7, 26. 24) Io 8, 23. 25) Ibid. vr. 29. 26) Ibid. vr. 26. 27) Ibid. vr. 28. 28) Ibid. vr. 23. 29) Ibid. vr. 26. 30) Cf. Ex 39, 10-14.

strum;[31] pari modo duodecim portae civitatis supernae, tres erant ab occidente, tres ab aquilone et tres ab austro;[32] sicut etiam duodecim signa coeli, tria praecipue sunt orientalia, tria occidentalia, tria aquilonaria et tria australia, quemadmodum et duodecim venti, tres spirant ab oriente iuxta triplicem ortum solis in aequinoctio, in solstitio aestivali et in solstitio hiemali, tres item ab occidente iuxta triplicem occasum respondentem triplici ortui, tres item ab aquilone, et tres ab austro; sicut et duodecim menses in quattuor sunt tempora distincti, quorum tres sibi vindicat ver, tres aestas, tres autumnus et tres hiems.

Sic fides sacraque theologia, quae universa fidei mysteria pertractat, in quattuor est divisa partes. Prima tractat de Deo quatenus Deus unus et trinus; secunda de Deo quatenus auctor naturae et creator mundi; tertia de Deo quatenus Redemptor humani generis et aedificator Ecclesiae militantis; et quarta quatenus ipse Deus glorificator est electorum suorum, quos ab aeterno praedestinavit, et constructor est Ecclesiae triumphantis. Christus vero et Deus est verus, et verus mundi creator, Redemptor et Salvator.

Sicut theologia universa fidei mysteria pertractans, in quattuor partes dividitur,

Et quoad primum de Christo credenda sunt tria quae illis verbis docuit Ioannes: *In principio erat Verbum et Verbum erat apud Deum et Deus erat Verbum.*[33] Sunt autem aeternitas et cum Patre coaeternitas, personalis aequalitas et coaequalitas, naturalis substantia et consubstantialitas. Aeternitas: *In principio*, ante mundi constitutionem, ante creationem coeli et terrae, *erat*, non factum est, non creavit, sicut: *In principio creavit Deus coelum et terram,*[34] sed *erat*, fuit semper, sicut semper fuit Deus; personalis subsistentia et coaequalitas: *Erat apud Deum*, persona Patri aequalis; naturalis substantia: *Et Deus erat Verbum.* Quoad secundum item tria: infinita potentia, infinita sapientia et infinita bonitas. Sic enim Christus mundi principium est: *Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil, quod factum est;*[35] et sicut creavit, sic et conservat suaque providentia gubernat regitque omnia: *Qui operatur omnia in omnibus,*[36] attingens omnia a fine usque ad finem dulciter suaviterque disponens omnia:[37] terrena et coelestia, visibilia et invisibilia. Quoad

sic omnia mysteria de Christo credenda ad quattuor capita reducuntur, singula autem tripartita: *a*) eius cum Patre coaeternitas, coaequalitas et consubstantialitas; *b*) eius infinita potentia, sapientia et bonitas;

31) Cf. 3 Rg 7, 25. 32) Cf. Apc 21, 13. 33) 1, 1. 34) Gn 1, 1. 35) Io 1, 3. 36) 1 Cor 12, 6. 37) Cf. Sap 8, 1.

c) eius incarnatio, vita et mors; d) eius resurrectio, in coelum ascensio et ad iudicium finale adventus.

tertium item tria : incarnatio, vita et mors cum praedicatione Evangelii, operatione miraculorum et institutione Sacramentorum, ad instruendam fidem, ad fulciendam spem et ad conferendam caritatem tribuendamque gratiam. Et quoad quartum similiter tria : resurrectio a mortuis, ascensio in coelum et adventus ad iudicium, ad dandam iustis vitam aeternam, improbis vero reprobisque aeterna supplicia, sicut hodie ait : *Si ... non credideritis quia ego sum, moriemini in peccato vestro.*

Haec omnia nobis credenda sunt de Christo, quia haec fides est salutis initium,

IV. Haec igitur omnia credenda sunt nobis de Christo, ut sit anima nostra veluti coelestis illa mulier in coelo supra lunam posita, sole amicta, duodecim hisce stellis coronata : *Signum magnum apparuit in coelo : mulier amicta sole et luna sub pedibus eius et in capite eius corona stellarum duodecim.* [38] Mulier haec anima sancta est tribus theologicis virtutibus ornata : *amicta sole,* induta caritate, quae inter septem virtutes est sicut sol inter septem planetas ; *luna sub pedibus eius,* per spem et expectationem coelestium aeternorumque futurorum bonorum spernens terrena, praesentia, temporalia ; *et in capite eius corona stellarum duodecim,* sertum fidei duodecim habens articulos. Sed fides in capite ponitur, quoniam est salutis initium : *Fides est substantia sperandarum rerum, argumentum non apparentium;* [39] *Beati qui non viderunt et crediderunt.* [40]

cui hodie promittitur praemium vitae aeternae, si cum operibus coniuncta sit,

Huic autem fidei Christus proponit hodie praemium vitae aeternae : *Si ... non credideritis quia ego sum, moriemini in peccato vestro,* hoc est a contrario sensu : Si credideritis, vivetis in aeternum : *Ut omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam aeternam. Reportantes,* inquit Divus Petrus, *finem fidei vestrae, salutem animarum vestrarum.* [41] Sic dixit Christus samaritano mundato a lepra : *Fides tua te salvum fecit ;* [42] sic peccatrici sanctificatae : *Fides tua te salvam fecit, vade in pace.* [43]

sicut Christus ipse docet laudans fidem

Non tamen fides sine operibus, nam : *Sicut ... corpus sine spiritu mortuum est, ita ... fides sine operibus mortua est ;* [44] *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, caritatem autem non habuero, nihil*

38) Apc 12, 1. 39) Hebr 11, 1. Vulg.: *Est ... fides sperandarum substantia rerum,* etc.
40) Io 20, 29. 41) 1 Petr 1, 9. 42) Lc 17, 19. 43) Ibid. 7, 50.
44) Iac 2, 26.

sum.[45] Dixit Christus samaritano mundato a lepra: *Fides tua te salvum fecit;* sed non erat sola fides, siquidem reversus fuit et dedit gloriam Deo: *Reversus... cum magna voce magnificans Deum.*[46] Sic peccatrix sanctificata audivit a Christo: *Fides tua te salvam fecit;* sed non erat sola fides: *Dimittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum;*[47] *Stans retro secus pedes* Domini *lacrimis coepit rigare pedes eius et capillis capitis sui tergebat et osculabatur pedes eius et unguento ungebat.*[48] Sic *magnam* dixit Christus *fidem* chananaeae ex magna caritate, perseverantia et humilitate;[49] *magnam fidem* centurionis ob virtutes consimiles.[50] Et mulier coelestis *habens in utero clamabat parturiens et cruciabatur ut pareret,* sed tandem *peperit filium masculum,* qui *raptus est... ad thronum* Dei.[51] Omnis anima fidelis studens facere voluntatem Dei, fit etiam mater Christi,[52] quem divinitus fide coelestibusque inspirationibus conceptum caritate et sanctis desideriis fovens, parere nititur per opera perfectae virtutis.

leprosi, peccatricis, chananaeae et centurionis,

ideo bene figurata per mulierem *Apocalypsis.*

Haec fides viva et purifica qua Deus purificat corda hominum, est salvificus serpentis aenei intuitus; ubi ostenditur venenum quoddam mortale ac letiferissimum esse peccatum, propter quod et diabolus in forma venenosi serpentis tentavit primos parentes suoque infecit peccati veneno.[53] Christus vero antidotum est contra hoc venenum medelaque saluberrima, remedium potentissimum, efficacissimum et certissimum. Sed fides est sumere hanc medelam, hanc theriacam. Quid enim prodest homini, qui letifero veneno infectus est, praesentaneum habere remedium, nisi illud sumat? Sic Christus non credentibus nihil prodest: *Nisi credideritis quia ego sum, moriemini in peccato vestro.*

Haec fides viva salvat et purificat, quia Christus remedium est efficacissimum contra peccatum.

In peccato, inquit, *vestro,* quia unum tantummodo peccatum mortale sufficit ad damnandum hominem: *Si quis... totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus.*[54] Sic ob unum peccatum damnatus fuit angelus,[55] ob unum peccatum homo a paradiso eiectus.[56] Sufficit una tantum veneni potio ad hominem in-

Unum tantum peccatum sufficit ad aeternam damnationem,

45) 1 Cor 13, 2. 46) Lc 17, 15. Vulg.: *Regressus,* etc. 47) Ibid. 7, 47. Vulg.: *Remittuntur ei,* etc. 48) Ibid. vr. 38. 49) Cf. Mt 15, 28. 50) Cf. ibid. 8, 10. 51) Apc 12, 2-5. Vulg.: *In utero habens ... ut pariat.* 52) Cf. Mt 12, 50. 53) Cf. Gn 3, 1-8. 54) Iac 2, 10. Vulg.: *Quicunque ... totam, etc.* 55) Cf. 2 Petr 2, 4; Iud vr. 6. 56) Cf. Gn 3, 6 sqq.

sed vera fides omne excludit peccatum.

terimendum. Si igitur venenum a diabolo propinatum sumpsimus, sumamus a Deo propositum antidotum, theriacam salutarem, vere credendo in Christum fide *quae per* dilectionem et *caritatem operatur*, [57] fide qua *credidit Abraham Deo et reputatum est illi ad iustitiam.* [58]

Hinc cernitur magnum fidei beneficium, qua post peccatum homo salvari potuit, sed non Angelus.

Credamus et credendo a peccatis abstineamus, et hoc sufficit ad salutem nostram; si enim post acceptam gratiam Baptismi, qua originale peccatum deletum est, nunquam mortaliter peccaverimus, profecto salvi absque omni dubio erimus; alioquin quid prodest si, sumpto remedio contra venenum, iterum atque iterum resumamus venena? Procul dubio omne venenum infert mortem: *Nisi... credideritis quia ego sum*, etc. Magnum fidei beneficium quod Deus quidem nobis, non Angelis peccantibus fecit! Sicut enim cum duo servi in Pharaonem peccaverint, unum tamen damnavit, alterum vero salvare voluit, [59] sic Deus non angelum sed hominem salvare voluit, hunc autem potione veneni ex iustitia, sed offerens antidotum ex misericordia.

His verbis Christus ostendit se mortem subiturum sponte, non coacte,

V. *Ego vado, et quaeretis me et in peccato vestro moriemini*, et *quo ego vado, vos non potestis venire.* Sicut Philisthaei odio habebant Samsonem eumque ad mortem quaerebant, ita Iudaei Christum. Sed sicut Samson voluntarie et sua sponte, cum ipse voluit, mortuus fuit, [60] ita etiam Christus: *Oblatus est quia ipse voluit,* [61] et hoc est quod ait: *Ego vado* ad mortem mea sponte, sicut sol ad occasum suapte natura. Quaerebant Iudaei Christum interficere, [62] unde *miserunt principes et Pharisaei ministros ut comprehenderent Iesum;* [63] quibus ipse ait: *Adhuc modicum tempus vobiscum sum et vado ad eum qui misit me. Quaeretis me et non invenietis et ubi ego sum vos non potestis venire.* [64] Sic modo Christus videns Iudaeos volentes apprehendere ait: *Ego vado.* Ante haec verba autem immediate ait Evangelista quod nemo apprehendit eum, *quia nondum venerat hora eius.* [65] Volebant quidem apprehendere atque occidere, sed non permittebantur, quia nondum advenerat dies et hora mortis Christi

et hora a Deo praefixa, non ab eius inimicis quaesita.

57) Gal 5, 6. 58) Gn 15, 6; Rom 4, 3; Iac 2, 23. 59) Cf. Gn 40, 5-22.
60) Cf. Idc 15, 1-16, 1 sqq. 61) Is 53, 7. 62) Cf. Io 5, 18; 7, 1. 63) Ibid. 7, 32. Vulg.: *Ut apprehenderent eum.* 64) Ibid. vrr. 33-34. Vulg.: *Qui me misit,* etc.
65) Ibid. vr. 30.

a Deo praefixa, vanusque semper fuit omnis Iudaeorum conatus, quo ante praefixum a Deo diem Christum voluerunt occidere. Hinc ait Christus: *Ego vado* ad mortem, ut tunc moriar quando ego ipse voluero; quare vanus est omnis vester conatus, non enim poteritis contra me quicquam facere, nisi quod ego volo et etiam quando volo. *Ego vado,* quia *potestatem habeo ponendi* animam meam *et . . . iterum sumendi eam.* [66]

VI. *Ego vado et quaeretis me et in peccato vestro moriemini.* Prophetice loquitur Christus et de futuro Iudaeorum interitu tum temporali in Ierosolymorum excidio et perpetua captivitate, tum aeterno, quo filii regni eiciendi erant in tenebras exteriores, vaticinatur. [67] *Ego vado, ego* qui *sum lux mundi* [68] et *sol iustitiae,* [69] *vado* vobisque tenebras ignorantiae et infidelitatis relinquam, sicut sol occidens mundo nostroque huic hemisphaerio discedens tenebras noctemque relinquit. Hinc accidet ut quaeratis me; qui enim verum Messiam requirit, Christum requirit, quoniam Christus est verus Messias, Hebraei autem verum Messiam expectant et quaerunt: *Statim veniet ad templum* sanctum *suum Dominator, quem vos quaeritis, et Angelus testamenti, quem vos vultis.* [70] Sed *quaeretis,* inquit, *me et non invenietis,* sicut qui quaerunt thesaurum, quem cum invenerint non agnoscentes, spretum relictumque non invenient amplius, cum mox alii agnitum thesaurum abstulerint eoque ditati fuerint; et quia non invenietis me, cum inventus fuero a Gentibus – ait enim: *Inventus sum a non quaerentibus me; palam apparui his qui me non interrogabant,* [71] – *moriemini in peccato vestro,* in peccato, inquam, infidelitatis et perfidiae: *Sine fide autem impossibile est placere Deo,* [72] *Iustus* enim *ex fide vivit.* [73] Mori autem est aeternam vitam non consequi, nam: *Quo ego vado,* inquit, *vos non potestis venire.* Ego enim ascendam in coelum, [74] quo vos ascendere minime potestis, quoniam *de deorsum estis* et *de mundo hoc estis, ego* vero *de supernis sum, non sum de hoc mundo,* [75] ideo ego possum in coelum ascendere, vos autem non

Vaticinatur etiam Iudaeorum temporalem et aeternum interitum,

conversionem Gentium ad fidem,

et suam futuram in coelum ascensionem.

66) Ibid. 10, 18. 67) Cf. Mt 8, 12. 68) Io 8, 12. 69) Mal 4, 2. 70) Ibid. 3, 1. 71) Rom 10, 20. 72) Hebr 11, 6. 73) Hab 2, 4; Rom 1, 17; Hebr 10, 38. 74) Cf. Io 3, 13. 75) Ibid. 8, 23. Ordine inverso affert hunc vr.

potestis, sicut potest flamma ignis sursum ascendere, non autem gleba terrae aut massa plumbi.

Declarat insuper in coelum ascendere non posse corpus terrenum, nec peccatum,

Duas assignat causas Christus quare non possunt homines in coelum ascendere: una ex parte naturae, altera ex parte culpae. Ex parte naturae: *Vos de deorsum estis.* Primus homo dictus est *Adam,* [76] idest terrenus: *Formavit* enim *Dominus Deus hominem de limo terrae;* [77] ait etiam: *Donec revertaris in terram, de qua sumptus es, quia pulvis es et in pulverem reverteris;* [78] *Primus homo de terra terrenus;* [79] non potest autem terra suapte natura sursum in coelum ascendere. Altera ex parte culpae: *Vos de mundo hoc estis, de mundo hoc,* qui *totus in maligno positus est;* [80] *de mundo,* in quo omne quod reperitur est *concupiscentia carnis... concupiscentia oculorum et superbia vitae;* [81] *de mundo hoc,* qui Deum *non cognovit;* [82] *de mundo hoc,* de quo Christus Apostolis ait: *Si de mundo fuissetis, mundus quod suum erat diligeret, quia vero de mundo non estis – sicut et ego non sum de mundo,* [83] *– propterea odit vos mundus.* [84] *De mundo hoc* factus fuit Adam, cum peccavit et, relicto spretoque aeterno et incommutabili bono, ad commutabile et corruptibile conversus fuit.

peccatum enim suapte natura gravissimum pondus est.

Has duas rationes alibi Ioannes expresserat: *Qui est de terra, de terra est et de terra loquitur;* [85] *de terra est* quoad naturam *et de terra loquitur* quoad affectum inordinatum terrenorum, nam: *Ex abundantia... cordis os loquitur.* [86] Per peccatum autem, quod suapte natura gravissimum pondus est, Angeli, qui coelestis erant et non terrenae naturae, prolapsi sunt in profundum abyssi. Quomodo ergo homo [87] gravissimo hoc onere gravatus ultra gravitatem terreae naturae ascendere poterit in coelum?

Solus Christus, quia homo coelestis, in coelum ascendere potuit,

Quo ego vado, vos non potestis venire, quia *vos de deorsum estis, ego de supernis sum; vos de mundo hoc estis, ego non sum de hoc mundo; Secundus homo de coelo coelestis;* [88] *Nemo ascendit in coelum, nisi qui descendit de coelo, Filius hominis, qui est in coelo.* [89] Solus ergo Christus potest suapte natura in coelum ascendere, quoniam de supernis est et non est de hoc mundo, siquidem: *Verbum caro factum*

76) Gn 5, 2. 77) Ibid. 2, 7. 78) Ibid. 3, 19. 79) 1 Cor 15, 47. 80) 1 Io 5, 19. 81) Ibid. 2, 16. 82) Io 17, 25. 83) Ibid. vr. 16. 84) Ibid. 15, 19. 85) 3, 31. 86) Mt 12, 34; Lc 6, 45. 87) Ms.: *Homines.* 88) 1 Cor 15, 47. 89) Io 3, 13.

est ... plenum gratiae et veritatis. [90] Nos vero, quoniam *de plenitudine eius ... omnes accepimus ... gratiam pro gratia, quia lex per Moysen data est, gratia et veritas per Iesum Christum facta est,* [91] supernaturali hac Christi virtute, quam per fidem consequimur, poterimus in coelum si non ascendere, saltem assumi et duci, nam : *Ascendens in altum captivam duxit captivitatem.* [92] Sic enim et corpus Christi assumptum fuit in coelum : *Assumptus est in coelum et sedet a dextris Dei.* [93] Hinc ait : *Dixi ergo vobis quia moriemini in peccatis vestris ; si ... non credideritis quia ego sum, moriemini in peccato vestro,* idest : Vitam aeternam in coelo consequi nullo modo [94] sine fide cum possitis, profecto aeterna morte peribitis non credentes, sicut veneno peribant Hebraei omnes in deserto ab ignitis serpentibus morsi, qui in serpentem aeneum non aspiciebant, [95] et omnes homines perierunt qui in arcam Noe ingressi minime fuerunt. [96]

sicut in anima omnes ascendent qui credunt in eum.

VII. *Vos de deorsum estis, ego de supernis sum ; vos de mundo hoc estis, ego non sum de hoc mundo.* Magna est differentia inter coelum et terram, inter solem et lunam, inter aquam et ignem, inter aestatem et hiemem, diem et noctem, lucem et tenebras, paradisum et infernum, Angelos et daemones, Deum et diabolum ; sic inter Christum et mundum hunc impium, qui *totus in maligno positus est,* inter Filium Dei et filios diaboli, inter Christum et antichristum ipsiusque membra, impios, inquam, reprobos, peccatores mundi.

Sicut magna differentia est inter coelum et terram, sic inter Christum et mundum;

Divisit ab initio Deus lucem a tenebris et aquas superiores ab inferioribus. Sic enim Moyses in sua cosmopoeia mundanae fabricae opus in tres partes distinxit : in opus creationis, distinctionis et ornatus : *In principio creavit Deus coelum et terram :* [97] ecce primum ; *Vidit Deus lucem quod esset bona, et divisit lucem a tenebris.* [98] *Et fecit Deus firmamentum divisitque aquas quae erant sub firmamento ab aquis quae erant supra firmamentum ;* [99] et iterum : *Congregentur aquae, quae sub coelo sunt, in locum unum, et appareat arida :* [100] ecce secundum ; et tandem tertia die ornavit terram plantis, [101] quarta

et sicut in creatione mundi Deus maximum servavit ordinem in operum dispositione,

90) Ibid. 1, 14. 91) Ibid. vrr. 16-17. 92) Eph 4, 8. 93) Mc 16, 19. 94) Ms.: *Nullo peccato,* loco: *Nullo modo.* 95) Cf. Nm 21, 6-9. 96) Cf. Gn 7, 21 sqq. 97) Ibid. 1, 1. 98) Ibid. vr. 4. 99) Ibid. vr. 7. Vulg.: *Ab his quae erant super firmamentum.* 100) Ibid. vr. 9. 101) Cf. ibid. vrr. 11-13.

coelum astris,[102] quinta aquam piscibus et aerem avibus,[103] sexta tandem mundum animalibus et homine.[104] Sed praecessit opus distinctionis ornatum mundi, quia ubi nullus ordo, sed perturbata confusio, ibi nullum potest esse ornamentum, sicut in unaquaque substantia tria cum sint: essentia, virtus et operatio, sive esse, posse et operari, virtus praecedit operationem, sicut causa effectum, sicut in homine esse praecedit secundum naturam vivere, vivere autem sentire, sentire vero intelligere; sic ab hoc ordine et naturali distinctione oritur ornamentum mundi ex varietate rerum.

voluit tamen omnes creaturas varietate et natura inter se differre.

Hinc Deus non omnes plantas, herbas, frutices, arbores unius generis fecit, non omnia animalia, omnes pisces, omnes aves unius speciei. Sic in terra multos variosque produxit lapides et metalla, in coelo multas stellas et valde differentes, nam: *Stella . . . differt a stella in claritate: alia est claritas solis, alia claritas lunae et alia claritas stellarum.*[105] Hinc Deus soli dedit dominium diei, lunae et stellis dominium noctis;[106] et has quidem stellas fecit maiores, illas minores; has altiores, illas inferiores; has splendidiores, illas pallidiores.

sicut inter se Angelorum hierarchias et hominum conditiones;

In Angelis quoque posuit hierarchiarum et ordinum distinctionem; sicut et in hominibus diversi sunt hominum status: hi nobiles, illi ignobiles; hi divites, illi pauperes; hi domini, illi servi; et maxima quidem differentia est inter summum regem, imperatorem et monarcham universalem et inter viles plebeios vilissimaque mancipia.

ita summa differentia est inter Christum et homines peccatores, qui nunquam cum Christo ascendent, quia terreni.

Sic summa est differentia inter Christum, qui summus est rex, imperator et monarcha universi, et inter homines peccati servos et diaboli mancipia. Hinc ait: *Vos de deorsum estis, ego de supernis sum; vos de mundo hoc estis, ego non sum de hoc mundo.* Ego, inquit, coelestis sum, vos autem terreni; ego divinus, vos autem mundani. Differt Christus ab impiis peccatoribus multo magis quam coelum a terra; coelum quidem semper in motu est, terra vero semper immobilis: *Ego vado:* ecce motus; *vos non potestis venire:* ecce immobilitas naturalis; coelum altum, terra ima infimaque: *Vos de deorsum estis, ego de supernis sum;* coelum superelementaris ac simplicissima natura, terra elementaris ac impurissima: *Vos de mundo hoc estis,*

102) Cf. ibid. vrr. 14-19. 103) Cf. ibid. vrr. 20-23. 104) Cf. ibid. vrr. 24 sqq. Cf. S. Thomas, *S. Theolog.*, 1ᵃ, q. 65, introduct. 105) 1 Cor 15, 41. 106) Cf. Gn 1, 16-18.

ego non sum de hoc mundo immundo et impuro; coelum principium omnis generationis et vitae, terra principium omnis corruptionis et mortis: Ego *principium*, vos *in peccato vestro moriemini*. Sicut item coelum pater est diei et fons omnis lucis, terra autem mater noctis et omnium tenebrarum origo, sic Christus fons gratiae, mundus autem fons peccati. Sicut item coelum locus est paradisi, terra autem sedes inferni, sic Christus rex gloriae, mundus vero esca inferni; Christus lux, mundus tenebrae; Christus templum Dei, mundus delubrum diaboli. Quod si nos non Christi membra, sed mundi, ac saeculi huius, non lucis filii fuerimus,[107] profecto non poterimus ire quo Christus vadit: *Quo ego vado, vos non potestis venire*, tum ratione naturae, quia *vos de deorsum estis*, tum ratione culpae, quae massa est plumbi missa in os amphorae, ut in spiritu vidit Zacharias:[108] *Vos de mundo hoc estis;* omne autem grave suapte natura deorsum tendit, non sursum.

Ut ergo cum Christo ascendere possimus, eius membra per gratiam oportet nos esse.

Quo ego vado, vos non potestis venire. Aliquid impossibile pluribus utique dicitur modis. Primo, ratione naturalis impotentiae, uti non possunt gravia sursum tendere et animal sine alis non potest volare. Secundo, ratione privationis, uti non potest caecus videre, surdus audire, mortuus vivere. Tertio, secundum statum, ut infans unius diei non potest loqui, ambulare, uti ratione et intellectu; sic pauperes non posse dicuntur facere quae faciunt divites. Quarto, dicitur impossibile ratione magnae difficultatis, ut quod homo crassae Minervae[108a] evadat in scientiis et disciplinis perfectus vir. Quinto, dicitur impossibile secundum virtutem legemque iustitiae, aequitatis et decentiae, ut quod iudex non potest damnare innocentem et absolvere reum. Sexto, dicitur impossibile ratione temporis vel loci, ut quod artifex aedificet palatium uno tantum die, aut super aquam in medio maris. Septimo, tandem, impossibile dicitur secundum essentiam, uti quippiam simul esse et non esse. Et sic multa legimus in Divinis Scripturis posse vel non posse fieri, ut docet Gregorius Nazianzenus 4 *De Theologia*.[109] Hoc autem loco intelligitur primo et secundo modo, secundum naturalem impotentiam et privationem: *Vos de deor-*

Duplici ratione igitur peccatores non ascendent in coelum: secundum naturalem impotentiam, quia natura terreni, et secundum privationem, quia fide et caritate destituti.

107) Cf. Lc 16, 8. 108) Cf. 5, 7-8. 108a) Alludit ad proverbium: « Crassa, vel pingui Minerva », quod dicitur de hominibus ingenii rudioris et impoliti. Cf. Horat. *Satyrae*, lib. 2, satyr. 2, vr. 3; P. Mannuccius *Adagia*, col. 63. 109) P. G. 36, 113-118.

sum estis, haec est naturalis impotentia; *vos de mundo hoc estis*, idest privati divina gratia et caritate fideque viva, sine qua *impossibile est placere Deo.*[110]

Christus Iudaeis nomen eius petentibus respondet sicut Deus Moysi respondit idem quaerenti,

VIII. *Dicebant ergo ei : Tu quis es? Dixit eis Iesus : Principium, qui et loquor vobis.*[111] Sicut[112] patriarcha Iacob, postquam luctatus fuit cum Angelo, petiit ab eo quodnam esset nomen eius : *Dic mihi*, inquit, *quo appellaris nomine?*[113] sic cum Christus disputans altercatus fuisset cum Iudaeis, petunt illi : *Tu quis es?* Et quidem Angelus ibi non manifestavit nomen suum Iacobo, sed dixit : *Quid quaeris nomen meum?*[114] Sicut Angelus, qui apparuit parentibus Samsonis, interrogatus a Manue de suo nomine dixit : *Quid quaeris nomen meum quod est admirabile?*[115] Christus tamen respondet Iudaeis : Ego *principium, qui et loquor vobis.* Cum Moyses primo Deum vidit in ardenti rubo sibi[116] apparentem, petiit ab eo divinum nomen, cui Dominus : *Ego sum qui sum;*[117] *Ego* ens primum quod est ens unum suapte natura beatum; sic et Christus : Ego, inquit, *principium, qui et loquor vobis.* Et in sacrosancto hodierno Evangelio bis Christus alludit ad mysterium Moysi revelatum : *Nisi credideritis quia ego sum... Tunc cognoscetis quia ego sum.*[118] Et quidem qui apparuit Moysi Christus fuit, qui est Dominus et Angelus Domini : *Statim veniet ad templum sanctum suum Dominator, quem vos quaeritis, et Angelus testamenti, quem vos vultis.* Hinc potest etiam intelligi : Ero qui ero; Filius enim Dei, cum verus esset Deus, futurus erat homo. *Ego sum qui sum*, ait Deus, et : Ego sum *principium*, ait Christus; et idem est : Ego sum *principium*, et : *Ego sum qui sum.* Sicut enim sol, quia suapte natura lucidus est primumque lucidum, solus dici lucidus potest, cetera vero illuminata, ut luna, et solus ignis calidus, cetera vero calefacta, sic Deus solus dicitur ens, cetera vero entia

quia Christus verus Deus est,

ideo primum ens, independens, aeternum, infinitum, unum et purissimum,

110) Hebr 11, 6. 111) Io 8, 25. 112) In margine haec adiecta fuerunt: « Sicut necesse est ut omnis domus ac quodvis aedificium ab aliquo architecto et fabricatore constructum sit, omnis enim effectus a sua causa dependet, omne flumen a suo fonte, omnis radius diurnus a sole, omnis arbor a sua radice, omnis fructus a suo arbore, sic magna domus ista, mundus iste universus a Deo creatus est: *In principio creavit Deus coelum et terram*, magna domus cuius pavimentum terra, muri cetera elementa quae ad coelum usque pertingunt, tectum coelum, fenestrae luminaria. *Omnia* autem *per* Christum *facta sunt : Ego principium* ».
113) Gn 32, 29. 114) Ibid. Vulg.: *Cur quaeris*, etc. 115) Idc 13, 18. Vulg.: *Cur quaeris ... quod est mirabile?* 116) Ms.: *Subi.* 117) Ex 3, 14. 118) Io 8, 24-28.

facta, quia ipse primum est ens. Quod si primum, independens etiam et aeternum infinitumque ac infinitae perfectionis unumque simplicissimum et purissimum. Et necesse quidem est unum ens esse aeternum, quod nunquam coeperit esse, alioquin enim nullum esset ens; si enim nulla causa, nullus poterit esse effectus. Si ergo nullum fuit ens ab aeterno, nullum utique esset ens nunc in tempore. Istud autem ens aeternum Deus est. Hinc ait: *Ego sum qui sum*, fons totius esse creati, hinc: Ego *principium*, graece est: Τὴν ἀρχὴν ὅ τι καὶ λαλῶ ὑμῖν,[119] ubi *principium* non est in primo[120] casu nominandi, ut etiam [docet] Divus Augustinus tract. 38 *in Ioannem*,[121] sed in quarto accusandi, et ipse quidem Augustinus refert ad verbum credendi, ut cum Dominus dixerit: *Si ... non credideritis quia ego sum, moriemini in peccato vestro*, Iudaei audientes dixerunt: *Tu quis es?* idest: Quem te aut quid esse credemus? Tunc Dominus menti eorum respondens ait: *Principium*, quia *loquor vobis*. Alii vero putant τὴν ἀρχὴν[122] adverbium esse, idem valens ac sane, omnino, prorsus; sic Chrysostomus,[123] Theophylactus,[124] et Euthymius[125] asserentes Christum Iudaeis tanquam indignis responsionem negare declarantem quisnam ipse esset. Nonnus graecus auctor similiter tanquam adverbium interpretatur,[126] sed ut sitidem ac ab initio, a principio. Sic enim Graecis frequenter usurpatur, et *Genesi* 43 graece τὴν ἀρχὴν legimus[127] loco adverbii prius, sive primo, ubi hebraice est: בַּתְּחִלָּה,[128] *in principio*. Sic etiam habent Septuaginta Interpretes *Genesi* 13,[129] ubi idem est hebraice; et forte hoc verbo usus est Christus, quamvis etiam uti potuerit verbis רֵאשִׁית[130] et etiam רִאשֹׁנָה.[131] Nonni igitur sententia est ut Christus respondeat Iudaeis interrogantibus: *Tu quis es?* dicens: Τὴν ἀρχὴν ὅ τι καὶ λαλῶ ὑμῖν,[132] idest: Sum quod ab initio vobis dixi.

ut exponunt Sancti Patres verba haec Christi interpretantes.

119) Ms.: *Tin archin o ti che lalo imin.* 120) Ms.: *Est* bis ponitur. 121) P. L. 35, 16-81. 122) Ms.: *Tin archin*, et infra. 123) *In Ioannem Hom.* 53, (P. G. 59, 293). 124) *Enarrat. in Evang. Ioannis*, ibid. 124. 19. 125) Euthymius Zigabenus *Comment. in Ioannem*, ibid. 129, 1287. Ms.: *Euthychius.* 126) *Paraphrasis in Ioannem*, (P. G. 43, 818). 127) Vr. 18. Cf. Lud. Van Ess *Vetus Testamentum Graecum* iuxta Septuaginta Interpretes, h. l.
128) Ms.: בתחלה, *battechilla.* 129) Vr. 3. 130) Ms.: *Rescith*, יאשית.
131) Ms.: *Rissonah*, ראשנה. 132) Ms.: *Tin archin oti che lalo imin.*

His ergo verbis Christus divinitatem suam declaravit, qua vere principium et auctor est mundi,

Siquidem paulo ante dixerat Christus : *Ego sum lux mundi ; qui sequitur me non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitae,* [133] quasi dixerit : Dixi iam vobis et in praesentiarum etiam dico me lucem mundi esse, viam, veritatem, vitam et salutem mundi. Quid iterum petitis quidnam sim petitisque principium ? Quomodocunque autem intelligatur, sive secundum graecam lectionem sive secundum latinam, quam Hieronymus intactam reliquit [134] et Ambrosius ubique sic legit [135] aliique Patres Latini, [136] Christus his verbis divinitatem suam ostendit, qua vere principium et auctor est mundi : Ego *principium.*

sicut appellatur etiam in *Apocalypsi* et in Isaia,

Sic in *Apocalypsi* Christus pluries de seipso dixit : *Ego sum A et Ω, principium et finis;* [137] *Ego sum A et Ω, initium et finis ;* [138] et : *Ego sum A et Ω, primus et novissimus, principium et finis.* [139] Sicut Deus apud Isaiam saepe seipsum dixit *principium et finem, primum et novissimum : Ego Dominus, primus et novissimus ego sum;* [140] *Ego primus et ego novissimus et absque me non est Deus ;* [141] itemque : *Ego ipse ego primus et ego novissimus. Manus . . . mea fundavit terram et dextera mea mensa est coelos.* [142]

principium utique naturae, gratiae et gloriae,

Deus est principium et prima causa mundi per creationem ; Christus autem verus est Deus, ideo ait : Ego *principium,* principium utique naturae, principium gratiae et principium gloriae. Principium naturae, quoniam : *Mundus per ipsum factus est ;* [143] *Omnia per ipsum facta sunt ;* [144] principium gratiae : *Ipse est caput corporis Ecclesiae, qui est principium ;* [145] principium gloriae : *Sum A et Ω, principium et finis ; Qui est principium creaturae Dei.* [146] Ego *principium* illud in quo *Deus creavit coelum et terram,* [147] nam : *Verbo Domini coeli firmati* factique *sunt et spiritu oris eius omnis virtus,* sive *exercitus eorum ;* [148] *Dominus* in *sapientia fundavit terram stabiliens coelos prudentia* [149] sua. Sed Christus est Verbum et sapientia Dei : *Praedicamus . . . Christum Dei virtutem et Dei sapientiam.* [150] In artifice manus

quia ipse est Verbum Dei, per quod omnia creata sunt.

133) Io 8, 12. 134) *Divina Bibliotheca, Evang. secundum Io.*, (P. L. 29, 666).
135) *Hexaem.*, lib. 1, cp. 4, ibid. 14, 129-130; *De Fide*, lib. 3, cp. 7, ibid. 16, 600.
136) S. Beda *Exposit. in S. Io. Evang.*, ibid. 92, 741-742; S. Bruno Episc. Signiensis *Comment. in Io.*, part. 2, ibid. 165, 520; Rupertus Abbas *Comment. in Io.*, ibid. 169, 544-549. 137) 1, 8.
138) Ibid. 21, 6. 139) Ibid. 22, 13. 140) 41, 4. 141) Ibid. 44, 6.
142) Ibid. 48, 12-13. 143) Io 1, 10. 144) Ibid. vr. 3. 145) Col 1, 18.
146) Apc 3, 14. 147) Gn 1, 1. Vulg.: *Creavit Deus*, etc. 148) Ps 32 (hebr. 33), 6.
149) Prv 3, 19. Vulg.: *Stabilivit coelos*, etc. 150) 1 Cor 1, 23-24.

et oculus sunt principium et causa operum, ars ac scientia est[151] virtus facultasque operandi. Sic Deus quidem mundi est artifex, Christus autem Dei virtus et sapientia et ob id est mundi principium: *Omnia per ipsum facta sunt et sine ipso factum est nihil, quod factum est,*[152] sive nec unum quidem quid factum est. Ego *principium* infinitae potentiae, infinitae sapientiae, infinitae bonitatis, alioquin mundum creare minime potuisset.

IX. O si intelligeremus, dilectissimi, quale quantumque sit mundanae creationis beneficium, quod nobis hisce verbis Christus proponit: Ego *principium!* Nos felices, fratres carissimi, si, ut par est, crederemus Christum principium esse omnis boni naturae, gratiae et gloriae, a quo dependet omne nostrum esse bonum, melius, optimum; esse enim bonum natura est, esse melius gratia, esse optimum gloria paradisi; Christum esse auctorem creatoremque omnium bonorum, profecto quamvis de deorsum essemus quoad naturam, cum ex terra formati simus, non tamen de hoc mundo essemus quoad culpam, sed essemus sicut Apostoli Christi, quibus ipse ait: *De mundo non estis . . . ego elegi vos de mundo!*[153] Procul dubio de mundo est qui mundum diligit et ea quae sunt in mundo magis quam Deum, magis quam Christum. Haec enim damnatio nostra est, quia mundum magis quam Deum diligimus, suasu antiqui serpentis de ligno scientiae boni et mali potius quam de ligno vitae comedimus.[154]

Ideo firmiter tenere et credere debemus Christum auctorem esse omnium bonorum, ut solum ipsum, non mundum diligamus,

Sed cur, quaeso, mundum diligimus? Utique quia a mundo bona speramus, divitias, voluptates, honores, gloriam. Quid igitur? Mundus, non Deus, non Christus bonorum est auctor atque largitor? Profecto non cognoscimus Deum esse vere auctorem et donatorem omnium bonorum; recurreremus enim ad Deum, ad Christum, non ad mundum, ad fontem aquae vivae, non ad *cisternas dissipatas, quae aquas continere non valent.*[155] Et tamen ad hoc specialiter ostendendum venit Christus in mundum, ad ostendendum, inquam, se esse naturae auctorem et dominum verumque rectorem et creatorem mundi. Hoc Dominus clarissime in omnibus miraculis suis demonstravit. Hinc primum Christi miraculum fuit mirabilis conversio

et ad ipsum solum, non ad mundum recurramus.

151) Ms.: *Et.* 152) Io 1, 3. 153) Ibid. 15, 19. 154) Cf. Gn 3, 1-6.
155) Ier 2, 13. Vulg.: *Quae continere non valent aquas.*

aquarum in optima vina;[155a] hoc ostendit cum caecos illuminavit,[156] mundavit leprosos,[157] sanavit infirmos,[158] mortuos suscitavit;[159] cum bis paucissimos panes piscesque multiplicavit,[160] cum supra mare ambulavit,[161] cum imperavit ventis et mari[162] cum et alia quaevis miracula operatus fuit.

Hoc enim ostendit Christus, se esse rectorem mundi, omnibus miraculis patratis vivens et moriens;

Hoc Christus ostendit vivens, sed multo magis moriens. Hinc ait: *Cum exaltaveritis Filium hominis tunc cognoscetis quia ego sum principium qui et loquor vobis.* Moriens enim Christus universam naturam magno miraculo commovit: obscuravit enim solem, lunam, stellas, coelum mundumque universum; terra eo auctore contremuit, petrae montesque scissi fuerunt, monumenta aperta et mortui surrexerunt.[163] Haec autem opera sunt quae nonnisi conditor universi mundique creator et rector operari potest: *Cum exaltaveritis Filium hominis, tunc cognoscetis quia ego sum.*

et hoc etiam Deus in Aegypto ostendit Hebraeis, qui tali fide firmati in desertum perrexerunt ut soli Deo servirent;

Sic etiam in Aegypto ostendit Dominus decem illis mirabilibus plagis signisque prodigiosis[164] se auctorem esse naturae, ut Hebraei servientes Pharaoni impio illi tyranno, videntes et cognoscentes Deum esse mundi rectorem omniumque bonorum auctorem et largitorem, hac[165] fide muniti ex Aegypto egredi et Moysen sequi vellent Deoque vivo et vero pio cultu servire. Sicut et factum fuit; ut enim Deo servirent reliquerunt Aegyptum et omnia quae ibi possidebant: domos, agros, vineas possessionesque omnes, sola fide et spe divinae misericordiae freti et innixi.[166]

Deus autem in praemium tantae fidei quadraginta annis illos supernaturaliter aluit.

Hunc fructum peperit illa cognitio habita ex signis atque portentis ostendentibus et[167] demonstrantibus Deum esse mundi tum creatorem tum gubernatorem, qui omnia operatur in mundo, qui omnium bonorum est potentissimus auctor et liberalissimus largitor; atque ad ostendendum quod piis Dei cultoribus nil unquam deficiet eorum quae necessaria sunt ad victum atque vestitum, Deus supernaturali via pavit populum innumerabilem annis quadraginta in deserto squalidissimo et per annos quadraginta taliter conservavit eis vesti-

155a) *Cf.* Io 2, 2-10. 156) Cf. Mt 9, 27-30; 15, 30-31; Lc 18, 35-43; Io 9, 1-7. 157) Cf. Mt 8, 1-3; 11, 5; Lc 17, 12-14. 158) Cf. Mt 8, 14-17; 9, 1. 8. 20-22. 35; 12, 9-13. 15; 15, 21-28. 30-31; Mc 6, 5. 53-56; Lc 4, 38-40; 13, 10-17; Io 5, 1-10. 159) Cf. Mt 9, 18-25; Lc 7, 11; Io 11, 41-44. 160) Cf. Mt 14, 16-21; Mc 6, 35-44; 8, 1-9. 161) Cf. Mt 8, 26. 162) Io 8, 28. 163) Cf. Mt 27, 45-53. 164) Cf. Ex 7, 14-10, 1 sqq.; 12, 29-30; Ps 104, 27-36. 165) Ms.: *Ac.* 166) Cf. Ex 12, 40-41. 167) Ms.: *E.*

menta omnia atque calceamenta, quod nihil penitus attrita fuerunt.[168]

Non ergo timere debemus ne ob servitium Dei nobis necessaria deficiant,

Et nos, o fratres, timemus defectum bonorum temporalium, si servierimus Deo, et ne ista nobis deficiant, mundo non Deo servire volumus ? Ubi est ergo fides nostra ? Quomodo credimus quod Christus principium et fons est omnium bonorum ? Prope fontem aquarum viventium timemus sitim ? Prope ignem maximum timemus frigus ? Prope solem tenebras ? Invitati ad regium convivium timemus famem ? Apud Deum, qui copia est omnium bonorum, timemus inopiam ? Quis est qui dat mundo abundantiam omnium bonorum ? Nonne Deus ? *Det tibi Deus de rore coeli et de pinguedine terrae abundantiam frumenti et vini.*[169] Quis est qui facit oriri solem et pluit super terram ? Nonne Deus ? Quis facit germinare terram, fructificare arbores, nasci animalia ? Deus ipse qui ait : *Germinet terra herbam virentem et facientem semen lignumque pomiferum faciens fructum ;*[170] *producant aquae* pisces et aves,[171] *producat terra* animalia.[172] Deus, Deus, o homo, Christus, Christus est, qui omnia operatur : Ego *principium,* absolute *principium,* non huius aut illius rei. Sol enim principium est lucis, ignis principium caloris, fons principium fluminis, Christus autem *principium* est non huius aut illius rei, sed absolute *principium,* quia rerum omnium, bonorum omnium principium est, corporalium et spiritualium, terrenarum et coelestium, visibilium et invisibilium, mundanarum et divinarum, est enim etiam Spiritus Sancti principium, qui vivus ac verus Deus est : Ego *principium.*

quia ipse est fons omnium bonorum in coelo et in terra,

Dicas mihi, homo : quid vis ? quid quaeris ? quid appetis ? Vis divitias ? Christus ditavit Patriarchas,[173] ditavit David,[174] ditavit Salomonem.[175] Vis honores? Christus fecit Moysen principem[176] et David regem Israelis,[177] cum pastores essent. Vis scientiam rerum ? Christus dedit Salomoni infinitum prope scientiae thesaurum,[178] quoniam ipse principium et fons est copiosissimus omnium bonorum : Ego *principium ; Nisi credideritis quia ego sum* principium, *moriemini in peccato vestro.*

sicut clare ostendit Patriarchis Antiquae Legis.

168) Cf. Ex 16, 1 sqq.; Dt 8, 3; 29, 5; 2 Esr 9, 21. 169) Gn 27, 28. 170) Ibid. 1, 11. 171) Ibid. vr. 20. 172) Ibid. vr. 24. 173) Cf. ibid. 13, 2; 24, 35; 26, 12-14; 30, 30-43. 174) Cf. 2 Rg 12, 7-8; 1 Par 29, 28. 175) Cf. 3 Rg 3, 13; 10, 23 sqq. 176) Cf. Ex 3, 1-10. 177) Cf. 1 Rg 16, 11-13. 178) Cf. 3 Rg 3, 12; 2 Par 9, 23.

Ex incredulitate autem oritur omne malum.

O fratres, ex incredulitate oritur omne malum. Hoc fuit venenum, quo serpens antiquus patres nostros infecit, suadens ut non crederent Deo qui dixerat : *In quocunque ... die comederitis ex eo, morte moriemini.* [179] Ait enim : *Nequaquam ... moriemini.* [180] Ex hac autem incredulitate ortum fuit primum peccatum, ex quo veluti ex radice et fonte omne peccatum emanavit, omne vitium, omne malum, mors ipsa perpetua.

Christus principium est per quod facta sunt omnia,

X. *Nisi credideritis quia ego sum, moriemini in peccato vestro:* hoc vobis credendum firmissimeque tenendum est me principium esse, per quod facta sunt omnia. *In principio creavit Deus coelum et terram ; Verbo Domini coeli facti sunt et spiritu oris eius omnis virtus eorum ; Dominus* in *sapientia fundavit terram stabiliens coelos prudentia* sua sive *intelligentia* sua; *Qui fecit coelos in intellectu,* idest *in intelligentia* sua. [181] Ionathas etiam, filius Uzielis, Chaldaeus Paraphrastes, [182] illud *in principio,* interpretatus fuit : *In sapientia :* בְּחוּכְמָא ; [183] Christus autem Dei est Verbum et sapientia.

hinc multi Patres dictionem *Genesis : In principio,* interpretantur: *In Filio.*

Hinc multi Patres antiquissimi interpretati sunt : *In Filio,* [184] et בְּרֵאשִׁית [185] iuxta cabalisticos *Ziruphim* interpretari potest : בַּר, quod est Filius, et אָשִׁית, quod est ponam, sive: Pono Filium, pono Deum creatorem coeli et terrae.

Ioannes Picus Mirandulanus, flos ille ingeniorum et phoenix philosophorum sui temporis, in suo *Heptaplo* [186] ex di-

179) Gn 2, 17. Vulg.: *Comederis ... morieris.* 180) Ibid. 3, 4. 181) Ps 135 (hebr. 136), 5. 182) Dicitur etiam *Targum Ierosolymitanum,* vel *Secunda Editio Chaldaica,* cuius textus invenitur in *Biblia Rabbinica,* de qua cf. S. Laurentius a Br. *Explanatio in Genesim, Praefatio,* pag. XIV; Aug. Calmet *Dictionarium Historicum S. Scripturae,* sub voce: *Ionathas.* 183) Ms.: *Bechocmah.* 184) Cf. S. Laurentius a Br. *Explanatio in Genesim,* pag. 112.
185) Ms.: בראשית. et infra: בר et: אשית. 186) *Septima Expositio,* cp. ultimo, *Expositio primae dictionis, idest : In principio :* « Dictio illa apud Hebraeos hoc modo scribitur: בראשית, *Bereshit.* Ex hac igitur si tertiam litteram primae coniungamus, fit dictio: אב, idest *ab.* Si geminatae primae secundam addamus, fit: בבר, idest *bebar.* Si praeter primam omnes legamus, fit: ראשית, idest *resit.* Si quartam primae et ultimae conectamus fit: שבת, idest *sciabat.* Si tres primas quo iacent ordine statuamus, fit: ברא, idest *bara.* Si, prima omissa, tres sequentes, fit: ראש, idest *rosc.* Si, omissis prima et secunda, duas sequentes, fit: אש, idest *es.* Si, tribus primis omissis, quartam ultimae copulemus, fit: שת, idest *seth.* Rursus si secundam primae, fit: רב, idest *rab.* Si post tertiam, quintam, tum quartam statuamus, fit:

ctione ista, secundum cabalisticos canones eruit nomina: אָב בְּבַר רֵאשִׁית שַׁבָּת בָּרָא רֹאשׁ אֵשׁ שֵׁת רַב אִישׁ בְּרִית תֹּב:[187] P a t e r i n F i l i o p r i n c i p i o e t f i n e c r e a v i t c a p u t, i g n e m, f u n d a m e n t u m m a g n i h o m i n i s f o e d e r e b o n o, ubi per magnum hominem intelligitur mundus, sicut per parvum mundum homo, per caput vero, ignem et fundamentum magni huius hominis paradisus Angelorum, coelum astrorum omnium et terra fex elementorum, ubi fit rerum generatio atque corruptio; quae partes respondent tribus partibus hominis: capiti, quod fons est sensus et intelligentiae, pectori, ubi cor est principium vitae, motus et caloris, sicut sol in coelo, et ventri, ubi sunt generationis et corruptionis organa et instrumenta.

Affertur cabalistica interpretatio ex litteris hebraicis dictionis בְּרֵאשִׁית deducta a Pico Mirandulano;

Sed quoniam Christus dicit se esse *principium*, per quod facta sunt omnia visibilia et invisibilia, ego ex iisdem cabalisticis canonibus et *Ziruphim*[188] videre mihi videor in hoc nomine exactissima quidem

ex eadem voce iuxta cabalisticos canones alia interpretatio deducitur.

איש, idest *hisc*. Si primas duas duabus ultimis coagmentemus, fit: ברית, idest *berith*. Si ultimam primae, fit ultima dictio et duodecima, quae est: תב, idest *tob* verso, quod frequentissimum est apud Hebraeos *thau* in *thet* elementum. Videamus autem quid primo haec latine significent: tum quae per ea non ignaris philosophiae de tota natura mysteria revelentur. *Ab* patrem significat; *Bbar* in filio et per filium (utrunque enim significat *beth* praepositio); *Rescit*, principium; *Sabath*, quietem et finem; *Bara*, creavit; *Ros*, caput; *Es*, ignem; *Seth*, fundamentum; *Rab*, magni; *Hisc*, hominis; *Berith*, foedere; *Tob*, bono. Et totam si ordine consequenti orationem texamus, erit huiusmodi: Pater in filio et per filium principium et finem, sive quietem, creavit caput, ignem et fundamentum magni hominis foedere bono: haec tota oratio ex primae illius dictionis resolutione et compositione dissultat ». Pag. 61-62.

187) Ms.: *Ab bar rescith scabath bara ros escel isc rab berith thob*. Non omnino concordat cum *Heptaplo*, hic enim habet: *Ab bebar*, אב בבר, et: *Rab isc*, רב איש, non, ut scribit S. Auctor: *Bar*, et: *Isc rab*.

188) *Ziruphim*, vox grammaticae hebraicae ubi agit de mixtione aut mutatione litterarum, a צָרַף quod est f u n d e r e, et etiam m u t a r e. Ideo: *Cabalistici ziruphim*, idest regulae uniendi, componendi litteras modo cabalistico, ut mysticae interpretationes eruantur. Sixtus Senensis, postquam tractavit de duobus sacrarum expositionum Scripturae generibus: historico et mystico, agit de alio genere, quod vocat elementariam expositionem, quae fit duobus modis: ex litteris prout sunt partes syllabarum individuae, vel prout sunt notae numerorum indices. Ideo explanatio haec in duos explanandi modos dividitur. « Primus modus is est, qui ex resolutione elementorum cuiusque dictionis et rursus ex nova diversaque eorundem elementorum connexione multiplices sensus tam historicos quam mysticos ex Scripturis Sanctis deducit. Qui quidem modus secatur in duas partes, hoc est Resolutoriam et Componentem. a) Porro pars prior, in qua singulae litterae singulas significant et singulae per singulas dictiones exponuntur, idcirco Resolutoria appellatur, quia tota in resolutione elementorum versatur; dum litteras cuiuslibet propositae dictionis alteram ab altera divellit ac separat, et ex unaquaque littera dictiones quasdam extrahit ab eadem littera incipientes, quae mysteria in tota illius dictionis medulla recondita patefaciunt », veluti, e. g., cum S. Cyprianus et S. Augustinus, declarantes etymologiam nominis *Adam*, putant primum hominem sic appellatum, quia terra illa, ex qua factus est, a Deo sumpta fuit ex quattuor mundi cardinibus, qui quattuor litteris eius-

ratione mysteria personae Christi secundum utranque naturam ex multis nominibus quae ex sex litteris nominis huiusce componuntur:

אָב שָׂת בַּר רֵאשִׁית בְּרִית אִישׁ רָב שֵׁת בְּרִית בּוֹרֵא אֵשׁ
שַׂר אֲבִיר רֹאשׁ שַׁבָּת יָבוֹא רָשׁ תֹּאַר בֹּר אֲשֶׁר תַּיִשׁ שָׁבוּר
יָשָׁר אוֹיֵב בְּאֹשׁ אַשְׁרֵי תֵּבַת שֶׁבֶר יוֹרֵשׁ בַּיִת יֵשׁ רִיב בָּאָה.[189]

Triginta tria sunt[190] nomina: Pater posuit Filium principium creationis magni hominis, fundamentum legis, producentem ignem, principem fortem, veniet pauper forma, [purus], qui aries erit confractus, rectus, inimicus fetoris, beatus, arca frumenti, heres domus, caput sabbati, est iudex venturus. Quapropter cum Divina Scriptura lignum sit vitae, ut Salomon ait: *Lignum vitae est his qui apprehenderint eam,*[191] prima ista vox veluti radix est, quae in seipsa continet totius arboris virtutem. Sic igitur ait Christus: Ego *principium.*

XI. Moyses dixit quod: *In principio creavit Deus coelum et terram* in verbo suo. Sed principii huius non expressit aetatem, non quali-

dem nominis graece conficti comprehenduntur. Cf. S. Laurentius a Br. *Explanatio in Genesim,* pag. 192. « b) Posterior, quae compositionem tractat, illa eadem eiusdem dictionis elementa prius dissita ac disiuncta iterum novo ordine transponens et alteram pro altero variata sede reponens, convertit; et novas conflat ex eis syllabas, voces, orationis partes et sermonis formulas, quarum auxilio diversorum sensuum intelligentia et secretissima arcana reserantur ». Et ad hanc refertur duplex interpretatio illius dictionis בראשית a Pico Mirandulano et a S. Auctore allata. « Secundus elementariae Explanationis modus, quem arithmeticum dicere possumus, laborat in investigandis significationibus numerorum quos litterae in dictionibus et syllabis positae, repraesentant: qui quidem modus ut apud nos pene incognitus est, ita apud Graecos et apud Hebraeos hac potissimum ratione usitatus est, quod ipsorum litterae singulae numerum aliquem significent. Sunt et apud Hebraeos innumerabiles huiusmodi explanationes ex disciplina cabalistica profectae, per quas multa in sacris dictionibus abdita mystica aperiuntur ». *Bibliotheca Sancta,* t. 1, lib. 3, pag. 229. 234. Huius expositionis varia exempla inveniuntur in S. Auctore: *Manna, Iehovah,* cf. S. Laurentius a Br. *Quadragesimale Primum,* pag. 86; *David,* cf. infra, Dominica Tertia Quadragesimae. 189) Ms.: *Ab scat bar rescith beriath isc rab scet berith bore esc scar abir ros scabath iabo rasc thiar bor ascer taisc scibur iascar oieb beusc ascre thebath sceber ioresc baith iesc ib ba.* 190) Dictiones hebraicae quidem triginta tres sunt, sed in versione latina omissa fuit vox *bor,* בֹר. Hoc autem significat munditiam, puritatem, seu, ut ait Sanctes Paguini, materiam quandam eluendis corporibus idoneam, ut saponem vel nitrum. *Thesaurus Linguae Sanctae,* sub radice: בָּרַר. Hinc Ier 2, 22: *Si multiplicaveris tibi borith,* בֹּרִית; et Iob 9, 30: *Si mundavero pure,* בְּבוֹר, *manus meas.* Ideo putantes versionem huius dictionis per oblivionem omissam fuisse, eam adiecimus: *Pauper forma,* [purus], etc. 191) Prv 3, 18.

Recte hoc interpretatur de Christo conferendo initium *Genesis* cum initio Evangelii Divi Ioannis.

tatem, non substantiam. Ioannes similiter exorsus, tria haec de principio isto declarat: *In principio erat Verbum:* ecce aetas aeterna, *et Verbum erat apud Deum:* ecce qualitas, persona distincta personali relatione, *et Deus erat Verbum:* ecce substantia. Est igitur *principium* istud Deo coaeternum, coaequale et consubstantiale: Ego *principium; Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil, quod factum est:*[192] Ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ λόγος, καὶ ὁ λόγος ἦν πρὸς τὸν θεόν, καὶ θεὸς ἦν ὁ λόγος. Οὗτος ἦν ἐν ἀρχῇ πρὸς τὸν θεόν. πάντα δι' αὐτοῦ ἐγένετο, καὶ χωρὶς αὐτοῦ ἐγένετο οὐδὲ ἓν ὃ γέγονεν.[193] Nec unum quidem quod factum est, quod genitum est, factum est sine eo, nulla penitus creatura est quae non sit facta a Deo, cuius Christus principium non sit, principium infinitae potentiae quia ex nihilo omnia fecit et in momento temporis, in instanti omnia creavit, quamvis in tempore postea creata distinxit, ordinavit, ornavit. Salomon rex potentissimus et sapientissimus aedificavit Domino augustissimum templum, domum magnificentissimam, sed habuit materiam a patre suo David praeparatam, aurum, argentum, aes, ferrum, lapides, ligna,[194] et tamen ad perficiendum opus illud expendit septem annorum tempus;[195] Christus autem absque ulla materia uno temporis momento universum creavit. Momentum enim temporis principium est, sicut lineae punctum. Principia solent esse parva quidem mole, magna autem virtute, sicut semina; Christus autem virtute et magnitudine infinitus est uti Deus, sed ut homo parvus est corporea mole: *Parvulus... natus est nobis,* sed *Deus, fortis,*[196] ex nihilo creans omnia.

Christus enim Deus aeternus et omnipotens est, qui vere mundum ex nihilo creavit.

Quamvis autem intelligi nequeat creatio ex nihilo et in tempore,

Non dicas mihi, homo: quomodo potuit Deus creare ex nihilo mundum? Natura non potest id facere. Dicas tu mihi: quomodo natura potest facere id quod ars nullo modo facere potest? Deus autem supra naturam est, sicut natura supra artem. Dicas mihi tu: si in insula remotissima, ubi neque homines[197] neque animalia ulla reperiuntur, ex uxore filios genuisses, natus autem filius adultusque peteret a te dicens: Pater, quomodo natus sum ego? quomodo in mundum veni? Diceres utique: Fili, tu ex lumbis meis egressus es,

192) Io 1, 2-3. 193) Ms.: *En archi in o logos che logos in pros ton Theon che Theos in o logos. Utos in en archi pros ton Theon. Panta di autu eghencto ude en o ghegonen.* 194) Cf. 1 Par 22, 1 sqq. 195) Cf. 3 Rg 6, 38. 196) Is 9, 6. 197) Ms.: *Homine.*

non ideo credenda non est, Deus enim omnia potest quae nos capere non possumus.

natus ex utero matris tuae, ubi per novem menses mansisti; ille autem non crederet, sed diceret: Quomodo potest hoc esse? quid ibi manducabam? quid bibebam? quomodo respirabam? quomodo movebar et ambulabam? Imo quomodo ex gutta seminis tanta corporis moles formata est? Tot membra, tot organa, tot sensus? Non potest esse quod dicis. Tu quid diceres ei? Quomodo veritatem [198] generationis et nativitatis probares? An quia non potest ille capere et credere, non sic natus vere esset ut tu illi dixisti? Sic, sic de creatione mundi censendum est; non enim quia nos non possumus capere, ob id non potuit Deus facere. Credendum est Christo dicenti: Ego *principium*, ipse est enim pater noster.

Mundus aeternus esse non potest, quia quod factum est esse coepit, quod autem semper fuit nunquam factum est;

XII. *In principio creavit Deus coelum et terram*, non ab aeterno, sed in tempore, solus enim Deus potest esse aeternus sicut et infinitus, et sicut modo non potest facere mundum aeternum, quia non potest mundus ipse aeternus esse, ita nec tunc; non enim minus potens nunc Deus est quam tunc. Nec potest quod factum est esse aeternum, nam aeternum semper fuit, quod autem semper fuit nunquam factum est, fit enim id quod non est, et sicut non dicitur modo domus haec fieri, cum facta sit, sic si semper fuit uti nunc est, nunquam facta est. Si semper mundus fuit uti nunc est, nunquam factus est, et si mundus ab aeterno fuisset, praesens dies distaret utique ab omnibus praecedentibus. Tunc vel ab omnibus aequali [distaret] infinitaque distantia, hoc enim aeternitas est, vel a pluribus, vel ab uno, vel a nullo. Si ab omnibus, igitur ab heri distat aeternitate; si a pluribus aequaliter, igitur simul plures fuerunt dies, quod est impossibile, nec possunt dari plures numeri qui aeque ab aeternitate distent; si ab uno, quid absurdius quam infinitam aeternitatem terminis claudi? Si a nullo, non datur aeternitas temporis.

insuper aeternitas mundi multas contradictiones implicat.

Et adhuc data aeternitate, praecesserunt ne plures dies et horae, an plures anni et saecula? Si plures dies et horae, non sunt anni infiniti, infinita saecula; quod enim exceditur finem habet, nec datur infinito infinitius. Quod si tot dies et horae quot anni et saecula, tempus unius horae aequale erit saeculo et pars minima suo toto,

198) Ms.: *Veritatis*.

quod maximum est. Et si mundum potuit Deus ab aeterno creare, potuit et unum mortalem, ut Adam, eodem instanti producere; homo autem [si] centesimo mortuus fuerit anno vel die, imo hora centesima, quid igitur? aeternitas centum claudetur horis?

Christus dicitur principium creationis quatenus Deus infinitae potentiae et quatenus homo infinitae sanctitatis,

In principio creavit Deus coelum et terram. Creavit cum voluit, creavit et propter hominem creavit, quem sexto die formavit,[199] maxime autem propter Christum hominem, intuens summam eius infinitamque iustitiam et sanctitatem: צַדִּיק יְסוֹד עוֹלָם:[200] *Iustus . . . fundamentum est mundi,*[201] sicut et in historia diluvii cernimus.[202] Hinc merito Christus quoad utranque naturam dicit: Ego *principium qui et loquor vobis,* quia quoad divinam factor est, et quoad humanam veluti fundamentum est. Hinc: בַּר אָשִׁית שֵׁת:[203] F i l i u m p o n o f u n d a m e n t u m.

Ego *principium.* Naturale est rebus quibuscunque principia sua diligere. Lapis diligit terram, quia ex ea factus est, ignis coelum quia inde eius origo est, sol enim ignem accendit suis radiis, pisces diligunt mare aquasque, filii diligunt parentes et ad eos utique in necessitatibus suis recurrunt, et si statua sensum et rationem haberet, videns se parte aliqua imperfectam, utique ad sculptorem recurreret ut eam perficeret, maxime si sculptor ei diceret: ego arte mea te feci. Sic ait Christus hodie: Ego *principium.*

quia mundus creatus fuit ob praevisa Christi merita,

Ego *principium.*[204] Non solum quatenus Deus, sed etiam quatenus homo Christus principium est omnium creaturarum: hic legimus: צַדִּיק יְסוֹד עוֹלָם:[205] *Iustus . . . est fundamentum mundi,* nam, ut per I e r e m i a m Deus ait: אִם־לֹא בְרִיתִי יוֹמָם וָלָיְלָה חֻקּוֹת שָׁמַיִם וָאָרֶץ לֹא־שָׂמְתִּי:[206] *Nisi pactum meum, diem et noctem, statuta coeli et terrae non posuissem.*[207] Pactum autem

199) Cf. Gn 1, 26 sqq. 200) Ms.: *Zadik iesod holam.* 201) Prv 10, 25. Vulg.: *Iustus . . . quasi fundamentum sempiternum.* Vox enim hebraica עוֹלָם utrunque significat, tum saeculum tum mundum. Cf. S. Pagnini sub radice: עָלַם. 202) Cf. Gn 6, 1-7, 1. 203) Ms.: *Bar ascit sceth.* 204) Quod sequitur postea adiectum fuit, ut patet ex differentia styli et atramenti, et repetitur quod paulo ante dictum est. 205) Ms.: *Zadik iesod holam.* 206) Ms.: *Im lo berithi iomam velailah chukoth scamaim vaarez lo scamthi.* 207) 33, 25. Ex hebraico.

quorum virtute homo post peccatum salvari potest.

Christus est, ut apud I s a i a m legimus: וְאֶתֶּנְךָ לִבְרִית עָם: [208] *Dedi te in foedus populi.* [209] Non enim creavit Deus mundum nisi propter hominem, hominem vero propter Deum cognoscendum, amandum, colendum et fruendum tandem in paradiso. At praevidens peccatum Adami, per quod universum genus humanum damnatum fuit, nequaquam mundum creasset, nisi Christi merita praevidisset, per quae homo salvari potest et quorum virtute iusti omnes, qui ante Christi incarnationem fuerunt, salvati sunt. Basis igitur et fundamentum mundi Christus est. Hinc moriente Christo terra contremuit et totus commotus est mundus, [210] nam, commoto fundamento, totum necesse est commoveatur aedificium.

Hanc fidem Christus maxime in cordibus hominum plantare intendit.

Nil magis praetendisse videtur Christus quam fidem hanc plantare in hominum cordibus, quod ipse sit naturae auctor. Hoc enim fecit in omnibus miraculis suis tum corporalibus tum spiritualibus, cum crearet corda munda in pectoribus suorum fidelium. Magdalena ad hoc venit ad Christum. [211] ut crearet in ea cor mundum. [212] Ipse autem nec expectavit ut peteret, quoniam hoc est quod super omnia Christus desiderat; nam sicut corpus propter animam fecit, sic omnia miracula corporalia propter spiritualia.

II. ALIA HOMILIA

Ego vado, et quaeretis me et quo ego vado, vos non potestis venire, sed in peccato vestro moriemini. [1]

Sicut omnes creaturae inter se differunt,

1. Sicut *divisit* Deus *lucem a tenebris* in principio creationis mundi, [2] et in hoc magnopere moratur M o y s e s in enarratione operis creationis, posita enim rerum divina productione, ponit distinctionem ordinemque earum ac deinde ornavit eas tum superiores tum inferiores: divisit lucem a tenebris, divisit aquas superiores ab inferioribus,

208) Ms.: *Nethatticha* (!) *librith cham.* 209) 42, 6; 49, 8. 210) Cf. Mt 27, 51-52; Lc 23, 45-46. 211) Cf. Lc 7, 36 sqq. 212) Cf. Ps 50, 12.

1) Io 8, 21. Ordine inverso affert hunc vr. 2) Gn 1, 4.

divisit inferiores aquas a terra,[3] et in mirabili rerum diversitate totius naturae mundique universi pulcritudo consistit; sic Christus hodie discrimen assignat inter seipsum et peccatores mundi: *Ego vado, vos in peccato vestro moriemini. Quo ego vado vos non potestis venire... Vos de deorsum estis, ego de supernis sum; vos de mundo hoc estis, ego non sum de hoc mundo... Si... non credideritis quia ego sum... principium qui et loquor vobis... moriemini in peccatis vestris.*[4]

Differt coelum a terra, differt sol a luna, dies a nocte, lux a tenebris, sic Christus a mundo. Christus enim lux est, mundus tenebrae sunt: *Lux in tenebris lucet et tenebrae eam non comprehenderunt;*[5] *Mundus eum non cognovit;*[6] Christus est coelum, imo sol, nobilissima pars, princeps astrorum; mundus autem terra est et *terra... inanis et vacua,*[7] terra tenebricosa. Non tantum differt lucidissimus sol a tenebricosissima terra quam Christus a mundo, qui *in maligno positus est,*[8] qui peccatis plenus est.

sic Christus a mundo differt magis quam sol a tenebris; differt enim *a*) natura,

Heri Christum vidimus supra montem excelsum, in nube lucida tanquam solem fulgidissime resplendentem,[8a] hodie divini huius solis declaratur natura et virtus: *Ego vado et quaeretis me.* Sicut sol non indiget terra, sed terra mundusque sole, sic Christus nullius indiget: *Bonorum meorum non indiges;*[9] sed mundus indiget Christo, indiget Deo; hoc est: *Quaeretis me,* desiderabitis me. Sicut infelix synagoga adhuc Messiam expectat atque desiderat quaeritque ut eam a captivitate liberet in pristinumque statum restituat, et sicut terra sine sole mortua est tenebrisque sepulta, nihil omnino producens sicut homo mortuus, sic inquit: *In peccato vestro moriemini.*

et sicut sol nullius indiget a terra, sic Christus nullus eget a mundo;

Secunda conditio huius solis est: *Quo ego vado vos non potestis venire.* Sol suapte natura movetur: *Soli posuit tabernaculum in coelis et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo... a summo coelo egressio eius et occursus eius usque ad summum eius;*[10] terra autem suapte natura immobilis. Sic Christus ex seipso et per seipsum potest operari quodlibet, non autem mundus: *Sine me nihil potestis facere.*[11]

b) activitate, sicut sol suapte natura movetur, non autem terra, sic Christus omnia per seipsum operatur;

Tertia conditio: *Vos de deorsum estis, ego de supernis sum.* Terra vilissima substantia est, sol autem nobilissima. Sic mundus terra est;

c) nobilitate, sicut sol nobilissima

3) Cf. ibid. vrr. 5-25. 4) Io 8, 23-25. Ordine inverso affert hos vrr. 5) Ibid. 1, 5. 6) Ibid. vr. 10. 7) Gn 1, 2. 8) 1 Io 5, 19. 8a) Cf. Missale Rom., Dominica Secunda Quadragesimae. 9) Ps 15, 2. Vulg.: *Eges.* 10) Ps 18 (hebr. 19), 6-7. 11) Io 15, 5.

substantia est, terra autem vilissima, sic Christus totus coelestis;

de terra factus est homo, hinc P a u l u s : *Primus homo de terra terrenus, secundus homo de coelo coelestis.*[12] Christus nobilissima substantia est omnium quae in mundo sunt.

d) conditione, sicut sol incorruptibilis est, non autem mundus, sic Christus increatus et immortalis est;

Quarta conditio : *Vos de mundo hoc estis, ego non sum de hoc mundo.* Terra pars mundi corruptibilis est, ubi regnat mors et corruptio ; sol autem pars coeli est, mundi incorruptibilis. Sic omnis homo creatura est corruptibilis et mortalis, plena vitiis et peccatis ; Christus autem increatus est Deus, *qui solus habet immortalitatem*[13] Deusque ter sanctus, ut a Seraphim apud I s a i a m praedicatur.[14]

e) virtute vivifica, sicut virtute solis omnia vivunt, sic virtute Christi omnia consistunt;

Quinta conditio : *Nisi credideritis quia ego sum, moriemini in peccatis vestris.*[15] Nihil est quod vivere potest in terra absque virtute et vivifico solis calore radioque. Hinc, discedente a nobis sole in autumno, omnia tendunt ad interitum ; revertente autem ad nos in vere, omnia reviviscunt. Solis autem virtus et natura perpetua est, nunquam aut crescit aut decrescit. Sic nulla creatura mundi consistere potest absque divina Christi virtute : *Portans . . . omnia verbo virtutis suae,*[16] ipse autem in aeternum manet.[17] Hinc ait : *Quia ego sum,* alludens ad illud *Exodi* quod Moysi Deus dixit : *Ego sum qui sum.*[18]

f) causalitate, sicut sol principium est omnis generationis, sic Christus principium est omnium creaturarum,

Sexta tandem conditio : Ego *principium, qui et loquor vobis.*[19] Sol principium est omnium [quae] natura generantur; omnis naturalis generatio a solis virtute tanquam ab universali causa dependet. Sic inquit Christus : Ego *principium* quia *omnia per ipsum facta sunt et sine ipso factum est nihil.*[20] Hinc P a u l u s ad *Colossenses* explicans hoc *principium* ait : *Qui est imago Dei invisibilis, primogenitus ante omnem creaturam, quoniam in ipso condita sunt universa in coelis et in terra, visibilia et invisibilia, sive Throni sive Dominationes sive Principatus sive Potestates, omnia per ipsum et in ipso creata sunt ; et ipse est ante omnes et omnia in ipso constant ; et ipse est caput corporis Ecclesiae, qui est principium.*[21] Sic Christus principium est omnium creaturarum, ita ut nulla penitus sit creatura, quae non sit facta a Christo : *Et sine ipso factum est nihil quod factum est ;*[22] ipse est artifex omnium, ut pictor aut sculptor vel scul-

12) 1 Cor 15, 47. 13) 1 Tim 6, 16. 14) Cf. 6, 3. 15) Io 8, 24. Vulg.: *Si . . . non credideritis . . . in peccato vestro. In peccatis vestris* lect. cod. 16) Hebr 1, 3. 17) Cf. Ps 9, 8; 101, 26-28; Hebr 7, 24. 18) 3, 14. 19) Io 8, 25. Cf. not. 20 praec. hom., pag. 448. 20) Io 1, 3. 21) 1, 15-18. Vulg.: *Primogenitus omnis creaturae,* etc. 22) Io 1, 3.

ptor simul et pictor, uti est in statua depicta, quo ostenditur quam facile Christus mundum creaverit.

nullius adiutorio indigens omnia creando;

Est triplex pictura et sculptura : quaedam artis, alia naturae,[23] tertia Dei. Pictura artis est valde imperfecta et multa requirit : telarium, colores, penicillos, locum et tempus. Pictura naturae multo perfectior et multo minora requirit ac pauciora instrumenta: depingit natura uno momento in speculo hominis aut cuiusvis alterius rei imaginem perfectissimam supra omnem excellentiam artis, nec nisi speculum requirit bonum atque politum. Dei autem pictura perfectissima supra modum est et nihil requirit. Multo facilius Deus mundum formavit quam natura formet imaginem rei in speculo. Sic mirabilis artifex Christus.

omnia autem ab ipso dependent, ita ut, si velit, omnia in instanti destruere possit.

Nec minus dependet mundus a Christo quam imago in speculo ab homine, qui seipsum ibi contemplatur. Sicut enim facillime mundum creavit ex nihilo, ita in nihilum potest redigere, cum multo facilius sit destruere quam aedificare. Totus autem mundus non est nisi imago quaedam Dei ; homo, qui parvus est mundus, parva Dei imago, et mundus, qui magnus est homo, magna Dei imago.[24]

His verbis ostendit etiam Christus quanto odio Deus peccatum prosequatur.

II. *Ego vado, et quaeretis me et in peccato vestro moriemini,* et *quo ego vado, vos non potestis venire... Vos de deorsum,* etc. Ostendit his verbis Dominus quid sit peccatum et quantorum causa malorum. Veluti iusta ira et indignatione commotus atque offensus loquitur Christus : *Ego vado,* discedo a vobis, vos derelinquo. Sic indicat quidnam sit peccatum ; quod sit offensa Dei, crimen laesae maiestatis, culpa in Deum commissa, quae divinam meretur iram : *Tibi soli peccavi et malum coram te feci.*[25] Manifestissimum est in Divinis Litteris quanto odio Deus peccatum prosequatur. Id indicant innumerae punitiones.

Sed[26] causa nobis inquirenda est talis tantique odii, quam quidem expressit vel innuit aut subindicavit Christus his verbis : *Ego vado,*

23) Ms.: *Natura.* 24) Philo Iudaeus: « Hoc est quod quidam ausi sunt universo mundo aequare hominem, cum viderent utrunque constare ex corpore et rationali anima, ut permutatis nominibus hominem quidem mundum parvum, mundum vero magnum hominem dicerent ». *Quis rerum divinarum heres,* t. 1, pag. 433; Macrobius : « Physici mundum magnum hominem et hominem brevem mundum esse dixerunt ». *Comment. in Somnium Scipionis,* lib. 2, cp. 12, pag. 145. 25) Ps 50, 6. 26) In margine haec adiecta fuerunt: « Primo

Peccatum est aversio a Deo, *et quaeretis me et in peccato vestro moriemini. Ego vado,* vos derelinquo. Sed Deus non derelinquit nisi derelictus atque contemptus : *Qui... contemnunt me erunt ignobiles ;* [27] *Non audivit populus meus vocem meam et Israel non intendit mihi ; et dimisi eos secundum desideria cordis eorum, ibunt in adinventionibus suis,* [28] ait Deus per Psalmistam. Azarias etiam propheta dixit ad regem Aza et ad omnem populum Iudaeorum : *Dominus vobiscum, quia fuistis cum eo. Si quaesieritis eum, invenietis ; si autem dereliqueritis eum, derelinquet vos.* [29] Zacharias etiam filius Ioiadae, magnus sacerdos et martyr, dixit populo colenti idola : *Quare... dereliquistis Dominum ut derelinqueret vos ?* [30] Non ergo relinquit nos Deus, nisi prius a nobis relictus atque contemptus.

idololatria, Hoc igitur peccatum est : derelinquere Deum atque contemnere, deficere a Deo ad principem mundi huius, [31] ad cultum idolorum, quare peccatum idololatria est. Quis autem ignorat quam displiceat cuilibet principi suorum defectio ac rebellio ? Hinc peccatores dicuntur in Divinis Litteris *rebelles et increduli,* [32] dicuntur *idololatrae :* Avaritia *est idolorum servitus ;* [33] *Quorum deus venter est ;* [34] *Non potestis Deo servire et mammonae.* [35]

adulterium in Deum, Adhuc aliud subindicat Dominus esse peccatum dicens : *Ego vado,* nam significat separationem atque divortium. Anima fidelis per fidem et gratiam Spiritus Sancti facta est sponsa Christi : *Desponsabo te mihi in fide.* [36] Quare omne peccatum adulterium est. Hinc peccatores Christus appellavit *generationem malam et adulteram ;* [37] neque enim nisi ob causam adulterii licet divortium et separationem thori facere. [38] Hoc igitur insinuat Christus dicens : *Ego vado,* separo me a vobis, divortium [39] facio, do libellum repudii [40] ob peccata vestra. Sic enim per Isaiam ait Dominus : *Ecce in iniquitatibus vestris venditi estis et in sceleribus vestris dimisi matrem vestram ; quia veni, et non erat vir ; vocavi, et non erat qui audiret.* [41] Adulterium autem cuinam

quidem omnium peccatum est inobedientia coelestium mandatorum, divinae legis transgressio. Cui autem domino aut patri non displicet inobedientia servorum aut filiorum? Cui principi non displicet suarum legum transgressio et vilipensio? Non displicet subditorum contumacia? »

27) 1 Rg 2, 30. 28) Ps 80, 12-13. 29) 2 Par 15, 2. 30) Ibid. 24, 20-21. 31) Cf. Io 14, 30; 16, 11. 32) Cf. Nm 20, 10; Iob 24, 13; Is 21, 2; Ier 5, 23-24; Ez 2, 6; Hebr 2, 4. 33) Eph 5, 5; Col 3, 5. 34) Phil 3, 19. 35) Mt 6, 24; Lc 16, 13. 36) Os 2, 20. Vulg.: *Sponsabo*, etc. 37) Cf. Mt 12, 39; 16, 4; Mc 8, 38. 38) Cf. Eugenius IV Decret. pro Armenis cf. Denzinger-Bannwart *Enchiridium Symb.*, nr. 702; Conc. Trid., sess. XXIV, de matrimonio, can. 7. 39) Ms.: *Divortio.* 40) Cf. Dt 24, 1; Mt 5, 31; 19, 7; Mc 10, 4. 41) 50, 1-2.

honesto viro non summopere displicet? Quis talem tantamque iniuriam aequo animo ferre potest? Sic nec Deus.

Adhuc his verbis aliud innuitur, loquitur enim Christus de sua passione et morte, quam Iudaei, Christum summo odio prosequentes, summopere desiderabant. Quare *miserunt principes et Pharisaei ministros, ut comprehenderent eum*, quibus ipse ait: *Adhuc modicum tempus vobiscum sum et vado ad eum qui misit me:* [42] Ego, inquit, sponte subibo mortem, quam desideratis inferre. Sic nunc quoque ait: *Ego vado* mea sponte ad passionem, ad mortem; ne conemini ut me comprehendatis. Indicatur ergo his verbis odium Iudaeorum contra Christum. Nam non solum non diligebant Iudaei Christum, non solum non credebant in eum, sed contemnebant, sed odio habebant, sed persequebantur ad mortem. Hoc est quod ait: *In peccato vestro moriemini.* Quid est peccatum? Contemptus Dei, odium Dei. An non odit iudicem latro, a quo timet suspendendum se esse? Si haberet in manibus iudicem, a quo sciret se esse infami morte plectendum, quid faceret ei? Diabolus et omnes daemones damnati in inferno unde Deum semper blasphemant, nisi ex odio ob peccatum? Cum enim quilibet peccator seipsum magis diligat quam Deum, divinaeque voluntati et honori praeferat voluntatem suam, suum honorem, utile, commoda, unde peccat sciens Deum severum iudicem ac punitorem peccati, vel nollet Deum esse qui peccata puniret, vel nescire Deum aut non posse vel velle punire peccata, quod est velle Deum impotentem aut ignorantem vel iniquum, qualis si esset, Deus minime esset. Peccatum igitur perversitas animi summa est Dei contemptus, vel odium, deicidium. Sic Christus verus Deus occisus a Iudaeis fuit summa crudelitate, quoniam eorum arguebat peccata. Cui autem non displicet se odio haberi?

contemptus et odium Dei et verum deicidium,

peccator enim volens peccatum suum impunitum, vellet Deum impotentem vel ignorantem vel iniquum esse, hoc est Deum non esse;

Est item genus summae ingratitudinis, qua maior excogitari non potest, benefactori reddere mala pro bonis et suismet beneficiis ipsum laedere, ut si filius in parentes insurgat, Absalom contra David. [43] Peccatum quid est nisi abusus beneficiorum Dei in ipsiusmet Dei offensam? Bona omnia unde emanant? Christus ait hodie: Ego *principium qui et loquor vobis.* Ipse est parens noster, pater noster, mater nostra. Totum quod habemus ab ipso habemus.

est ingratitudo et abusus beneficiorum Dei contra ipsum Deum,

42) Io 7, 32-33. Vulg.: *Ut apprehenderent eum... qui me misit.* 43) Cf. 2 Rg 15, 1 sqq.

Ostendit etiam Dominus quod peccatum summa quaedam est Dei dissimilitudo. *Vos*, inquit, *de deorsum estis, ego de supernis sum; vos de mundo hoc estis, ego non sum de hoc mundo.* Hominem Deo reddit dissimillimum, sicut est terra gravis, obscura, opaca, frigida, crassa, immobilis, igni levi, claro, lucido, summo mobili ac calidissimo activissimoque, quia peccatum est Deo summe oppositum. Deus enim ipsamet lux, peccatum tenebrae; Deus ipsa bonitas, peccatum ipsamet malitia; peccatum ipsamet turpitudo, Deus pulcritudo; Deus vita, peccatum mors; Deus causa omnis boni, peccatum causa et origo omnis mali.

summa deformitas et turpitudo

Tandem ostendit quod peccatum nobis infinita affert mala, infinita damna, indignos reddit gratia et misericordia Dei: *Quaeretis me et non invenietis.* [44] Indignos reddit ut orationes nostrae exaudiantur, indignos nos reddit vita et gloria sempiterna: *Quo ego vado, vos non potestis venire.* Privat enim nos Dei filiatione et regni coelestis hereditate, causa est nobis mortis temporalis, qua privamur bonis omnibus mundi huius, et aeternae, qua perpetuis afficiemur cum daemonibus malis: *In peccato vestro moriemini.*

et causa omnium malorum quia indignos nos reddit gratia et misericordia Dei.

III. *Ego vado, et quaeretis me et in peccato vestro moriemini*, et *quo ego vado, vos non potestis venire*, etc. Ostendit Dominus peccatum esse veluti summe letiferum animarum nostrarum venenum, quod mortem affert omnique bono privat eos qui propinatum biberint, sicut luce clarius cernimus in primis generis nostri parentibus, qui venenum hoc a diabolo propinatum biberunt. [45] *In peccato vestro moriemini:* ecce thesaurus omnium malorum; *Quo ego vado, vos non potestis venire:* ecce privatio omnium bonorum gloriae coelestis paradisi. Peccatum est venenatissimus serpens, *draco* ille *rufus, habens capita septem et cornua decem*, quaerens devorare filium coelestis mulieris, [45a] monstrum horrendissimum multo peius quovis malo, morte, inferno, diabolo, nam ob peccatum haec sunt; absque peccato nec mors, nec infernus, nec diabolus extitisset.

Peccatum venenum mortiferum animae est, monstrum horrendissimum,

Est peccatum summum ingratitudinis genus, veluti si homo, accepto beneficio, non solum non referat beneficium, sed nec gratias

44) Io 7, 34. 45) Cf. Gn 3, 1 sqq. 45a) Apc 12, 3-4.

quidem aut referat aut habeat; imo nec beneficium cognoscat, nec recognoscat benefactorem; imo ob acceptum beneficium fiat tibi inimicus et pro bonis mala reddat; imo ipsismet tuis beneficiis persequatur et tuis vellet te armis occidere. Primum ingratitudinis genus malum est non referre, non agere, non habere gratias; secundum peius, nec cognoscere beneficium, nec ipsum benefactorem, sed, accepto beneficio, odio potius prosequi quam amore; tertium pessimum, mala pro bonis reddere; quartum plus quam pessimum, propriis beneficiis tanquam armis benefactorem insectari, persequi, offendere mille modis.

summum ingratitudinis genus.

In peccato vestro moriemini, idest propter peccatum vestrum, vel cum peccato vestro per poenitentiam non deleto. Quidam enim moriuntur propter peccatum etsi non cum peccato, veluti qui ob facinora a publica iustitia morte plectuntur, si de peccato commisso poenitentiam egerint, moriuntur quidem propter peccatum, sed non in peccato. Sic Christus propter peccatum Adami mortuus est, non tamen in peccato, quia *peccatum non fecit nec inventus est dolus in ore eius.*[46] Alii moriuntur in peccato, sed non propter commissa peccata, ut infideles omnes et peccatores, qui naturali morte extinguuntur. Iudaei autem in poenam perfidiae et incredulitatis in Christum et propter peccatum et in peccato mortui sunt in ierosolymitano excidio. Qui autem cum peccato moriuntur non possunt paradisi gloriam consequi, ideo: *Quo ego vado, vos non potestis venire;* gravium enim locus non sursum, sed deorsum in centro est.

Aliud est mori propter peccatum, aliud in peccato.

Non solum autem bonis omnibus et naturalibus et supernaturalibus ipsum hominem privat peccatum: naturalibus quia: *Moriemini,* supernaturalibus quia: *Quo ego vado, vos non potestis venire;* sed etiam subicit hominem tremendo horrendoque Dei iudicio: *Multa,* inquit, *habeo de vobis loqui et iudicare,*[47] idest: Multa habeo quae contra vos dicam et iudicem. Non iudico autem modo, quia *qui me misit verax est,*[48] vult promissa servare. Promisit autem mittere Messiam in mundum, non ad iudicandum damnandumque mundum, sed ad salvandum: *Non enim misit Deus Filium suum... ut iudicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum.*[49] Ideo, inquit, quamvis

Peccatum privat bonis naturalibus et supernaturalibus et subicit hominem tremendo iudicio Dei.

46) 1 Petr 2, 22. 47) Io 8, 26. 48) Ibid. 49) Ibid. 3, 17.

etiam iudex mundi constitutus sim a Deo, non iudico nec damno vos modo ob peccata vestra. Indicat tamen Dominus quod iudicaturus est ac puniturus peccata in finali iudicio, cum dicet omnibus peccatoribus: *Ite, maledicti, in ignem aeternum.* [50] Peccatum igitur homini infinita aeternaque affert mala et damna.

et infinita et aeterna damna affert.

Multa habeo... iudicare, quia *in peccatis vestris moriemini.* Iudicaturus autem est omnia peccata: *Dixi ergo vobis quia moriemini in peccatis vestris, nisi... credideritis quia ego sum.* [51] Prius dixit *in peccato,* nunc autem dicit *in peccatis* quia: *Abyssus abyssum invocat,* [52] adulterium David peperit homicidium; [53] sic peccatum unum, nisi cito per poenitentiam deleatur, multa alia secum trahit, efficit enim hominem sui iuris: *Qui facit peccatum servus est peccati.* [54]

Fides est antidotum contra venenum peccati

IV. *Moriemini in peccatis vestris, nisi... credideritis.* Ostendit quod fides est antidotum et theriaca contra venenum peccati et quod divina praescientia non imponit nostro libero arbitrio necessitatem. *Moriemini,* inquit; praedictio est divinaeque praescientiae vaticinium. Sed quia ideo praescit Deus futura quia futura sunt, non ideo futura sunt quia praescit ea Deus, hinc subiunxit: *Nisi credideritis quia ego sum.* Hic est aspectus in aeneum serpentem. [55]

tum commissi tum committendi,

Est fides peccati antidotum, peccati tum commissi tum committendi. Commissi quidem, quia fides proponit infinitam Dei iustitiam contra peccatum et infinitam misericordiam erga poenitentes; quare cogit ad poenitentiam peccatorem qui salutis est cupidus; salutis autem desiderium naturalissimum est, sicut vitam diligere et fugere mortem. Est etiam antidotum committendi; si enim mulier contra viri honorem adulterium committat, induci ad hoc potest vel quia putat quod virum latebit secretum opus, vel quia, quamvis scientiam facti vir habiturus est, nihil tamen mali poterit ei facere, vel quia scit non displicere viro, quoniam honoris sui zelum non habet, imo consentit ob lucrum vel ob alias causas. Sed si nulla harum causarum interveniat, quomodo unquam audebit committere adulterium? Medicina est praeservativa contra peccatum ostendens severissimam

ostendens iustitiam et misericordiam Dei.

50) Mt 25, 41. Vulg.: *Discedite a me, maledicti,* etc. 51) Io 8, 24. Vulg.: *Si... non credideritis,* etc. 52) Ps 41, 8. 53) Cf. 2 Rg 11, 1 sqq. 54) Io 8, 34. 55) Cf. Nm 21, 8-9.

Dei iustitiam, iram et odium contra ipsum peccatum, maxime in passione et morte Christi. An non manifestum indicium est mortalis odii si quis inimicum persequens et ipsum in manibus habere minime valens, reperta eius imagine aut simulacro, accipiat iraque percitus confringat et mille modis deperdat? In Christo non fuit peccatum, sed imago et similitudo peccati; venit enim *in similitudinem carnis peccati.* [56] Ob peccati autem similitudinem videmus quomodo tractatus est a divina iustitia in sua passione.

Nil magis molitus est Deus quam peccati destructionem.

In peccato vestro moriemini. In peccati punitionem inventa est mors, infernus et omne malum. Nil magis molitus est Deus quam peccati destructionem. Ad hoc eiecit homines ex paradiso multis poenis onustos; [57] maledixit Cainum, [58] subvertit mundum diluvio, [59] pluit ignem de coelo, [60] flagellavit Aegyptum, [61] fame, peste, bellis ac mille malis mundum afflixit et affligit; ad hoc legem dedit, instituit sacerdotes, ordinavit sacrificia, misit Prophetas, constituit principes et iudices ad puniendum et destruendum peccatum. Et tamen semper revixit; est sicut granum frumenti, quod cadens in terram corrumpitur quidem, sed corruptum multo magis multiplicatur. [62] Ad hoc tandem misit unigenitum Filium suum, ut eius passio et mors unicum esset antidotum contra peccati venenum. Ad hoc Christus venit in mundum, ad destruendum peccatum, sicut tandem venturus est ad puniendum omnes peccatores: *Multa habeo de vobis loqui et iudicare, sed qui me misit verax est.*

56) Rom 8, 3. 57) Cf. Gn 3, 6 sqq.; Rom 5, 12. 58) Cf. Gn 4, 5-11. 59) Cf. ibid. 6, 1-7, 1 sqq. 60) Cf. ibid. 19, 13-25. 61) Cf. Ex 7, 14-12, 1-30; Ps 104, 28-36. 62) Cf. Io 12, 24-25.

FERIA TERTIA DOMINICAE SECUNDAE QUADRAGESIMAE

Hodie Christus docet obedientiam erga praelatos Ecclesiae et principes saeculares.

I. Est gregibus necessarius pastor, exercitui dux, familiae pater, reipublicae princeps, civitati rector, regno rex, navi nauclerus optimus. Sed non minus Ecclesiae Episcopi, praelati, sacerdotes, principes etiam saeculares; illi propter animam, isti propter corpus; illi propter bona spiritualia, isti propter corporalia; illi propter felicitatem aeternam, isti propter temporalem; illi propter Deum, isti propter mundum. Utrisque vult Deus a nobis praestari obedientiam. Sicut rex in suo regno non tantum ipse vult honorari et obediri, sed et proreges, gubernatores, rectores ac iudices a se destinatos ad regimen regni, sic Christus, qui *Rex regum* est *et Dominus dominantium,* [1] hodie praecipit ut principibus tum spiritualibus tum temporalibus obedientiam praestemus: *Super cathedram Moysi sederunt scribae et Pharisaei: ... quaecunque dixerint vobis servate et facite,* [2] obedientiam proponens nobis tanquam salutis viam.

Super cathedram Moysi sederunt scribae et Pharisaei: ... quaecunque dixerint vobis servate et facite, etc. [3]

Christus se magistrum appellat, nam ad hoc venturus erat Messias,

II. In sacrosancto hodierno Evangelio Dominus semel atque iterum se *magistrum* appellat: *Unus est magister vester Christus;* [4] nec sine causa, nam ad hoc venturus erat Messias, ut magister esset scientiae salutaris. Sic apud I o e l legimus: *Filii Sion, exultate in Domino Deo vestro et laetamini, quia dedit vobis doctorem iustitiae*

1) 1 Tim 6, 15; Apc 19, 16. 2) Mt 23, 2-3. 3) Pericope huius diei Mt 23, 1-12. Cf. Missale Rom. 4) Mt 23, 10. Vulg.: *Magister vester unus est Christus.*

et descendere faciet super vos imbrem matutinum et serotinum sicut in principio, [5] idest cum Moysen *dedit vobis doctorem iustitiae* ac legislatorem, qui aiebat : *Descendat ut pluvia doctrina mea, fluat ut ros eloquium meum.* [6] Sic etiam apud Isaiam : *Non faciet ultra avolare a te doctorem tuum, et erunt oculi tui videntes praeceptorem tuum, et aures tuae audient verbum post tergum monentis : Haec est via, ambulate in ea et non declinetis neque ad dexteram neque ad sinistram.* [7]

ut magister esset scientiae salutaris:

Doctor venturus erat Christus viae salutis, doctor iustitiae, doctor non inanium scientiarum, quae hominem inflant, [8] sed doctor moraiis ac divinae philosophiae. Sic etiam apud eundem Isaiam legimus : *Venite . . . ascendamus ad montem Domini et ad domum Dei Iacob, et docebit nos vias suas et ambulabimus in semitis eius, quia de Sion exibit lex et verbum Domini de Ierusalem ;* [9] et: *Haec dicit Dominus redemptor tuus, sanctus Israel : Ego Dominus Deus tuus docens te utilia, gubernans te in via qua ambulas. Utinam attendisses mandata mea! Facta fuisset sicut flumen pax tua, et iustitia tua sicut gurgites maris.* [10] Hanc ob causam Christus in Divinis Litteris appellatur *legislator: Constitue, Domine, legislatorem super eos ;* [11] *Dominus . . . iudex noster, Dominus legifer noster, Dominus rex noster, ipse salvabit nos.* [12]

praedictus enim fuerat tanquam doctor iustitiae et propheta;

In sacrosancto autem hodierno Evangelio Christum habemus legislatorem et magistrum iustitiae et scientiae salutaris, ostendentem nobis viam salutis : *Haec est via, ambulate in ea.* Docet enim iustitiam, ut faciamus bona et declinemus a malis ; docet quam maxime obedientiam, innocentiam et humilitatem, quoniam : *Qui se humiliat exaltabitur.* [13] Epictetus philosophus universam moralem philosophiam ad duo capita reduxit : « Sustine et abstine » ; [14] sustine adversa, abstine a voluptatibus. Sic Christus hodie monet sustinendum iugum obedientiae et abstinendum a vitiis. O vere optimum magistrum ! Plato iamiam moriturus, ut refert Plutarchus tomo 2 *Vitarum, in Mario,* [15] et Lactantius libro 3 *Divinarum Institutionum,*

et talem hodie se ostendit docens iustitiam et obedientiam.

5) 2, 23. Vulg.: *Exultate et laetamini in Domino . . . et descendere faciet ad vos,* etc. 6) Dt 32, 2. Vulg.: *Concrescat ut pluvia,* etc. 7) 30, 20-21. Vulg.: *Non faciet avolare a te ultra,* etc. 8) Cf. 1 Cor 8, 1. 9) 2, 3. 10) Ibid. 48, 17-18. 11) Ps 9, 21. 12) Is 33, 22. 13) Lc 14, 11; 18, 14. 14) Cf. A. Gellius *Noctes Atticae,* lib. 17, cp. 19, pag. 469-470; P. Mannuccius *Adagia,* col. 952. 15) *Illustrium Vitae,* Guarino Veronensi Interprete, f. 190b.

capite 19,[16] laudavit fortunam suam, quod natus esset homo non brutus, graecus non barbarus, sed praecipue quod natus fuerit aetate Socratis, qui optimus fuit magister moralis philosophiae. Sic nobis gratiae agendae sunt Deo quod nati sumus fideles non infideles, nati non sub Moyse paedagogo,[17] sed sub optimo et sapientissimo magistro Christo.

Obedientia scala est coeli.

III. Scala per quam Deus voluit ut homo de terrestri in coelestem paradisum ascenderet, a temporali ad aeternam vitam, obedientia fuit: praeceptum obedientiae dedit illi, ne comederet *de ligno... scientiae boni et mali.*[18] Et per eandem scalam nos quoque vult ut in coelum ascendamus: *Super cathedram Moysi sederunt scribae et Pharisaei;... quaecunque dixerint vobis servate et facite;* nam et Christus per hanc scalam ascendit in coelum: *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.*[19]

Obediendum est potestati tum saeculari tum ecclesiasticae,

Requirit autem a nobis duplicem obedientiam: ut obediamus et *scribis et Pharisaeis,* principibus et saecularibus et ecclesiasticis, et temporalibus et spiritualibus. Sicut enim posuit duo magna luminaria in coelo: solem *ut praeesset diei* et lunam *ut praeesset nocti,*[20] sic duplicem posuit in Ecclesia principatum et potestatem: et temporalem et spiritualem; Christus enim rex est et sacerdos, hinc praefiguratus in Melchisedech, qui erat *rex Salem* et *sacerdos Dei Altissimi.*[21] Hoc est quod super populum suum constituit duo capita: Moysen et Aaron, illum supremum populi principem,[22] hunc autem summum sacerdotem et pontificem.[23] Hae sunt duae columnae nubis et ignis pro ducatu populi in terram promissionis:[24] columna lucidae nubis potestas temporalis, quae magna gloria in mundo resplendet; ex nube autem ros, pluvia, venti, tonitrua, coruscationes, fulgura procedunt; sic utique a temporali potestate; columna autem ignis est potestas spiritualis; ignis enim est purgare, illuminare et calefacere usque ad perfectam introductionem formae ipsiusmet ignis.

quia utraque constituta a Deo.

Isti sunt duo cherubim ex duobus lateribus arcae,[25] imo duo illi cherubim positi a Deo *ad custodiendam viam ligni vitae,* tenentes

16) P. L. 6, 412-413. 17) Cf. Gal 3, 24. 18) Gn 2, 17. 19) Phil 2, 8. 20) Gn 1, 16. 21) Ibid. 14, 18; cf. Hebr 7, 1 sqq. 22) Cf. Ex 3, 10 sqq.; Eccli 45, 1-6. 23) Cf. Ex 28, 1 sqq.; Eccli 45, 7-8. 24) Cf. Ex 13, 21. 25) Cf. ibid. 25, 18-20.

gladium ignemque;[26] gladius est signum temporalis potestatis, ignis autem spiritualis. Isti sunt duo seraphim habentes alas senas;[27] necesse est enim ut principes cognoscant et diligant Deum, seipsos et suos subditos. Isti sunt duae illae aeneae columnae tam mirabili artificio factae a Salomone a duobus lateribus maris aenei, quarum unam appellavit *Iachin*, alteram vero *Bohaz*. Quas quidem columnas summa cum diligentia describit nobis Divina Scriptura: quod erant altitudinis triginta quinque cubitorum;[28] quod stipes columnae altus erat decem et octo cubitis, habens desuper caput quattuor cubitorum et supra caput aliud capitellum quinque cubitorum altitudinis;[29] unde remanet quod basis columnae utriusque octo cubitorum erat. Describit fuisse has columnas rotundas, cubitorum duodecim circulum ambientes; tandem quod capita columnarum facta erant opere retiaculi, capitella vero opere lilii habebantque capita ordines malogranatorum. Una autem harum columnarum posita fuit a latere dextro, vocata *Iachin*, altera vero a sinistro latere maris aenei, appellata *Bohaz*.[30]

Huius duplicis potestatis multae sunt figurae in Sacra Scriptura; praecipue autem designantur per duas columnas templi Salomonis.

Haec autem nisi mysteriis plena essent, non utique tanta cum diligentia, Spiritu Sancto dictante, Litteris Sacris demandata essent. Sed quia per columnas principes designantur – sic enim Paulus Petrum, Iacobum et Ioannem *columnas Ecclesiae*[31] vocat; sic Sapiens ait quod *Sapientia aedificavit sibi domum, excidit columnas septem*,[32] idest multos principes Ecclesiae, qui eam regunt sicut columnae domum, quibus concussis, corruit domus; sic enim Samson egit: concussit columnas quibus domus innitebatur et corruit palatium Philisthaeorum,[33] – igitur in columnis istis describitur qualis esse debeat vita principum et praelatorum Ecclesiae: columnae ex aere, columnae stabiles et fortissimae in spiritu. Hinc Christus Petrum constituit caput Ecclesiae, quoniam magna animi fortitudine praeditus erat *petramque* stabilem appellavit.[34]

in quarum descriptione innuitur qualis esse debeat vita principum et praelatorum Ecclesiae.

IV. Principes necesse est fortes esse in fide, paratos semper ad Ecclesiae defensionem. Hinc positae fuerunt hae columnae a late-

26) Gn 3, 24. 27) Cf. Is 6, 2. 28) Cf. 2 Par 3, 15 sqq. 29) Cf. 3 Rg 7, 15-19. 30) Cf. ibid. vrr. 15-22; 2 Par 3, 17. Vulg.: *Booz*, *Bohaz* ex hebraico: בֹּעַז. 31) Cf. Gal 2, 9. 32) Prv 9, 1. 33) Cf. Idc 16, 29-30. 34) Cf. Mt 16, 16-18.

Principes in fide fortes esse oportet ad Ecclesiae defensionem,

ribus maris aenei, quod Ecclesiam designabat; Ecclesia enim vas aquarum sanctarum est propter Sacramenta, quae nos a peccatis abluunt, et quoniam aquae multae populi multi. [35]

perfectos in caritate.

Deinde, columnae istae rotundae sunt, constant perfecta figura, qua Deus mundum donavit. Necesse est principes esse perfectos in fide et caritate: *Oportet... Episcopum irreprehensibilem esse;* [36] sint altitudinis decem et octo cubitorum per observantiam decalogi cum octo evangelicis beatitudinibus; habeant caput quattuor cubitorum: mentem quattuor virtutibus cardinalibus praeditam.

Christus fundamentum est potestatis temporalis et spiritualis.

Sed noverint se Dominum habere in coelis, hoc est capitellum quinque cubitorum, Christum qui constat quaternario humanitatis [37] et unitate divinitatis, factum opere liliato, lilium enim Christi hieroglyphicum est: *Ego flos campi et lilium convallium.* [38] Habet lilium truncum viridem, folia candida, semina aurea; sic Christus tribus substantiis in una persona constat. Habebat capitellum duos ordines malogranatorum: unum superiorem et alterum inferiorem, et super utrunque septem retiacula, quia a Christo dependet universalis Ecclesia tum militans in terris tum triumphans in coelis; utraque autem praedita est septem Spiritus Sancti donis. Basis tandem columnarum octo cubitorum ipsemet Christus est: *Fundamentum... aliud nemo potest ponere praeter id quod positum est, quod est Christus Iesus.* [39] Huius fides continetur in Libris Legalibus, Historialibus, Sapientialibus et Prophetalibus utriusque Testamenti.

et utraque potestas ab eo pendet, sed haec nobilior est illa.

Erant hae columnae similes et aequales, ab uno eodemque artifice factae. [40] Sic utraque potestas a Deo pendet et imperandi potestas atque auctoritas aequalis est super omnes subditos, aequale est debitum obediendi. Sed una harum erat a dextris, altera a sinistris; una est nobilior altera, spiritualis temporali, sicut anima nobilior est corpore, gratia natura, vita spiritualis et angelica animali. Columna a dextris dicebatur *Iachin*, quod est firmitas, rectitudo, veritas, spiritualis enim potestas summa fidei firmitate ac iustitiae et aequitatis rectitudine necesse est ut praedita sit. Posita autem

35) Cf. supra, Sabbato post Cineres, not. 64, pag. 212. 36) 1 Tim 3, 2. 37) Idest essentia, vita, sensu et intellectu, ut dicitur etiam infra, part. 2 huius *Quadragesimalis*, Feria Sexta Dom. Tertiae Quadr., hom. prima. 38) Ct 2, 1. 39) 1 Cor 3, 11. 40) Cf. 3 Rg 7, 13-15.

a sinistris dicebatur *Bohaz*, quod est potentia et robur, quia temporalis potestas potentia maxime freta nixaque est, ut timorem incutiat; armis et exercitibus principes saeculares opus habent pro conservatione et regimine statuum.

Quoniam vero absque obedientia impossibile est gubernari mundum, hinc hodie Christus obedientiam praecipit: *Super cathedram Moysi sederunt scribae et Pharisaei: ... quaecunque dixerint vobis servate et facite. Cathedra Moysi* synagogam designat universalemque Ecclesiam, siquidem Moyses totius populi Dei princeps et legislator universalis fuit.[41] *Super cathedram Moysi sederunt* – sedere iudicum est, – *sederunt*, potiti sunt auctoritate et potestate iudicandi *scribae et Pharisaei*, principes temporales et spirituales. Isti sunt duae illae olivae, quas super aureum candelabrum septemque lucernas in spiritu vidit Divus Vates Zacharias,[42] aureum enim candelabrum Ecclesiam designat; hinc cum Ioannes in *Apocalypsi* vidisset Christum in medio septem candelabrorum aureorum habentem a dextris septem stellas, interpretatur quod septem stellae septem Angeli sunt et septem candelabra septem Ecclesiae.[43] Candelabrum igitur aureum Ecclesia est, septem autem lucernae omnes fideles, per duas autem olivas, ut ipsemet Vates interpretatur, intelliguntur duo principes populi: Zorobabel princeps saecularis, et Iesus sacerdos magnus, pontifex et princeps spiritualis.[44]

Quoniam vero mundus gubernari nequit sine obedientia, hanc hodie Christus praecipit.

Scribae et Pharisaei. Scribae erant iudices populi ordinarii, quia populum secundum legem iudicabant, successores forte septuaginta seniorum, quos Moyses iudices instituit[45] et quos hic Dominus *scribas et Pharisaeos* dicit; alibi legimus dictos *archisynagogos*[46] et *principes synagogae;*[47] hoc enim est *super cathedram Moysi* sedere, synagogae principatu potiri.

Scribae et Pharisaei repraesentabant principes temporales et spirituales.

V. *Super cathedram Moysi sederunt scribae et Pharisaei*. Vidit Ioannes in *Apocalypsi* circa thronum Christi viginti quattuor seniores amictos stolis albis, aureis coronis coronatos, sedentes super thronos viginti quattuor.[48] Potestas spiritualis a Christo designata

Sicut potestas spiritualis extenditur super omnes fideles quoad spiritualia.

41) Cf. Ex 3, 10 sqq.; Eccli 45, 1-6; Act 7, 35-36. 42) Cf. 4, 2-3. 43) Cf. 1, 17 sqq. 44) Cf. Zach. 4, 5 sqq. 45) Cf. Nm 11, 16-17. 25. 46) Cf. Mc 5, 22; Lc 13, 14; Act 18, 8. 47) Cf. Lc 8, 41; Act 13, 15; 18, 17. 48) Cf. 4, 2-4.

fuit per duodecim thronos duodecim Apostolorum, quorum successores sunt et locum tenent omnes Episcopi : *Vos, qui secuti estis me, in regeneratione, cum sederit Filius hominis in sede maiestatis suae, sedebitis et vos super sedes duodecim iudicantes duodecim tribus Israel,* [49] idest universalem Ecclesiam.

sic temporalis quoad temporalia.

Sed potestas temporalis, ut dictum est aequatur potestati spirituali, extenditur super omnes fideles quoad temporalia et corpora, sicut spiritualis quoad spiritualia et animas. Sic igitur sunt viginti quattuor throni, duodecim a dextris et duodecim a sinistris Christi.

Principes sapientia, prudentia et pietate praeditos esse oportet.

Sunt autem seniores, nam principes maturo iudicio multaque sapientia et prudentia oportet praeditos esse ; induti stolis albis propter innocentiam, ne sint socii furum ; sunt coronati aureis coronis propter honorem dignitatis ; sedent super thronos propter iudiciariam potestatem. Sed surgentes ante thronum Dei, procidebant in facies suas, mittentes coronas ante thronum adorabant, [50] et tenentes citharas et phialas aureas laudabant Deum dicentes : *Dignus es, Domine, accipere librum et solvere signacula eius, quoniam occisus es et redemisti nos Deo in sanguine tuo ... et fecisti nos Deo nostro reges et sacerdotes, et regnabimus super terram,* quia super omnia pietas et religio erga Deum principes decent. Hinc habent citharas ad laudandum Deum, sicut David, gratias agendo Deo de acceptis, et phialas aureas, sive thuribula aurea plena odoramentis, *quae sunt,* inquit, *orationes Sanctorum.* [51]

praesertim spiritu orationis.

O quam necessaria principibus et praelatis oratio est pro recto regimine ! Hinc Moyses vir orationi deditissimus fuit et mittens Iosue cum exercitu ad pugnandum contra Amalec, tunc praevalebat Iosue cum Moyses manus in coelum elevatas tenebat : [52] tunc bene feliciterque omnia succedunt, cum principes Deo magna cum pietate vacant.

Tales principes honorandi, audiendi et imitandi sunt;

Tales autem principes cum sunt, non tantum honorandi sunt et audiendi, verum etiam summopere diligendi, observandi et imitandi : *Quaecunque dixerint vobis servate et facite.* Si vero vocem quidem Iacob habent, sed manus Esau, [53] tunc audire eos Christus docet, non imitari : *Secundum opera ... eorum nolite facere,* [54] acci-

49) Mt 19, 28. 50) Cf. Apc 4, 10. 51) Ibid. 5, 8-10. Vulg.: *Aperire signacula ... regnum et sacerdotes*, etc. 52) Cf. Ex 17, 8-13. 53) Cf. Gn 27, 22. 54) Mt 23, 3.

piendam esse rosam et relinquendam spinam, accipiendam bonam doctrinam et relinquendam malam vitam. Cogita, inquit Christus, te esse infirmum, cui agendum est quod dicit medicus, non quod agit; te esse militem, cui ad signum tubae sumenda sunt arma ad certandum, non aspiciendum quid ipse buccinator agat. Cogita te viatorem esse: ignorans viam, si pilastrum vel lapidem videas signo ostendentem quae tua sit via, agendum tibi est id quod pilastrum docet, non id quod facit. Si sitiens ad fontem aquae vivae pervenis, cogita aquam esse claram, bonam, dulcem, optimam, non quod canalis ferreus, non aureus sit.

qui autem tales non sunt, non imitandi sed audiendi sunt.

VI. *Quaecunque dixerint vobis servate et facite, secundum vero opera eorum nolite facere; dicunt enim et non faciunt,* [55] bene credunt, sed male vivunt; bona docent, sed mala agunt; laudant virtutes, sed vitia sequuntur; sunt *sicut aes sonans* et *cymbalum tinniens,* [56] sicut candela ceteris lumen praebens et seipsam consumens.

Enarrat Christus vitia principum, quae sunt: a) negligentia in bonis agendis,

Enarrat autem seriose Dominus vitia principum et praelatorum: *Dicunt enim et non faciunt,* condunt leges, quas ipsi minime observant, sed sicut Moyses primi sunt qui tabulas legis frangunt; [57] *Dicunt... et non faciunt,* sunt, ad instar monstri, quod habet linguam multo maiorem manibus, imo linguam maximam et manum minimam. Hoc primum vitium est: negligentia in agendis bonis; sunt sicut terra sterilis, sicut arbor foliis tantum induta, sine fructu.

Alterum vero: *Alligant... onera gravia et importabilia... in humeros hominum, digito autem suo nolunt ea movere,* [58] in alios rigidi sunt atque severi, sibi vero omnia indulgent; sunt sicut Cherubim apud Ezechielem habentes faciem hominis et faciem leonis.[59] Has enim duas facies debet habere princeps, sed primam erga viros probos virtute praeditos, secundam contra improbos vitiis deditos; amore enim virtutis et odio vitii necesse est ut polleat qui locum iustitiae tenet; hae enim sunt duae lances bilancis iustitiae. Sed enim principes erga seipsos faciem habent hominis, at cum aliis leonis. In arca erat vas manna plenum una cum virga rigida; [60]

b) severitas in alios et indulgentia erga se,

55) Ibid. Vulg.: *Secundum opera vero eorum,* etc. 56) 1 Cor 13, 1. 57) Cf. Ex 32, 19. 58) Mt 23, 4. 59) Cf. 10, 14. 60) Cf. Ex 16, 33; Nm 17, 10; 20, 9; Hebr 9, 4.

hi sibi manna retinent, virgam autem pro aliis habent. Princeps debet esse sicut columna nubis et ignis, nubis in die, ignis in nocte; hi secum nubes, cum aliis ignis sunt: *Alligant... onera gravia et importabilia:* multiplicant leges, statuta, praecepta, poenas censurasque gravissimas, absque ulla vel pietate vel caritate.

Tertium: *Omnia... opera sua faciunt ut videantur ab hominibus,* [61]

c) vanagloria.

vana mundi gloria: non Dei, sed mundi gloriam ex bonis operibus quaerunt, non aeternam, sed temporalem.

Quartum: *Dilatant* autem *phylacteria sua et magnificant fimbrias,* [62]

d) luxuosa pompa,

vitium pomparum in vestitu, induentes mollibus et pretiosissimis vestibus, similibus purpurae et bysso divitis epulonis. [63]

Quintum: *Amant... primos recubitus in coenis et primas cathedras in synagogis et salutationes in foro et vocari ab hominibus rabbi,* [64] vitium utique ambitionis vani honoris, quo cupiunt semper et ubique primatum tenere et tanquam idola coli. Ambiunt primum locum tenere non solum in coenis, sed etiam in synagogis, etiam in ecclesiis et locis Deo sacratis, ubi omni cum humilitate adorandus est Deus. *Amant.. salutationes* cupientes ab omnibus honorari et revereri, *et vocari ab hominibus rabbi,* amplectuntur et ambiunt titulos magnificos et gloriosos. Vae nobis! Meridiana luce clarius videmus ignem hunc ad coelum usque ascendere.

e) ambitio vani honoris.

Haec vitia docet Christus fugienda principum, sed bona servanda mandata, ut si princeps vipera est et venenatus serpens, nos ex venenato serpente faciamus nobis antidotum, theriacam contra venenum. Non arguit scribas et Pharisaeos Christus de aliqua carnis immunditia, quia haec a fidelibus abesse adeo debet, ut nec nominetur quidem. Sic Paulus ait: *Fornicatio autem et omnis immunditia... nec nominetur in vobis sicut decet sanctos.* [65]

Haec vitia, si in principibus cernimus, nobis fugienda sunt, sed eorum iussa facienda.

VII. Magnum profecto est quod a nobis Dominus hodie requirit, ut obediamus hominibus, *non tantum bonis ... sed etiam dyscolis,* [66] et non in una tantum re, sed in omnibus quae non sunt contra legem Dei: *Super cathedram Moysi sederunt scribae et Pharisaei... quae-*

Etiam dyscolis obediendum est

61) Mt 23, 5. 62) Ibid. 63) Cf. Lc 16, 19. 64) Mt 23, 6-7. 65) Eph 5, 3. 66) 1 Petr 2, 18.

cunque dixerint vobis servate et facite. Homini, dum esset in statu innocentiae, gravis fuit obedientia, quamvis Dei et circa unam tantummodo rem. Hic autem requirit ut obediamus praelatis, *non tantum bonis et modestis, sed etiam dyscolis,* et obediamus in omnibus, non tantum levibus, sed etiam gravibus et multis : *Imponunt enim onera gravia et importabilia ... super humeros hominum.*

in omnibus quae non sunt contra legem Dei.

Sed Deus ab homine nonnisi obedientiam requirit. Haec enim iustum perfectumque virum constituit; ob hanc enim *Noe vir iustus atque perfectus* [67] dicitur, quia obedivit Deo in omnibus quae praecepit ei, nec aliud de eo legimus bonum opus. Obedientia igitur hominem facit iustum atque perfectum.

Obedientia hominem iustum constituit,

Requirit autem [a] nobis Dominus obedientiam non qualemcunque, sed perfectam, sicut requisivit ab Abraham, ut exiret de domo patris sui et de terra ac provincia sua, [68] ut circumcideret seipsum ac filios suos, [69] et tandem ut immolaret Isaac dilectissimum filium suum. [70] Homo autem nil magis in mundo diligit quam animi liberam voluntatem, nil homini gratius quam propriam facere voluntatem et ad suum libitum vivere. Dominus autem vult ut hunc nostrum Isaac in holocaustum ei offeramus, nam : *Melior est ... obedientia quam victimae.* [71]

dummodo sit perfecta sicut obedientia Abrahae.

Quam grata vero sit obedientia Deo ex multis cognoscimus. Primo quidem, ex odio et punitione inobedientiae. Siquidem omnia quae patimur in mundo mala unius inobedientiae poenae sunt ; [72] propter inobedientiam uxor Loth divino iudicio conversa fuit in statuam salis ; [73] Achan propter inobedientiam cum universa domo et familia sua fuit combustus ; [74] Saul gratia Dei et regno privatus ; [75] propheta in Bethel a leone occisus ; [76] Moyses privatus ingressu terrae promissionis una cum Aaron, eo quod dixit eis Deus : *Loquimini ad petram ... et illa dabit aquas,* [77] ipsi autem non locuti fuerunt, sed bis percusserunt ; [78] duo filii Aaron coelesti igne consumpti, eo quod contra divinum mandatum adhibuerunt ignem alienum ; [79] Ionas pro-

Quam grata Deo sit haec obedientia cognoscitur ex poenis quibus Deus inobedientiam punivit.

67) Gn 6, 9. 68) Cf. ibid. 12, 1. 69) Cf. ibid. 17, 10-11. 70) Cf. ibid. 22, 2. 71) 1 Rg 15, 22. 72) Cf ibid. 3, 6 sqq.; Rom 5, 12-19. 73) Cf. Gn 19, 17-26. 74) Cf. Ios 7, 1 sqq. 75) Cf. 1 Rg 15, 1 sqq. 76) Cf. 3 Rg 13, 21-26. 77) Nm 20, 8. 78) Cf. ibid. vrr. 11-12. 79) Cf. Ex 30, 9; Lv 10, 1-2.

pter inobedientiam proiectus fuit in mare et devoratus a pisce, [80] et omne peccatum transgressio est coelestium mandatorum.

Deinde, ex praemiis quibus Deus obedientes affecit. Ob hanc enim salvavit Noe a diluvio; [81] ob hanc exaltavit Abraham et multiplicavit semen illius, [82] et omnes electi ob meritum obedientiae donati sunt gloria paradisi; laudavit etiam Deus Rechabitas propter obedientiam. [83]

et ex praemiis quibus obedientiam affecit;

Cum tale tantumque iugum talis ac tantae obedientiae Dominus hodie super humeros nostros posuerit, veluti rationem reddens, in fine Evangelii hodierni dicit: Quoniam *qui se humiliaverit exaltabitur.* [84] Igitur qui se magis humiliaverit magis exaltabitur. Hinc Christus maxime omnium *humiliavit seipsum factus obediens usque ad mortem... crucis*, et ideo maxime omnium est exaltatus: *Propter quod et D·us exaltavit illum et donavit illi nomen quod est super omne nomen.* [85] Vult autem nos Christus in coelo summa gloria exaltatos. Et obedientiae maximum est praemium apud Deum, sicut inobedientiae maxima poena. Obedire Deo magnum non est: sed obedire hominibus propter Deum, hominibus autem *non tantum bonis et modestis, sed etiam dyscolis*, hoc maximum est et maxima opus est humilitate et caritate in Deum. Quo autem obedientia maiori cum humilitate fuerit coniuncta, eo maius in coelo praemium meretur. Si facio unum opus ad obediendum Deo, unum tantum opus est. Sed si huic obedientiae humilitatem coniungo, est ac si in numeris unitati addatur siphra [86] quae nullum valet; sic enim unitas fit denarius numerus, et si altera addatur fit centenarius; si tertia fit millenarius. Sic est virtutis obedientiae opus cum humilitate. Ideo hodie Christus maximam requirit a nobis humilitatem.

ex obedientia enim oritur exaltatio tanto gloriosior quanto illa humilior.

VIII. Adhuc vult Dominus ut malis etiam praelatis obediamus, modo bona praecipiant, ut ostendat quod bona opera per se sunt desiderabilia, sicut aurum et lapides pretiosi, etiam si in luto reperiantur, colliguntur et accipiuntur. Mali praelati lutum sunt, sed bona

Obediendum est etiam malis praelatis, dum bona praecipiunt,

80) Cf. Ion 1, 3-2, 1. 81) Cf. Gn 7, 1; Hebr 11, 7. 82) Cf. Gn 22, 16-18. 83) Cf. Ier 35, 18-19. 84) Mt 23, 12. 85) Phil 2, 8-9. Vulg.: *Humiliavit semetipsum,* etc. 86) De hac voce, quae in Lexicis nostris non invenitur, cf. Du Cange *Glossarium Mediae et Infimae Latinitatis* sub vocibus: *Cifrae* et: *Ziffrae.*

praecepta aurum et lapides pretiosi. Et aurum quidem ac pretiosi lapides nihilo minoris sunt pretii si intra ligneum aut terreum vas reponuntur, quam si intra vas argenteum et ornatissimum. Sic dignitas et potestas sacerdotalis nihilo minor est in malo sacerdote quam in bono; sed thesaurus est in agro absconditus.[87] Sicut Dominus iussit Hebraeis ut ab Aegyptiis acciperent vasa aurea et argentea quaecunque habere possent,[88] sic iubet ut a malis sacerdotibus et doctoribus accipiamus bonam doctrinam: *Omnia... quaecunque dixerint vobis servate et facite,* quoniam praecones sunt qui publicant edicta principis, et non obeditur praeconibus, qui ut plurimum, viles personae sunt, sed principi. Ita ait: *Qui vos audit me audit, et qui vos spernit me spernit.*[89]

quia potestas sacerdotalis eadem est in malo et bono subiecto;

Sed, bone Deus, quam male nos divinum istud mandatum servamus! Christus ait: Facite quae dicunt, non quae faciunt mali religiosi; diabolus autem, e contra, dicit: Facite quae faciunt, et non quae dicunt. Nos autem cuius iussa servamus? Christi an satanae? Hinc in infelici hac nostra tempestate tot ortae sunt haereses, quoniam diaboli potius iussa servantur quam Christi. Hoc potissimum intendit satan ad evertendum Christi regnum, ut populi videntes vitia et mala opera sacerdotum ac personarum religiosarum, confundant cathedram cum personis et sic sacerdotium spernant et contemnant una cum mala et scandalosa vita indignorum sacerdotum. Contempto enim sacerdotio, facile contemnitur religio, usus Sacramentorum, praedicatio verbi Dei sacraque doctrina, sacri canones, censurae ecclesiasticae, et sic tota evertitur religio cultusque divinus. Sic multae provinciae Germaniae Galliaeque eo devenerunt, diaboli arte seductae ob scandala et malam vitam sacerdotum, ut sint sine vero Dei cultu, sine sacerdotio, sine Sacramentis, sine fide, sine Christo, sine Deo. Praevidens igitur Christus tale tantumque periculum, separavit distinxitque mores et vitia sacerdotum a dignitate et auctoritate cathedrae dicens: *Super cathedram Moysi sederunt scribae et Pharisaei: omnia ergo,* etc.

ars autem diaboli est cathedram confundere cum personis, ut sacerdotium contemnatur ob scandala ecclesiasticorum.

Ab hoc periculo praecavet hodie Christus, quia hoc est causa spiritualium ruinarum.

Est mundus oculatissimus, veluti Argus centoculus;[90] habet oculos aquilinos, lynceos ad videnda vitia et peccata sacerdotum.

87) Cf. Mt 13, 44. 88) Cf. Ex 11, 2-3. 89) Lc 10, 16. 90) Cf. Ovid. *Amorum,* lib. 3, eleg. 4, vrr. 19-20; Hyginus *Fabulae,* fab. 145, pag. 35.

Mirum non est sacerdotem peccare, quia et ipse homo est et sacerdotium non mutat naturam;

Visis autem facillime scandalizatur et libentissime loquitur, murmurat, invulgat, publicat, diffamat. Videt sacerdotum etiam pilos, trabes autem in oculis suis non considerat.[91] Sed considerare debet saecularis quod nullum est animal homini similius sacerdote; de similibus autem idem est iudicium.[92] Sacerdos homo est sicut et tu, carne fragili sicut et tu, conceptus et natus sicut et tu, tentatus a carne, a diabolo magis quam tu. Quid mirum ergo si aliquando peccat? Non enim ob sacerdotium factus est impeccabilis; sacerdotium non mutavit naturam, non convertit hominem in Angelum.

attamen obediendum est, quamvis malus sit, quia potestas sacerdotalis a Deo instituta et gradibus distincta fuit.

Super cathedram Moysi sederunt, etc. Obediendum est praelatis et praepositis Ecclesiarum, etiam si mali sint, propter Deum, qui auctor ipsius cathedrae est; ipse enim eam instituit et distinxit suis gradibus, ordinesque distribuit levitarum, sacerdotum et principum sacerdotum usque ad Summum Pontificem. Nec tantum instituit, sed etiam honoravit multisque titulis ornavit: primo summa auctoritate, iurisdictione et potestate, ita ut dixerit: Omnis qui non obedierit sacerdotis imperio morte moriatur,[93] ubi etiam ostenditur sacerdotis auctoritas interpretandi et declarandi divinas leges; postea vero, sacra unctione, sacris vestibus, sacris ministeriis et functionibus in templo Dei, quae tamen *omnia in figura contingebant*[94] sacerdotii christiani erantque exemplaria verorum.

II. ALIA HOMILIA

> *Super cathedram Moysi sederunt scribae et Pharisaei: ... quaecunque dixerint vobis servate et facite,* etc.[1]

Multa cum maiestate introducitur sacerdotium in Divinis Litteris.

I. Erat Melchisedech, vir ille admirabilis maxima dignitate fulgens, et rex et sacerdos; sanctissimus tamen patriarcha Abraham magnum ei honorem detulit non tanquam regi, sed tanquam sacerdoti, cum pro Abraham obtulit Deo Altissimo sacrificium panis et vini ipsumque Abraham benedixit atque ab eo decimas accepit;[2]

91) Cf. Lc 6, 41. 92) Axioma philosophicum, de quo cf. etiam S. Beda *Sententiae philosophicae* ex Aristotele collectae (spuria), (P. L. 90, 990). 93) Cf. Dt 17, 12. 94) 1 Cor 10, 11.

1) Mt 23, 2-3. 2) Cf. Gn 14, 18-20.

qui enim altari deservit de altari vivere debet.[3] Hunc Melchisedech inquit Paulus Abrahamo ipso multo maiorem fuisse, cum ei benedixerit: *Absque ... contradictione* enim *quod minus est a maiore benedicitur.*[4] Sic multa cum maiestate introducitur sacerdotium in Divinis Litteris, dum ostenditur maius et regali et patriarchali dignitate. Magnum est esse regem, magnum esse patriarcham, sed multo maius esse sacerdotem. Quae quidem dignitas inter omnes dignitates est sicut sol inter astra, maxime autem dignitas sacerdotii christiani.

Triplex reperitur sacerdotium: Melchisedech, Aaron et Christi, iuxta triplicem legem et triplex sacrificium;

II. Triplex enim sacerdotium reperitur iuxta triplicem legem: sacerdotium Melchisedech in lege naturae, sacerdotium Aaron in lege Moysi et sacerdotium Christi in evangelica lege gratiae. Melchisedech obtulit panem et vinum Domino, benedixit Abrahamo et accepit ab eo decimas; Aaron offerebat sacrificia carnis et sanguinis animalium, offerebat per singulos dies incensum et lucernas concinnabat,[5] et semel in anno intrabat in sancta sanctorum pro expiatione omnium totius populi peccatorum.[6] Christi autem sacerdotium conficit Sacramentum, offert sacrificium et dimittit peccata. Utrunque illud sacrificium, tum Melchisedech tum Aaron, figura fuit sacrificii huius huiusque sacerdotii.[7]

sed sacerdotium Christi longe nobilius est omnibus,

O qualis quantaque est dignitas nostri sacerdotii quoad oblationem sacrificii! Non offertur nunc Deo neque panis et vinum materiale, neque caro et sanguis animalium, nam ait: *Sacrificium et oblationem noluisti;*[8] in adventu Christi omnia illa sacrificia abolenda erant. Sed quomodo Christus futurus erat sacerdos secundum ordinem Melchisedech, si non erat oblaturus panem et vinum? Aut quomodo oblaturus panem et vinum, si Deus nolebat sacrificium et oblationem? Quomodo sacerdos legalis, si non oblaturus erat carnem et sanguinem? Et quomodo offerre haec poterat, si Deo displicere sciebat? Offert Christus carnem et sanguinem Corporis sui, sed sub specie panis et vini, et sic utrunque sacrificium et sacerdotium in unum coniungit. Hinc in *Psalmo 110* legimus: *Iuravit Dominus et non poenitebit eum:*

quin offerens Corpus suum et Sanguinem, utrunque sacrificium et sacerdotium in unum coniunxit,

3) Axioma iuridicum Innocentii III, ex 1 Cor 9, 13 deductum. *Regest.*, lib. 1, epist. 76, (P. L. 214, 63); *Decretales* Gregorii IX, lib. 3, tit. 5, *de praebendis*, cp. 16. 4) Hebr 7, 7. Vulg.: *Sine ulla ... contradictione ... a meliore benedicitur.* 5) Cf. Ex 30, 7-8; Hebr 8, 6. 6) Cf. Ex 30, 10; Lv 16, 1 sqq.; Hebr 8, 7. 7) Cf. Hebr 7, 1 sqq.
8) Ps 39, 7.

Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech.[9] Ac deinde exprimens quodnam sacrificium et oblationem Deo allaturus erat, ait: עַמְּךָ נְדָבֹת בְּיוֹם חֵילֶךָ בְּהַדְרֵי־קֹדֶשׁ מֵרֶחֶם מִשְׁחָר לְךָ טַל יַלְדֻתֶךָ:[10] *Tecum oblationes in die virtutis tuae in splendoribus sanctitatis, de matrice ex aurora tibi ros generationis tuae.*[11] Loquitur Christo aitque: *Tecum sunt oblationes tuae, o sacerdos... secundum ordinem Melchisedech;* non es oblaturus Deo aliquid extra te, sicut Melchisedech, sicut Aaron; sed oblationes tuae tecum sunt, nam sunt *ros generationis*, sive *nativitatis tuae, de matrice aurorae*, idest Corpus tuum conceptum et natum ex Maria Virgine, purissima aurora. Ait autem *oblationes*, nam distincte Christus consecravit Corpus et Sanguinem, uti et nunc sacerdos facit in Missa.

sicut David vaticinatus fuerat.

Sacrificium hoc infiniti valoris est, quia in eo ipse Christus quotidie offertur, qui Deus est.

Hoc utique sacrificium dignum fuit tanto sacerdote Christo, sacrificium Corporis et Sanguinis: *Per Spiritum Sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo,*[12] sacrificium infiniti valoris atque virtutis, quoniam *in eo habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter.*[13] Sacerdos autem idem sacrificium Deo offert quotidie, opus infinitae dignitatis, quod nec Angelis concessum est.

Transubstantiatio maximum Dei miraculum est;

Deinde, dum sacerdos conficit, operatur, o res mirabilis! operatur, inquam, maius miraculum, quod possit operari Deus. Nunquam maius miraculum operatus fuit eo, quod in ultima coena operari voluit, dum divinissimum Sacramentum confecit Corporis et Sanguinis sui.[14] Primum Christi miraculum fuit conversio aquarum in vina,[15] novissimum conversio panis in Corpus suum et vini in Sanguinem suum. Maius autem miraculum isto Deus operari minime potest; non enim potest Deus facere aliquid maius et supra se, in hoc autem Sacramento totus Deus verus est, verus Christus, Deus et homo. Sacerdos autem celebrans quotidie operatur miraculum istud idem.[16]

sicut etiam remissio peccatorum

Remissio item peccatorum opus solius Dei est: *Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus?*[17] Sacerdoti autem data est haec po-

9) Vulg.: Ps 109, 4. 10) Ms.: *Himecha nediboth beiom helecha beadere kodesc mirehem miscechar lecha thal ialduthecha.* 11) Ps 109 (hebr. 110), 3. Translatio autem Sanctis Pagnini habet: *Populus tuus sponte veniet in die fortitudinis tuae, in pulcritudinibus sanctitatis ex utero ab aurora fuit, tibi ros nativitatis tuae.* 12) Hebr 9, 14. 13) Col 2, 9. Vulg.: *In ipso inhabitat*, etc. 14) Cf. Mt 26, 26-28; Mc 14, 22-24; Lc 22, 17-20; 1 Cor 11, 23-25. 15) Cf. Io 2, 7-11. 16) Cf. Conc. Trid., sess. 22, *doctrina de sacrificio Missae*, cp. 1-2. 17) Mc 2, 7.

testas a Christo : *Accipite Spiritum Sanctum : quorum remiseritis peccata remittuntur eis.* [18]

opus solius Dei.

Hinc apparet quam magna sit dignitas sacerdotalis, cui totus orbis subicitur.

Magna profecto res est dignitas sacerdotalis, cui hodie Dominus universum subicit orbem, nam ait : *Locutus est Iesus ad turbas et ad discipulos suos dicens : Super cathedram Moysi sederunt scribae et Pharisaei : ... quaecunque ergo dixerint,* etc.[18a] David miratur quod Dominus subiecerit omnia homini ; [19] sed hodie Christus ipsum etiam hominem totumque mundum subicit sacerdoti sacro.

Cathedra Moysi Cathedram Petri designat.

III. Cathedra autem Moysi ecclesiasticam dignitatem sacrumque principatum designat et pastorale munus, quam nunc dicimus C a t h e d r a m P e t r i . *Cathedram* autem *Moysi* dicit, quoniam sicut Moyses populum Dei eduxit de Aegypto, duxit per desertum, perduxit ad terram usque promissionis, [20] sic utique tale est sacerdotale munus : animas educere a regno peccati et satanae ad Christum et per viam salutis dirigere, sicut etiam Moyses tabernaculum Deo construxit ubi coleretur Deus, [21] legem Dei praedicavit, [22] virga divinae virtutis miracula fecit percutiens Aegyptum, [23] dividens mare Rubrum, [24] educens de petra durissima aquas. [25]

Moyses exemplar est vitae sacerdotalis,

Et sicut Moyses nunc ascendebat in montem ad Deum, [26] nunc descendebat ad populum splendenti facie ex divino consortio, [27] sic utique talis esse debet vita sacerdotis. Sicut etiam Moyses vir fuit sapientissimus et sanctissimus, [28] sic debet esse sacerdos. Hinc ait : *Scribae et Pharisaei.* Scribae erant legisdoctores, Pharisaei autem viri illius temporis religiosissimi. Sacerdos debet esse plenus omni scientia et cognitione divinae legis omnique virtute divinae gratiae. Sic portabat magnus sacerdos super pectus הָאוּרִים et הַתֻּמִּים, [29] l u m i n a et p e r f e c t i o n e s, lumina scientiae et perfectiones virtutum, ut sic bis possit percutere petram ad educendum aquas ex ea doctrina sana et vita sancta, verbo et exemplo, dictis et factis ; ut habeat et vocem et manus Iacob, non vocem quidem Iacob et manus

18) Io 20, 22-23. 18a) Mt 23, 1-2. Vulg.: *Ergo quaecunque,* etc. Cf. Missale Rom. 19) Cf. Ps 8, 6-7. 20) Cf. Ex 13, 1 sqq.; 33, 1-3; Nm 33, 1 sqq.; Dt 34, 1-4. 21) Cf. Ex 40, 1 sqq. 22) Cf. Dt 31, 1 sqq. 23) Cf. Ex 4, 17. 24) Cf. ibid. 14, 16 sqq. 25) Cf. ibid. 17, 1-7; Nm 20, 8-11. 26) Cf. Ex 19, 3 sqq. 27) Cf. ibid. 34, 29 sqq. 28) Cf. Eccli 45, 1-5; Act 7, 22. 29) Cf. Ex 28, 30. Ms.: *Urim Tumim.*

Esau, [30] ut sicut sol radio suo illuminat et calefacit et hinc terra germinat et fructificat, sic sacerdos illuminet populum fide et calefaciat caritate.

Necesse est ut sacerdotes vere sint *lux mundi* scientia et *sal terrae* caritate et sanctitate,

Hoc est quod Dominus ait: *Vos estis lux mundi... vos estis sal terrae.* [31] Lux spectat ad oculum, qui in corpore symbolum est intellectus in anima; sal spectat ad gustum, qui designat voluntatem. Ad intellectum spectat fides et scientia, ad voluntatem caritas et amor. Sacerdotes igitur necesse est ut sint *lux mundi* scientia et *sal terrae* caritate. Fides et caritas, cognitio et amor sunt duo cherubim tenentes divinum propitiatorium. [32] Hinc de his duobus laudat Moyses in benedictione tribum leviticam et sacerdotalem: *Perfectio tua et doctrina tua viro sancto tuo, quem probasti in tentatione et iudicasti ad aquas contradictionis.* [33]

ut docet etiam Malachias,

Apud Malachiam etiam sic legimus de tribu sacerdotali: *Pactum meum fuit cum Levi vitae et pacis, et dedi ei timorem, et timuit me et a facie nominis mei pavebat. Lex veritatis fuit in ore eius et iniquitas non est inventa in labiis eius; in pace et in aequitate ambulavit mecum et multos avertit ab iniquitate; labia enim sacerdotis custodient scientiam et legem requirent ex ore eius, quia angelus Domini exercituum est.* [34] Sacerdotem laudat de sanctitate vitae et de scientia et cognitione divinae legis tanquam Angelum Domini. Sed, heu proh dolor! quid sequitur? *Vos autem recessistis de via et scandalizastis plurimos in lege, irritum fecistis pactum Levi, dicit Dominus exercituum; propter quod et ego dedi vos contemptibiles et humiles in omnibus populis;* [35] nam alibi ait: *Honorantes me glorificabo, qui autem contemnunt me erunt ignobiles.* [36]

et significatur etiam in dotibus et muneribus sacerdotum Antiquae Legis.

Voluit Dominus Antiquae Legis sacerdotes nullo corporis vitio laborare, nulla macula notatos [37] sacrisque vestibus et paramentis indutos Domino ministrare, [38] scientia etiam praeditos esse, ut scirent discernere inter lepram et lepram [39] Deique mandata populum docerent. [40] Haec vita est sacerdotis: vita immaculata et doctrina multa, sed pura, sancta, catholica, divina. Si tales praevidisset Dominus

30) Cf. Gn 27, 22. 31) Mt 5, 13-14. Ordine inverso affert hos vrr. 32) Cf. Ex 25, 18-20. 33) Dt 33, 8. 34) 2, 5-7. Vulg.: *Pactum meum fuit cum eo*, etc.
35) Ibid. vrr. 8-9. 36) 1 Rg 2, 30. Vulg.: *Quicunque glorificaverit me glorificabo eum*, etc.
37) Cf. Lv 21, 16-23. 38) Cf. Ex 28, 1 sqq. 39) Cf. Lv 10, 10; 13, 1 sqq.; Dt 17, 8; 24, 8. 40) Cf. Lv 10, 11; Eccli 45, 21.

futuros sacerdotes suos, nequaquam dixisset: *Secundum vero opera eorum nolite facere; dicunt enim et non faciunt*, bene docent et male vivunt, habent vocem Iacob, sed manus Esau.

Sacerdos mediator est inter Deum et homines, ideo omnibus virtutibus fulgere debet.

IV. *Angelus* enim *Domini exercituum est*, Angelus qui in columna nubis per diem et ignis per noctem populum Dei ducebat in terram promissionis.[41] Debet enim sacerdos, sicut nubes media est inter coelum et terram, mediator esse inter Deum et populum,[42] mente semper et animo elevatus a terra et ignis purgans, illuminans atque perficiens peccatorum mentes; et sit sicut Seraph ille qui labia Isaiae purgavit calculo ignito,[43] Seraph sit caritate. Caritas autem semper sex aliis virtutibus est comitata: fide et spe in Deum, temperantia et fortitudine, quibus pedes animae nostrae, affectus animi reguntur in prosperis et in adversis, et prudentia atque iustitia in cavendis malis et faciendis bonis. Duabus hisce alis semper volare debet sacerdos, sed iuxta thronum Dei, in Ecclesia, iuxta sacrosanctum altare. Sic ignito calculo divini verbi purgabit, illuminabit et perficiet peccatores.

Bonus sacerdos quotidie sanctior fit gratia Sacramenti eucharistici crescens caritate;

Angelus Domini exercituum est. Omnis sacerdos vel Angelus est bonus vel daemon malus et daemone forte multo peior. Si enim bonus est, Angelus est, Seraph est igne caritatis incensus et totus ardens. Accedens autem quotidie ad altare caritate et gratia praeditus, adaugetur caritas, devotio mentis et fervor spiritus. Hoc enim proprium est divini Eucharistiae sacramenti, caritatem et gratiam adaugere suapte natura, modo non opponatur obex. Sic quotidie sacerdos ex Angelo fit Archangelus, fit Cherub, fit Seraph.

malus autem quotidie peior et velut alter diabolus causa fit perditionis multorum.

Sed si malus est, angelus est satanae, daemon incarnatus, causa perditionis multarum animarum. Hinc ait: *Vos autem recessistis de via et scandalizastis plurimos*. Sed: *Vae homini... per quem scandalum venit!*[44] Malus sacerdos multo peior est Iuda, qui Christum inimicis tradidit avaritia corruptus;[45] nam ille quidem semel tradidit Christum, sed malus sacerdos quotidie. Si igitur Christus Iudam *diabolum* appellavit,[46] multo magis malus sacerdos diabolus est. Et quidem luce clarius est quod nonnisi scribae et Pharisaei causa fuerunt

41) Cf. Ex 13, 21 sqq.; 14, 19; Dt 1, 33. 42) Cf. Hebr 5, 1-3. 43) Cf. Is 6, 6-7.
44) Mt 18, 7. 45) Cf. ibid. 26, 15; Lc 22, 2-5. 46) Cf. Io 6, 71 sqq.

ruinarum infelicis synagogae, nam hi propter avaritiam, ambitionem et hypocrisim excaecati Christum cognoscere noluerunt, nec in eum credere, sed persecuti fuerunt ac tandem extra vineam eiectum occiderunt; sacerdotes enim sunt agricolae vineae patrisfamilias qui occiderunt heredem.[47] Sic mali sacerdotes scandalizantes populum destruunt Ecclesiam Dei et Christum iterum crucifigunt.[48]

Multis tentationibus diabolus sacerdotes impetit,

V. Vidit Zacharias propheta sacerdotem magnum stantem coram Domino, indutum sordidis vestibus, et *satan stabat a dextris eius* ad accusandum eum; sed Angelus Domini satanam increpavit dicens: *Nunquid non iste torris est erutus de igne?*[49] Sic diabolus stat semper a dextris sacerdotum ad observandum vitam eorum atque ad accusandum eos, manifestando populo eorum vitia et peccata. Sed Angelus Domini excusat sacerdotem: *Nunquid non iste torris est erutus de igne?* Nunquid sacerdos, quia sacerdos est, non est homo fragili carne constans? Torris est lignum combustibile ac semiustum. Sacerdos homo est qui peccare potest, et ipse quoque in originali peccato conceptus et natus, ignem habet carnalis concupiscentiae. Mundus autem iste quid est nisi babylonica fornax ardens mille flammis in coelum usque[50] carnalis concupiscentiae, avaritiae et ambitionis? Quid mirum si aliquando sacerdos levia quaedam peccata committat? Non est sanctificatus in utero ut Ioannes,[51] nec confirmatus in gratia ut peccare non possit. Miraculum est si non peccat, sicut miraculum fuit Moysi ut rubus arderet et non combureretur;[52] miraculum fuit ut tres adolescentes in medio fornacis non consumerentur igne, sed Angelus Domini descendens de coelo flammas coercuit et fecit in medio fornacis ventum flantem, quo refrigerabantur servi Dei in medio fornacis.[53] Sic servi Dei Spiritum Sanctum habent in mundo, qui flammas temperat ignis voracis concupiscentiae et fomitis peccati mundanorumque desideriorum.

nec mirum est eos etiam peccare, homines cum sint,

habent tamen auxilium gratiae Dei, quo valeant concupiscentiam coercere,

Vitia autem sunt sordida vestimenta quibus indutus erat sacerdos. Vitia autem quae Christus arguit hodie in sacerdotibus sunt avaritia, ambitio et gula: *Amant... primos recubitus in coenis.*[54] De luxuria autem nihil penitus dicit, eo quod vita sacerdotalis ab hoc vitio adeo

ut ab omni vitio vita eorum immunis evadat;

47) Cf. Mt 21, 38-39. 48) Cf. Hebr 6, 6. 49) 3, 1-3. 50) Cf. Dn 3, 19-22. 51) Cf. Lc 1, 15. 52) Cf. Ex 3, 2. 53) Cf. Dn 3, 23. 49-50. 54) Mt 23, 6.

debet esse immunis ut, sicut ait Apostolus: *Fornicatio ... et omnis immunditia ... nec nominetur in vobis.* [55]

Agens autem sic Christus hodie in sacerdotibus malis accusandis, ostendit quibus virtutibus praeditus esse debeat sacerdos: caritate, ut sit pius erga alios et severus in seipsum; humilitate, hinc ait: *Super cathedram Moysi*, qui fuit humillimus et principatum a Deo sibi oblatum recusavit [56] omnibusque virtutibus praeditus fuit, quae quidem in vestimentis sacerdotalibus designantur, quibus induti fuerunt sacerdotes in die quo ordinati sacerdotes fuerunt. Sic enim Dominus dans ordinem sacerdotalem dat etiam omnes virtutes necessarias ad ordinem digne exequendum. Hoc est quod, cum ordinantur sacerdotes, induuntur sacerdotalibus vestimentis, quae signa sunt habituum virtutum in anima.

conferens enim Deus ordinem sacerdotalem dat etiam omnes virtutes necessarias ad ordinem digne exequendum.

VI. *Super cathedram Moysi sederunt.* Sedere iudicantis est; sacerdotes autem iudices facti sunt mundi in foro conscientiae. Sic sacerdotes constituti fuerunt ad iudicandum inter lepram et lepram; et Moyses quidem iudex fuit populi, [57] similiter septuaginta seniores, quibus Deus dedit de spiritu Moysi, iudices constituti fuerunt ad iudicandum populum. [58]

Sacerdotes Ecclesiae iudices sunt animarum.

In *Levitico* legimus divinum decretum ut de victima sacrificii sacerdos pro se acciperet pectus et dextrum brachium. [59] Pectus vero bonam conscientiam significat, brachium vero dextrum virtutem bonorum operum operatricem. Haec duo summe sunt necessaria sacerdoti, quae etiam designantur in indumentis magni sacerdotis per *superhumerale* et *Rationale* iudicii, quae Deus volebat esse coniuncta. [60] *Rationale* iudicii designat bonam conscientiam, sed *superhumerale* mira constans varietate colorum vitam multis virtutum operibus ornatam, ut sit anima sacerdotis regina stans a dextris Christi *in vestitu deaurato circumdata varietate.* [61]

ideo maxime in eis requiritur conscientia bona et opera sancta.

Super cathedram Moysi. Primatum synagogae Christus sacrumque principatum *cathedram Moysi* appellat, ad insinuandum quod omnis praelatus debet esse similis Moysi, [qui fuit] vir mitissimus et humilli-

55) Eph 5, 3. 56) Cf. Ex 4, 10-14. 57) Cf. ibid. 18, 13; Eccli 45, 3-5. 58) Cf. Nm 11, 10-30. 59) Cf. 9, 19-21. 60) Cf. Ex 28, 4-28; 39, 18. 61) Ps 44, 10.

Moyses typus perfectus virtutum Episcopi et praelati.

mus, vir absque ambitione, [62] qui principatum sibi a Deo oblatum semel atque iterum recusavit. Talis debet esse omnis Episcopus, omnis praelatus, ita ut episcopatus sit potius depositum quam commutatum, ut si redditurus est tanquam pastor rationem pro animabus et ovibus suae fidei creditis et commissis, [63] non teneatur nisi de dolo et lata culpa. [64] Debet esse sicut Moyses, qui impeditae erat linguae, [65] sed gravis manibus, [66] quod est habere pauca verba et multa facta ; sicut Moyses, qui liber fuit ab omni non solum ambitione, sed etiam avaritia ; qui pontificatum et summum sacerdotium, qui tunc veluti Papatus erat, non sibi retinuit, sed dedit Aaroni fratri, non motus affectione carnis, sed divino mandato, [67] ad designandum quod inter principes saeculares et praelatos ecclesiasticos debet esse magna pax et concordia, magna animorum unio pro optimo regimine populi. Deinde principatum non filiis suis reliquit, nec filium suum principem populi instituit, sicut David regem constituit Salomonem, [68] sed dedit Iosue, [69] qui ex alia tribu erat. [70] Sic decet praelatum ab omni carnali affectione liberum esse, ut sit praelatus sicut Moyses, qui maiorem temporis partem in oratione et contemplatione divina transigebat, unde resplendebat facies eius divino splendore ;[71] sic in facie sancti praelati, operante Deo, splendor quidam fulgere videtur divinae sanctitatis; sicut Moyses divini honoris ardentissimus zelator. [72]

Peccatum sacerdotis gravius valde est peccato personae populi

VII. *Super cathedram Moysi.* Statum praelationis et regiminis spiritualis Dominus *cathedram Moysi* appellat, ut sciant praelati quod sicut severe Deus punivit peccatum Moysi, quod commisit *ad aquas contradictionis*, ita ut propter illud privaverit eum ingressu in felicem terram promissionis, [73] sic Deus severissime punit peccata praelatorum. In *Levitico*, ubi agitur de sacrificio pro peccato, primo loco agitur de peccato pro sacerdote, [74] secundo de peccato totius populi, [75] tertio

62) Cf. Nm 12, 3; Eccli 45, 4. 63) Cf. Hebr 13, 17. 64) *Dolus* in Iure est cum ad alium decipiendum tacetur quod est dicendum, vel aperte mendacium dicitur, vel fraudulenter agitur; *lata culpa* habetur si omittatur illa diligentia quam etiam incuriosi homines solent adhibere. Cf. Ios. Ferrari *Summa Institut. Can.*, lib. 2, tit. 28, t. 2, pag. 325.
65) Cf. Ex 4, 10. 66) Cf. ibid. 17, 12. 67) Cf. ibid. 28, 1-29, 1 sqq. 68) Cf. 3 Rg 1, 28-48. 69) Cf. Nm 27, 18 sqq.; Dt 34, 9. 70) Idest ex tribu Ephraim. Cf. 1 Par 7, 20-27. 71) Cf. Ex 34, 29 sqq. 72) Cf. ibid. 32, 15 sqq. 73) Cf. Nm 20, 12-24; Dt 32, 48 sqq. 74) Cf. 4, 1-12. 75) Cf. ibid. vrr. 13-21.

de peccato principis [76] et quarto de peccato cuiusvis personae populi; [77] et ostenditur peccatum sacerdotis maius esse peccato saecularis personae, quoniam persona saecularis tenebatur pro peccato capram offerre, sed sacerdos vitulum; et sacrificium pro peccato singularis personae offerebatur super altare, in tabernaculo aut templo Domini, non autem pro sacerdote, sed extra castra; et de sanguine sacrificii pro peccato saecularis personae opus erat tantum digito parum accipere et tangere cornua altaris holocausti, sed de sanguine sacrificii pro sacerdote et praelato necesse erat septies aspergere contra divinum propitiatorium et altare etiam incensi sanguine aspergere.

Ostendit etiam peccatum sacerdotis et praelati maius esse peccato principis saecularis, qui pro peccato suo tenebatur hircum caprarum offerre et super altare, nec fit mentio de septena sanguinis aspersione. Quare multo plura multoque maiora requirebat Deus in satisfactionem pro peccato sacerdotis.

et principis saecularis,

Ostendit peccatum sacerdotis aequale esse apud Deum peccato totius populi; [78] nam idem omnino sacrificium requirit Deus ob peccatum totius populi, et pluris se facere indicat peccatum sacerdotis quam peccatum totius populi, quoniam prius satisfactionem pro eo requirit.

imo peccato totius populi.

Super cathedram Moysi sedere debet praelatus, similis esse debet Moysi. Si ministris et coadiutoribus opus habet, eligat, sicut Moyses fecit ad consilium Ietro, [79] viros potentes, sapientes et timentes Deum; qui boni sint nominis et oderint avaritiam; qui possint, sciant et velint, ut par est, sua munera obire; provideant non hominibus officia ad illorum utilitatem, sed officiis homines aptos et idoneos ad populi utilitatem pro communi bono.

Praelati, si coadiutoribus opus habent, aptos et idoneos eligere debent.

VIII. *Super cathedram Moysi sederunt*, etc. Magnum profecto et ineffabile beneficium contulit mundo Deus cum sacerdotium instituit, nam sacerdos est s a c e r d u x, qui populum Dei in terram promissionis ducit sicut Moyses et Aaron; est s a c r a d i c e n s, dum ad Deum orat; est s a c r a d o c e n s, dum populo divinam legem exponit; est s a c r a d a n s, dispensator divinorum munerum, [80]

Sacerdotium est ineffabile beneficium mundo collatum a Deo.

76) Cf. ibid. vrr. 22-26. 77) Cf. ibid. vrr. 27 sqq. 78) Ms.: *Populo.* 79) Cf. Ex 18, 16-24. 80) Cf. 1 Cor 4, 1.

qui claves habet thesaurorum Dei ad eos dispensandos: *Tibi dabo claves regni coelorum;* [81] quoniam potest sacrificium gratissimum et in odorem suavissimum Deo offerre, multo gratius sacrificio Melchisedech [82] et Abrahami, [83] sacrificium infiniti meriti et valoris; quoniam potest Deum benedicere, laudare, gratias agere; ad Deum per singulos dies accedere tanquam orator christianae reipublicae apud Deum, sicut orator alicuius reipublicae apud Pontificem, qui possit semper cum libuerit secretam audientiam habere, quod pontifex synagogae semel tantum in anno poterat facere ingressus in sancta sanctorum; [84] tandem quia potest populo benedicere, sicut Melchisedech benedixit Abrahamo. [85] Est autem benedictio haec infiniti valoris, quoniam liberat suapte natura ab aeterna illa maledictione: *Ite, maledicti, in ignem aeternum, qui paratus est diabolo et angelis eius,* [86] et confert aeternam benedictionem: *Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi.* [87] Potestatem habet claudendi infernum et aperiendi paradisum, potestatem suscitandi mortuos ad vitam aeternam, potestatem faciendi hominem ex filio diaboli filium Dei et fratrem Christi, ex daemone Angelum, ex perpetuo titione et carbone inferni aeternam stellam paradisi; quia potest dare homini bonum quod thesaurus est infinitus, quo nil maius potest dare ipsemet Deus, cum dat sacramentum Corporis Christi, quod thesaurus est omnium bonorum Dei, in quo *inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter,* [88] ita ut qui non intelligit quale quantumque malum sit infernus, quale quantumque bonum sit paradisus, quale quantumque bonum sit ipsemet Deus, vix intelligere possit quale quantumque bonum ac beneficium sit sacerdotium sacrum.

propter altissima ministeria quibus fungitur

et infinita bona quae hominibus dispensat;

Et quidem magnum, imo magnum adeo, ut etiam maximum iure existimari debuerit, beneficium extitisset, si Deus dignitatem et potestatem sacerdotalem nonnisi viris sanctissimis, qualis fuit Moyses, conferre voluisset; nam sacerdotalis dignitas talis ac tanta est, ut omnem dignitatem Angelorum, Cherubim, Seraphim excellat. Sed nil minus est quod voluerit indignis etiam peccatoribus talem tantamque dignitatem et potestatcm conferre, ut etiam sacerdos, quantumvis pec-

eo magis quod non solis sanctis conceditur, sed etiam peccatoribus,

81) Mt 16, 19. 82) Cf. Gn 14, 18. 83) Cf. ibid. 22, 1-18. 84) Cf. Ex 30, 10; Lv 16, 1 sqq.; Hebr 9, 7. 25. 85) Cf. Gn 14, 19. 86) Mt 25, 41. Vulg.: *Discedite a me, maledicti,* etc. 87) Ibid. vr. 34. 88) Col 2, 9.

cator, modo legitimus sit, eandem omnino potestatem et auctoritatem habeat ac sacerdos quivis etiam sanctissimus. Nam, si sacerdos tantum, qui vita et moribus sanctus esset et in gratia constitutus, posset administrare Sacramenta, maxime Poenitentiae et Eucharistiae, cum nemo hominum sciat *utrum* apud Deum *odio vel amore dignus sit,* [89] nemo, nisi ex divina revelatione, cognoscere posset sacerdotem vere in gratia constitutum. Ob id igitur voluit Deus ut quilibet sacerdos, etiam malus, potestatem haberet administrandi Sacramenta, quamvis malus sacerdos indigne Sacramenta administrando graviter peccet et damnationem sibi acquirat. [90]

dummodo legitima sit ordinatio.

IX. *Patrem nolite vocare vobis super terram, unus est enim Pater vester qui in coelis est. Nec vocemini magistri, quia magister vester unus est Christus.* [91] His verbis Dominus seipsum et patrem nostrum ostendit et magistrum esse. Nam, cum Deum dicat unicum patrem nostrum esse, ipse autem verus sit Deus, profecto seipsum patrem nostrum dicit, unicum autem patrem unicumque magistrum. Quid est autem patrem esse, nisi fontem esse vitae? Et quid magistrum esse, nisi fontem esse scientiae et doctrinae? Heri Christum vidimus auctorem naturae, creatorem mundi: Ego *principium, qui et loquor vobis,* [92] hodie se ostendit esse fontem gratiae; heri Christum vidimus solem unicum, a quo emanat omnis lux bonitatis et pulcritudinis naturalis, [93] hodie solem eum videmus, a quo emanat omnis lux bonitatis et pulcritudinis supernaturalis, unicum solem: *Unus est enim Pater vester ... et magister vester unus est Christus.*

Christus hodie seipsum patrem et magistrum nostrum ostendit;

Sol suis radiis duo diffundit in terram: lucem et calorem vitalem, qui plantis et animalibus omnibus vitam communicat. Sic Christus, *Sol iustitiae,* [94] in nos ex alto duo demittit: lucem divinae cognitionis et calorem divini amoris, lucem fidei et calorem caritatis, in qua vita gratiae consistit. Hinc se hodie et *patrem* et *magistrum* appellat: *magister* est ratione luminis divinae cognitionis, quam per fidem infundit in intellectum nostrum; *pater* autem ratione vitalis vivificique caloris, quem per caritatem accendit in voluntate nostra.

patrem ratione vitae spiritualis quam fovet in nobis, magistrum ratione luminis divinae cognitionis quam intellectui nostro infundit.

89) Eccle 9, 1. Vulg.: *Utrum amore an odio,* etc. 90) Cf. 1 Cor 11, 27-29.
91) Mt 23, 9-10. 92) Io 8, 25. Cf. supra, Feria praec., not. 20, pag. 488. 93) Cf. sudra Feria praec., pag. 498-502. 94) Mal 4, 2.

Nam vita naturalis nonnisi in vitali cordis calore spirituque consistit, quo extincto, vita simul extinguitur; nec aliud mors est quam caloris huius extinctio.

Sicut quatenus est fons naturae mundum creavit, sed creaturarum ministerio regit,

Et quidem sicut Christus, quatenus auctor naturae, solus propria virtute creavit *coelum et terram, mare et omnia quae in eis sunt,* [95] solus replevit paradisum Angelis, coelum stellis, aerem avibus, mare piscibus, terram animalibus, plantis et mineralibus, non tamen solus mundum hunc conservare voluit, sed creaturas etiam suas voluit honorare: movere coelum, sed per Angelos; [96] illuminare diem, sed per solem, noctem, sed per lunam et stellas; propagare et multiplicare plantas, animalia, homines, sed per naturalem generationem, usus ministerio secundarum causarum; ita idem Christus quatenus fons est gratiae potuit per seipsum recreare mysticum sacrumque mundum sacrosanctae Ecclesiae praedicando Evangelium, instituendo Sacramenta, operando miracula; sed non per seipsum solum voluit spiritualem hunc divinumque mundum conservare et gubernare, sed per ministerium hominum, per sacerdotes et Episcopos, sicut synagogam antiquitus administravit per Moysen et Aaronem, per pontifices et sacerdotes, per reges et iudices; per illos quidem quoad spiritualia, quae spectant ad Deum et animam, per hos vero quoad temporalia, quae ad corpus et mundum spectant.

sic quatenus est fons gratiae Ecclesiam instituit, sed hominum ministerio gubernat,

Cum tamen prius, ante Moysi tempora, ab Adam usque ad legislationem veluti per seipsum Deus Ecclesiam gubernavit sola lege naturali in hominum cordibus scripta solisque divinis motibus et inspirationibus, aliquando autem etiam apparitionibus et theophaniis, sic, inquam, Christus per seipsum semper potuit universam Ecclesiam administrare; sed ad nos honorandos communicare voluit Ecclesiae suae divinos honores divinasque dignitates suas.

quamvis posset per seipsum solum eam administrare.

Est Christus tanquam verus Melchisedech simul rex et sacerdos, imperator et pontifex. [97] Constituere voluit in Ecclesia et reges et sacerdotes, potestatem et saecularem et ecclesiasticam pro servanda iustitia tum civili tum christiana, et externa in oculis hominum et interna in oculis Dei. Sed sicut regia dignitas et potestas potius spe-

Constituit in societate christiana potestatem saecularem et ecclesiasticam, quia ipse est rex et sacerdos.

95) Ps 145, 6. 96) Cf. supra, Feria Tertia Dom. Primae Quadr., not. 105, pag. 312.
97) Cf. Gn 14, 18.

ctat ad Christum quatenus auctor naturae quam fons gratiae, sacerdotalis autem potius quatenus est fons gratiae quam auctor naturae; ita in sacrosancto hodierno Evangelio potius agitur de dignitate et potestate ecclesiastica et sacerdotali quam de temporali et laica.

Sacerdotes in Ecclesia positi sunt ut magistri et patres populi christiani;

Super cathedram Moysi sederunt scribae et Pharisaei. Erant scribae sapientes Hebraeorum, legisdoctores et interpretes divinam legem populo exponentes, erant theologi, canonistae et iuristae Iudaeorum; Pharisaei autem viri religiosi, qui sanctioris et cultioris vitae genus profitebantur; quare ab illis discebat populus doctrinam legis, ab his autem opera et virtutum sanctaeque vitae exempla. Illi erant magistri, isti autem veluti patres populi. Ad hoc positi sunt sacerdotes in Ecclesia, ut sint magistri et pastores patresque populorum fidelium, ut cum Christus hodie fontem se dicat doctrinae et vitae coelestis, sacerdotes sint canales et fistulae huius fontis, per quos derivetur aqua doctrinae in intellectum et aqua virtutis et gratiae in voluntatem.

Christus enim est fons gratiae et veritatis, sacerdotes autem veluti canales sunt per quos gratia et veritas a Christo derivantur in populum.

Sicut autem apud Zachariam in aureo candelabro ex magna lampade defluebat oleum in septem lucernas per canales et fistulas aureas, ita quod in quamlibet lucernam per duas fistulas oleum defluebat; [98] sic Christus magna est lampas: *Verbum caro factum est... plenum gratiae et veritatis... et de plenitudine eius nos omnes accepimus:* [99] *plenum gratiae* quoad voluntatem, *et veritatis* quoad intellectum, nam in intellectum infundit cognitionem mysteriorum fidei et in voluntatem gratiam divini amoris et caritatis. Sacerdotes autem sunt veluti canales per quos a Christo fonte gratia in nos devenit.

Sed ad hoc necesse est ut virtutibus praediti sint, maxime scientia et caritate.

Erant canales illi aurei, tales enim desiderat Christus sacerdotes, ut sint aurei, optimis virtutibus, maxime vero sapientia et caritate ornati, ut sint similes Moysi, similes Christo, super cuius cathedram sedent. Sed si tales minime sint, si non aurei, sed ferrei aut plumbei vel testacei sint canales, quod spectat ad salutem nostram, nil refert, inquit Christus, nam si *dicunt... et non faciunt*, peccant ipsi quidem, quoniam divina mandata transgrediuntur, nec *est speciosa laus in ore peccatoris.* [100] Multum reputationis amittit sacra doctrina

98) Cf. 4, 2. 99) Io 1, 14-16. 100) Eccli 15, 9.

in ore mali sacerdotis et facile contemnitur, nam

« Turpe est doctori cum culpa redarguit ipsum », [101]

et si caritatem non habent, sunt *sicut aes sonans* et *cymbalum tinniens.* [102] Sibi tamen nocent et *sibi damnationem acquirunt ;* [103] nobis autem, si ab eorum moribus caveamus, nocere non possunt, sed sana doctrina prosunt.

III. ALIA HOMILIA

Super cathedram Moysi sederunt scribae et Pharisaei . . . quaecunque dixerint vobis servate et facite, secundum vero opera, etc. [1]

Dat hodie Christus legem obedientiae;

I. In sacrosancto hoc Evangelio Christus Dominus noster instruit Ecclesiam suam dans legem obedientiae salutaris. Est Sancta Ecclesia Christi regnum, imo monarchia : *Factus est principatus super humeros eius ;* [2] *Regnabit in domo Iacob in aeternum et regni eius non erit finis.* [3] Ordinat Christus hodie regimen regni sui ; ordinatum enim necesse est ut sit regnum, alioquin erit babylonica confusio. Monarchia Nabuchodonosor designatur apud Danielem per arborem totum fere mundum occupantem, de qua dicitur quod subter eam habitabant animalia et bestiae et in ramis eius conversabantur volucres coeli et ex ea vescebatur omnis caro. [4] In quibus verbis ordo utique regni designatur, quo hi quidem sunt superiores, illi autem inferiores et unusquisque manet in gradu suo, nemo defraudatur suo loco. Animalia terrestria erant sub arbore, aves autem coelestes superiori loco in ramis arboris. Sed animadvertit Christus quod invertendus erat ordo iste, quod animales homines sine ullis meritis volaturi erant per aera, sicut Salomon ait : *Est malum quod vidi sub sole quasi per errorem egrediens a facie principis : positum stultum in dignitate sublimi et divites sedere deorsum. Vidi servos in equis et principes ambulantes super terram quasi servos.* [5] Sicut etiam Ieremias ait : *Servi dominati sunt nostri,* [6] cum tamen per Isaiam

Ecclesia enim monarchia est, ubi alii superiores sunt, alii subditi;

sed sine obedientia nullus ordo in regno haberi potest.

101) Dionysius Cato *De Moribus*, vr. 61. 102) 1 Cor 13, 1. 103) Rom 13, 2.

1) Mt 23, 2-3. Vulg.: *Secundum opera vero,* etc. 2) Is 9, 6. Vulg.: *Super humerum eius.* 3) Lc 1, 32-33. 4) Cf. 4, 7-9. 5) Eccle 10, 5-7. 6) Thr 5, 8.

Dominus dicat: *Non vocabitur ultra is qui insipiens est, princeps, neque fraudulentus appellabitur magnus; stultus enim fatua loquetur et cor eius faciet iniquitatem, ut perficiat simulationem... princeps vero ea, quae digna sunt principe, cogitabit.* [7]

Praelatum optimis qualitatibus praeditum esse oportet, si autem talis non sit, obtemperandum ei est, modo bona praecipiat.

Quales autem oporteat esse principes Ecclesiae Christi eodem loco adamussim Divinus Vates expressit: *Ecce in iustitia regnabit rex, et principes in iudicio praeerunt. Et erit vir sicut qui absconditur a vento et celat se a tempestate, sicut rivi aquarum in siti et umbra petrae prominentis in terra deserta.* [8] Iustitiam et iudicium requirit primo in principibus Deus, deinde ut populo sint praesidium et refugium, ut protegant eum a malis, sint etiam fontes sitientibus et umbracula in aestu. Fecit Salomon in templo decem luteres qui semper essent pleni aqua iuxta mare aeneum, sed in basibus luterum sculpsit leones, boves et cherubim. [9] Est una Ecclesia generalis, catholica, universalis, quae per mare aeneum designatur, nam aquae multae populi multi; [10] multae sunt ecclesiae particulares, sicut sunt multae civitates, multi episcopatus, qui per decem luteres significantur. Bases luterum sunt praelati; in his reperiri oportet fortitudinem leoninam, constantiam et patientiam bovinam in laboribus perferendis, et tandem cherubicam scientiae plenitudinem. Sed si tales non sint, quid agendum? Obediendum, modo bona praecipiant.

Praesules in medio gregis sui residere debent.

Super cathedram Moysi sederunt scribae et Pharisaei. Principibus et praelatis necessaria est residentia, ut non tantum praesideant, sed etiam resideant, quoniam pastores sunt gregum Domini, duces exercituum. Si prope fuerint, multorum erunt causa bonorum, luna enim in mundo hoc inferiori multa operatur non quod potentior sit ceteris astris ad operandum, sed quia multo vicinior nobis est. Sicut autem ignis quo vicinior est eo magis calefacit, sic praesul populi.

Christus verus magister est omnium virtutum.

II. *Magister vester unus est Christus.* Datus est nobis Christus in optimarum virtutum magistrum, ne quis dicere posset: *Quis ostendet nobis bona?* [11] Nam licet naturalis lex id ostendat, unde ait: *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine, dedisti laetitiam in corde meo,* [12]

7) 32, 5-8. Vulg.: *Appellabitur maior*, etc. 8) Ibid. vrr. 1-2. 9) Cf. 3 Rg 7, 38-43; 2 Par 4, 2-6. 10) Cf. supra, Sabbato post Cineres, not. 64, pag. 166. 11) Ps 4, 6. 12) Ibid. vr. 7.

tamen, quia obscuratum erat satis lumen naturalis rationis, datus prius fuit in magistrum Moyses, deinde Christus Moyse maior sicut sol luna.

omnium captui accommodatus,

Quoniam vero necesse est ut magister captui discipulorum se accommodet, hinc apud I s a i a m legimus : *Quem docebit scientiam ? et quem intelligere faciet auditum ? Ablactatos a lacte, avulsos ab uberibus. Quia manda remanda, manda remanda, expecta reexpecta, expecta reexpecta* – ubi hebraice multi interpretantur : *Mandatum ad mandatum, mandatum ad mandatum, linea ad lineam, linea ad lineam,* [13] – *modicum ibi, modicum ibi, quia balbutiente labio et lingua aliena loquetur ad populum istum.* [14] Docebit nos, inquit, sicut magister docere solet infantes, cum prima tradit elementa primasque litteras docet, paulatim enim et lineatim tradit quae puero sunt addiscenda. Sic Christus nobiscum egit : rogavit Petrum reducere pusillum navim a litore ;[15] Apostolis dixit : *Multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo ;* [16] Nicodemo qui erat *magister in Israel,* dixit : *Tu es magister in Israel et haec ignoras ?* idest non capis ? *Si terrena dixi vobis, et non creditis,* idest non capere potestis, *quomodo, si dixero vobis coelestia, credetis ?* [17]

et per ipsius linguam purissimam et sanctissimam Deus nobis locutus est.

Sic labio balbutienti et blaeso linguaque aliena, humana, inquam, Christus locutus est nobis, parentum instar cum filios infantes balbutire incipientes loqui docent. De Platone eloquentissimo fuit vetus opinio quod, si Deus humana lingua locuturus esset, nonnisi Platonis lingua locutus fuisset ;[18] sed lingua Christi purissima et sanctissima locutus est, quoniam non vana et fucata eloquentia delectatur Deus, sed pura, simplici et humili. Christus autem humillimus erat : *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde.* [19]

Magister vester unus est Christus. Unus, idest p r i m u s : [20] *Factum . . . est vespere et mane dies unus,* [21] quoniam ipse est magister ma-

13) Rabbinus Aben Ezra *Biblia Rabbinica*, h. l.; Rabbinus David Kimchi *Liber Radicum*, sub radicibus: צָוָה et קָוָה: Sanctes Pagnini *Thesaurus Linguae Sanctae*, sub iisdem radicibus.

14) 28, 9-11. Vulg.: *In loquela enim labii et lingua altera*, etc. *Balbutiente labio* legitur in hebraico. 15) Cf. Lc 5, 3. 16) Io 16, 12. 17) Ibid. 3, 10. 12. 18) Cf. Cicero *De Claris Oratoribus*, vol. 1, col. 311; Lud. Caelius *Lect. Antiq.*, lib. 16, cp. 24, col. 885.
19) Mt 11, 29. 20) Cf. Sanctes Pagnini *Thesaurus Linguae Sanctae*, sub radice: אֶחָד.

21) Gn 1, 5.

gistrorum, magister Prophetarum, Apostolorum et omnium Sanctorum Doctorum; *unus est*, sicut unus sol in coelo, unus Deus in mundo: *magister... unus*, sicut ait: *Prophetam de medio tui ex fratribus tuis sicut me suscitabit tibi Dominus Deus tuus: ipsum audietis.* [22]

Christus primus est magister omnium in mundo.

III. *Super cathedram Moysi sederunt scribae et Pharisaei: omnia ergo quaecunque dixerint vobis servate et facite*, etc. In hodierno Evangelio Christus viam salutis nos docet, nam in fine Evangelii huius dicitur: *Qui se humiliaverit exaltabitur.* [23] Statuit autem obedientiam esse viam salutis, obedientiam, inquam, praestitam principibus et magistratibus tum saecularibus et politicis, tum ecclesiasticis et spiritualibus. *Super cathedram Moysi.* Elegit Deus Moysen constituitque ex pastore ovium pastorem hominum [24] eique tribuit merum et mixtum imperium, principem et monarcham populi instituit, ut iudex esset omnium tum in temporalibus tum in spiritualibus, dedit enim ei tum pontificiam tum imperialem auctoritatem et potestatem. In cathedra igitur Moysi uterque magistratus intelligitur: et ecclesiasticus et politicus, quos magistratus Deus distinxit postmodum atque divisit tribuens Aaroni fratri Moysi pontificiam dignitatem et potestatem, [25] ut duo fratres summa caritate uniti, magna cum pace et concordia populum regerent et gubernarent.

Christus docet hodie viam salutis obedientiam esse superioribus tum saecularibus tum ecclesiasticis.

Super cathedram Moysi sederunt. Hoc proprium iudicantium est, quare de iudicum et principum auctoritate loquitur: *Sederunt* pro tribunali *scribae et Pharisaei*, duplex iudicum genus, duo magistratus; utrique autem omnem obedientiam praestari mandat. Vult autem ut sit obedientia humilis, diligens, magna et discreta, magna cum prudentia comitata. Humilis, quoniam: *Qui se humiliaverit exaltabitur;* diligens: *Servate et facite;* magna, quia ait: *Omnia quaecunque dixerint;* discreta: *Secundum opera... eorum nolite facere;* [26] quare nec si mala praecipiant audiendi sunt, sed dicendum ut Petrus dixit pontificibus et principibus sacerdotum: *Obedire oportet Deo magis quam hominibus.* [27] Discretam requirit obedientiam, quoniam docet obediendum esse non tantum optimis principibus, sed etiam pessimis, modo iniqua

Obedientia humilis sit et integra.

22) Dt 18, 15. Ex hebraico. 23) Mt 23, 12. 24) Cf. Ex 3, 1-10. 25) Cf. ibid. 28, 1 sqq.
26) Mt 23, 3. 27) Act 5, 29.

non imperent, sicut Petrus ait: *Obedite praepositis vestris,* [28] *non tantum bonis et modestis, sed etiam dyscolis.* [29] Sic ipse ait hodie: *Secundum opera... eorum nolite facere, dicunt enim et non faciunt,* [30] linguam habent, sed non manus ad bene operandum, negligentissimi sunt in divino cultu, diligentissimi autem in mundano: *Omnia... opera sua faciunt ut videantur ab hominibus:* [31] cupidi honoris et gloriae, pleni ambitione, dediti saecularibus pompis, cupientes titulos et honorificas nomenclaturas.

et discreta, idest non tantum optimis principibus, sed etiam malis, dummodo iniqua ne imperent.

IV. Obedientiam statuit Christus viam salutis: *Si... vis ad vitam ingredi, serva mandata,* [32] nam per obedientiam voluit Deus ut etiam primus homo transiret a terrestri ad coelestem paradisum. [33] Haec est arca Noe, haec via salutis, haec scala coeli, haec porta paradisi. Ut autem facilis esset haec via, principes et praelatos voluit sedere *super cathedram Moysi,* eos valde honoravit, magna dignitate et potestate donavit; facilius enim obeditur magnis principibus, quam privatis et ignobilibus personis. *Super cathedram Moysi,* quem Deus tantopere exaltavit, ut veluti alterum deum effecerit in mundo: *Constitui te deum Pharaonis.* [34] Principes autem *dii* appellantur in Sacris Litteris: *Ego dixi: dii estis;* [35] *Deus stetit in synagoga deorum; in medio autem deos diiudicat;* [36] *Diis non detrahes et principi populi tui non maledices.* [37] Sic appellantur quoniam Dei vices in mundo gerunt, Dei locum tenent, Deum repraesentant, Dei vicarii sunt: *Qui vos audit me audit, et qui vos spernit me spernit.* [38]

Ut facilior obedientia reddatur Deus superiores magna dignitate et potestate donavit;

Ut autem facilior esset haec via, Moysen posuit super hanc cathedram, hominem mitissimum ac humanissimum, qui tanquam paterfamilias populum regebat ac gubernabat. [39] Sic Deus desiderat principes et praelatos humanos, benignos, pios. Hinc arguit hodie Christus indiscretos ac crudeles: *Alligant enim onera gravia et importabilia et imponunt super humeros hominum, digito autem suo nolunt ea movere.* [40]

Moysen etiam posuit super hanc cathedram ut populo morem

28) Hebr 13, 17. 29) 1 Petr 2, 18. 30) Mt 23, 3. 31) Ibib. vr. 5.
32) Ibid. 19, 17. 33) Cf. Gn 2, 16-17. 34) Ex 7, 1. 35) Ps 81, 6.
36) Ibid. vr. 1. 37) Ex 22, 28. 38) Lc 10, 16. 39) Cf. Nm 12, 3; Eccli 45, 1-5.
40) Mt 23, 4. Vulg.: *Imponunt in humeros,* etc.

gereret, nam cum descendisset Deus in maiestate tremenda ad dandam populo legem de coelo ostendendamque viam salutis, exterrefactus populus ac pene exanimatus dixit Moysi : *Loquere tu nobis, et audiemus : non loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur.* [41] Sic igitur voluit dare nobis principes et praelatos homines nostri generis, nostram carnem, nostrum sanguinem, nostros fratres : *Omnes* enim *vos fratres estis,* [42] ut facilior nobis haec via esset et onus levius : *Iugum enim meum suave est et onus meum leve.* [43]

vult insuper ut sint veluti patresfamilias, humanissimi, non indiscreti et crudeles,

Posuit etiam super hanc cathedram scribas, idest sapientes, legis-doctores, et Pharisaeos, viros religiosos ; haec enim duo quam maxime Deus desiderat in rectoribus : sapientiam et virtutem, ut agnoscant bonum et malum diligantque bonum et odio habeant malum : *Fidelis servus et prudens, quem constituit Dominus... super familiam suam.* [44] Sic Moysen posuit super cathedram, virum sapientissimum et optimum, ut nonnisi quod iustum et aequum est praecipere posset summa cum prudentia, discretione et moderamine.

vult etiam ut sint docti, virtuosi et prudentes.

Adhuc vero, quoniam, etsi obedientia omnibus laudatur tanquam summe utilis et necessaria pro reipublicae conservatione, principibusque, rectoribus, ducibus, magistris, patribus familiarum summopere placet, subditis tamen, quibus obediendum est et imperata exequendum, gravis quandoque videtur atque difficilis, quoniam suapte natura homo libertatem diligit et pro libito vivere ambitque dominatum, Christus, ut facilem hanc viam ostendat, docet paratam nobis esse a Deo : *Unus est enim Pater vester, qui in coelis est.* [45] *Pater noster* dicitur Deus, quia nos creavit et paterno affectu diligit, regit, gubernat paterna cura. Quod autem amantissimus pater dilectissimis filiis praecipit et imponit, non potest esse admodum grave, non enim permittit hoc amor.

Post haec autem ipsemet praecipere vult nobis obedientiam, qui pater noster amantissimus est, et ideo gravia non praecipit.

Et adhuc alia via, quia Christus ipse magister noster declaratur : *Unus enim magister vester est Christus,* unigenitus Filius Dei, *qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus... esse se aequalem Deo... semetipsum exinanivit... factus obediens usque ad mortem.* [46] Unde merito dicere potuit : *Discite a me quia mitis sum et humilis corde,* et : *Exemplum... dedi vobis, ut, quemadmodum ego feci... ita*

In hac via Christus ipse suo nos praecedit exemplo.

41) Ex 20, 19. 42) Mt 23, 8. 43) Ibid. 11, 30. 44) Ibid. 24, 45.
45) Ibid. 23, 9. 46) Phil 2, 6-8.

et vos faciatis. [47] Si per hanc obedientiae viam voluit Deus ut unigenitus Filius eius, de quo ait: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui,* [48] incederet nosque praecederet et exemplo suo moveret, non potest non esse bona, imo optima via, quam Deus pro ipsomet Filio suo paravit in coelum.

Haec obedientia maxime Deo placet et nobis summe utilis est.

Obedientiam a nobis requirit hodie Christus, quoniam haec summe placet Deo: Obedientiam volo et non sacrificium; [49] et nobis est summe utilis: *Qui se humiliat exaltabitur;* [50] *Vir obediens loquetur victorias.* [51] Haec Abrahamo fuit causa summae exaltationis, [52] sicut Adamo inobedientia causa fuit tantae humiliationis. [53]

Ostenditur etiam Christus infinita sapientia praeditus, dum praecipit obedientiam erga superiores,

V. *Omnia... quaecunque dixerint vobis servate et facite. secundum vero opera eorum nolite facere.* Inter multa quae de Christo Domino Isaias propheta, divino spiritu afflatus, vaticinatus fuit, singulare fuit quod sciret *reprobare malum et eligere bonum: Vocabitur nomen eius Emmanuel; butyrum et mel comedet, ut sciat,* sive sciendo *reprobare malum et eligere bonum.* [54] Appetet, inquit, optimos ac delicatissimos suavissimosque cibos, idest optima quaeque, quae animi nostri sunt cibus, cum bonum sit voluntatis et amoris obiectum, quoniam sciet *reprobare malum et eligere bonum,* quoniam plenus erit spiritu sapientiae et intellectus; [55] in ipso erunt *omnes thesauri sapientiae et scientiae* [56] Dei. Scire enim bonum et malum solius Dei est: *Eritis sicut dii scientes bonum et malum.* [57] Talem ostendit se hodie Dominus, dum praecipit ut eligatur bonum et fugiatur malum: *Quaecunque dixerint vobis servate et facite, secundum vero opera eorum nolite facere.* Est, inquit, in rectoribus auctoritas divina, legum peritia, Dei scientia. Si ex alia parte adsit vitium voluntatis et vita male acta, colligite rosas, relinquite spinas. [58] Diabolus suadet totum oppositum: ut eligatur malum et relinquatur bonum, ut imitemur mala quae faciunt, non faciamus bona quae dicunt. Nos autem cum ob naturam peccato depravatam propensiores simus ad malum quam ad bonum, satanae facile morem gerimus. Sed vide, homo, haec via sa-

et fugam vitiorum, quae in illis reperiantur.

47) Io 13, 15. 48) Mt 17, 5. 49) Cf. 1 Rg 15, 22; Eccle 4, 17; Eccli 35, 2.
50) Lc 14, 11. 51) Prv 21, 28. Vulg.: *Victoriam.* 52) Cf. Gn 22, 1-18.
53) Cf. ibid. 3, 6 sqq. 54) 7, 14-15. 55) Cf. ibid. 11, 2. 56) Col 2, 3.
57) Gn 3, 5. 58) Dictum familiare S. Auctori, cf. *Quadragesimale Primum,* pag. 182

lutis est, qui per eam non incedit peribit. Sic Dominus per Isaiam ait: *Haec est via, ambulate in ea et non declinetis neque ad dexteram neque ad sinistram;* [59] et: *Erit ibi semita et via, et via sancta vocabitur; non transibit per eam pollutus; et haec erit vobis directa via, ita ut stulti non errent per eam.* [60] De hac apud eundem Vatem legimus: *Docuit eum semitam iustitiae et erudivit eum scientiam, et viam prudentiae ostendit illi.* [61] Et de impiis ait quod *viam pacis nescierunt.* [62]

Obedientia scala coeli est habens multos gradus.

Obedientia scala coeli est habens multos gradus: primus, ut sit pia, obediatur propter Deum, non propter homines, Dei intuitu, obediatur tanquam ministris Dei; hinc ait: *Super cathedram Moysi,* qui a Deo institutus fuit princeps populi, ne dicatur nobis quod opera nostra facimus, ut videamur ab hominibus. [63] Secundus, ut sit integra: *Omnia... quaecunque dixerint vobis,* ita ut omni superiori, omni loco et tempore, in omnibus licitis et honestis obediatur. Tertius, sit diligens, facta ex [64] animo: *Servate et facite.* Quartus, sit discreta et cauta: *Secundum opera... eorum nolite facere.* Quintus, sit humilis: *Qui se humiliat exaltabitur:* vult enim Dominus ut longe simus ab omni ambitione. Tandem sit coniuncta cum fide, spe et caritate: fide in Christum: *Quia magister vester unus est Christus,* spe et caritate in Deum: *Unus est Pater vester qui in coelis est.*

Ostenditur his verbis infinita Dei bonitas qui talem magistrum nobis dedit.

VI. *Patrem nolite vocare vobis super terram, quia unus est Pater vester qui in coelis est,* et *magister vester unus est, Christus.* Declarat hodiernum Evangelium praedicatque Deum esse unicum patrem nostrum nosque omnes fratres esse, Dei videlicet filios. Quoniam vero paternae providentiae specialis est cura ut carissimis filiis optimus provideatur magister ad eos imbuendos optimis tum moribus tum doctrinis et disciplinis, sicut David Salomoni Nathan prophetam dedit magistrum, [65] sic Deus optimum nobis providit magistrum: *Magister vester unus est Christus, in quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae* Dei. Non Moysen dedit nobis magistrum, sed paedagogum, [66] non Prophetas, sed Christum: *Multifarie multisque modis olim Deus loquens patribus in Prophetis, novissime diebus istis locutus est nobis*

59) 30, 21. 60) Ibid. 35, 8. 61) Ibid. 40, 14. 62) Ibid. 59, 8. 63) Cf. Mt 23, 5.
64) Ms.: *Est.* 65) Cf. 2 Rg 12, 25. 66) Cf. Gal 3, 24-25.

in Filio. [67] Unicum Filium suum dedit nobis magistrum. O singulare beneficium ! Vere dici nobis potest id quod Moyses populo universo dixit, post legem ore divino traditam et acceptam : *Interroga in diebus antiquis, qui fuerunt ante te ex die quo creavit Dominus hominem super terram, a summo coelo usque ad summum eius, si facta est aliquando huiuscemodi res, aut unquam cognitum est, ut audiret populus vocem* Domini *Dei loquentis de medio ignis, sicut tu audisti.* [68] Sic, inquam, modo verus Deus datus est nobis magister, unigenitus Filius Dei, non propheta, non patriarcha, non Angelus, non Seraph.

ut doceret nos perfectam iustitiam.

Sicut autem Deus ipse non descendit, nisi ut iustitiam doceret legemque et praecepta iustitiae daret, sic Christus venit magister iustitiae. [69] In hodierno autem Evangelio nonnisi iustitiam docet. Scimus tripartitam esse absolutae iustitiae rationem, cuius prima pars Deo, secunda nobis, tertia proximis quod aequum et iustum est tribuit. Docet iustitiam quoad Deum, ut eum patrem agnoscamus ; quoad proximos, ut tanquam fratres vivamus : *Omnes . . . vos fratres estis,* ut superioribus promptam et humilem obedientiam praestemus ; quoad nos, ut a vitiis abstineamus et humilem vitam ducamus, quoniam humilitas via salutis est, qua ad gloriam paratur iter : *Qui se humiliat exaltabitur.*

67) Hebr 1, 1-2. Vulg.: *Multifariam,* etc. 68) Dt 4, 32-33. Vulg.: *Interroga de diebus . . . quo creavit Deus,* etc. 69) Cf. Ioel 2, 23.

FERIA QUARTA DOMINICAE SECUNDAE QUADRAGESIMAE

Hodie Christus docet media, quibus veram beatitudinem consequi possimus.

I. Non adeo naturale est sitienti desiderare potum, esurienti panem, frigore magno algenti ignem, caeco lumen, infirmo sanitatem, sicut naturalissimum homini est desiderare felicitatem bonorumque omnium perpetuam affluentiam, in qua beatitudo videtur consistere.[1] Hinc filii Zebedaei hodie dexteram et sinistram petunt in regno Christi.[2] Sed quia saepe fictis deludimur imaginibus rerum fictisque larvis, temporalem potius et terrenam magis quam coelestem et aeternam felicitatem appetimus, non vera, sed vana atque fallacia bona, sub quibus latent sempiterna mala, veluti sub herba viridi venenosus anguis, sub[3] melle fel, sub cibo dulcissimo venenum mortalissimum, sub larva amicitiae et amoris mortale odium et inimicitia; hinc Christus ait: *Nescitis quid petatis*;[4] sed cor, animum nostrum dirigit ad veram beatitudinem appetendam media docens quibus eam vere consequi possimus, non enim ignota via perveniri potest ad terminum.

Ecce ascendimus Ierosolymam, et Filius hominis tradetur principibus sacerdotum et scribis, et condemnabunt eum morte, etc.[5]

Deus hominem creavit ad aliquem finem,

II. Ostendit[6] Deus sancto patriarchae Iacob et coelum apertum cum universa gloria paradisi et scalam per quam Angeli ascendebant

1) Cf. Boethius De *Consolatione Philosophiae*, lib. 3, (P. L. 63, 724). 2) Cf. Mt 20, 21. 3) Ms.: *Sub* bis ponitur. 4) Mt 20, 22. 5) Pericope huius diei Mt 20, 17-28. Cf. Missale Rom. 6) In margine haec adiecta fuerunt: « Vidit Zacharias aureum candelabrum cum septem lucernis in medio duarum olivarum. Deinde declarans ei Angelus quidnam sint duae olivae stantes una dextris et altera a sinistris candelabri dixit: *Isti sunt duo filii olei, qui assistunt Dominatori universae terrae.* Ubi declarat quid sit candela-

in quo perfectam quietem omnium desideriorum reperire debet;

in coelum; [7] ostendit ei finem propter quem erat creatus, ut eo tenderet per amorem. Sed quia non diligitur nec desideratur quod non cognoscitur, sicut non quaeritur in agro thesaurus absconditus, si ignoratur, hinc coelum aperuit paradisumque ei ostendit. Non est dubium, fratres, quod ad aliquem finem Deus creavit hominem, sicut propter hominem mundum creavit. Finis autem id proprium est, quod quies in eo reperitur, sicut lapis quiescit in centro, navis in portu, viator, itinere peracto, in domo sua.

finis autem hic in mundo non invenitur, nam homo desiderat in aeternum vivere, sed hic moritur;

Certissimum autem est quod finis, propter quem creatus est homo, non potest esse in hoc mundo, in terra. Nos enim triplex desiderium in pectoribus nostris experimur: desiderium vitae perpetuae et aeternae immortalitatis, desiderium possidendi omne bonum, in quo felicitas consistit, et desiderium sciendi omnia. Haec tria serpens parentibus nostris promisit: *Nequaquam ... moriemini ... eritis sicut dii scientes bonum et malum.* [8] Sed primum desiderium adimpleri in hac vita non potest, manifestissimum est, omnes enim morimur.

desiderat totius mundi dominum absolutum esse, sed hoc impossibile est;

Neque secundum, quis enim est qui possit mundi totius dominus esse? Et si totius mundi dominus esset, necdum esset quietus. De Magno Alexandro refert Plutarchus quod quadam die audiens philosophos quosdam disputantes de opinione Democriti et Epicuri, quod extra hunc mundum sint alii innumeri mundi, sicut in immensa planitie arbores innumerae, exclamavit dicens: Tot alii mundi sunt extra hunc, et ego adhuc non sum totius huius unius solius dominus! [9] Nabuchodonosor totius orientis imperator et monarcha, post humanos honores voluit etiam divinos, [10] unde illum Deus ex homine convertit in bestiam. [11] Adam factus a Deo totius mundi dominus, [12] non quievit, altius adhuc voluit ascendere. [13] Angelus in coelo con-

brum: Dominator *universae terrae;* septem autem lucernae in capite candelabri: *In capite eius diademata multa*, inquit Ioannes; *duo* autem *filii olei*, idest uncti, facti principes, Zorobabelem significabant principem populi et Iesum filium Iosedech, sacerdotem magnum. Principatum enim populi sui Deus in duas partes divisit: in temporalem et spiritualem, instituens dignitatem regiam et sacerdotalem. Cum enim Deus ipse voluerit summus esse princeps populi, duos tamen instituit qui vices ipsius gererent in terra: *Hi sunt duo filii olei.* Sic hodie filii Zebedaei, cum cognovissent Christum esse hoc (ms.: *hunc*) aureum candelabrum, nam ait: *Cum sederit Filius hominis in sede maiestatis suae*, cupiunt hunc primatum regni, ambiunt principatum, petunt ut sint hi *duo filii olei*, hae *duae olivae* a dextris et a sinistris candelabri ».

7) Cf. Gn 28, 12. 8) Ibid. 3, 4-5. 9) Cf. supra, Dominica Secunda Quadr., not. 13, pag. 477. 10) Cf. Dn 3, 1-8. 11) Cf. ibid. 4, 22-30. 12) Cf. Gn 1, 26-30. 13) Cf. ibid. 3, 6.

stitutus a Deo dominus et princeps paradisi, non quievit, altius adhuc ascendere voluit: *Similis ero Altissimo.*[14] Sic non potest impleri secundum istud desiderium.

Nec minus tertium, quod est desiderium sciendi omnia, nam: *Cunctae res difficiles,*[15] mundus non scientia, sed quaestionibus et opinionibus plenus est. Si scientia habetur per demonstrationem potissimam, dicat mihi philosophus: quaenam in universa naturali philosophia Platonis vel Aristotelis potissima demonstratio reperitur? Quidnam est quod vere sit demonstratum et scitum? Quod si naturalia et sensata, quae oculis videmus et manibus tangimus, ignoramus, non cognoscimus vere, nescimus, quomodo supernaturalia, insensilia, invisibilia, divina sciemus? Non possunt igitur in hoc mundo desideria ista nostra impleri.

desiderat omnia cognoscere, sed in hoc mundo nil vere demonstratum et certe scitum existit.

Quid igitur? Frustra natura haec nobis desideria contulit? Dedit appetitum comedendi sine cibo, appetitum bibendi sine potu? Creavit visum sine lumine, potentiam quamvis absque suo obiecto? Necesse est igitur ut in universo reperiatur aliquod bonum, quod plenissime possit desideriis hisce nostris satisfacere, quod sit finis propter quem creatus sit homo.

Sed cum frustra desideria naturae non sint, necesse est ut alicubi bonum illud inveniatur quod sit finis hominis.

Bonum autem istud difficillimum fuit invenire. Apud veteres philosophos quaestio de finibus difficillima fuit. D i v u s A u g u s t i n u s in suo opere *De Civitate Dei* refe·t quod Marcus Varro, romanus philosophus, recensuit plures centurias opinionum veterum philosophorum de fine hominis, in quo vera eius consistat felicitas, et omnes a scopo toto coelo aberrarunt.[16] Imo, quid de philosophis dico? nec Moyses ipse, nec alius quivis Prophetarum aperuit bonum, in quo finis veraque felicitas consistit, quod omnibus desideriis nostris plenissime satisfaciat. Nunquam enim in universis libris Veteris Testamenti legimus vitam aeternam, nusquam gloriam paradisi, regnum coelorum, felicitatem sanctarum animarum post mortem.

Difficillimum fuit bonum hoc reperire, quod nec Divina Scriptura ante Christum patefecerat.

Christus Dominus noster omnis sapientiae fons, primus fuit qui mundo thesaurum istum absconditum aperuit; et hoc quidem in prima periodo praedicationis suae, ubi et finem et media necessaria

Solus Christus finem ultimum esse in futura vita indicavit

14) Is 14, 14. 15) Eccle 1, 8. 16) Lib. 19, cp. 1, (P. L. 41, 621).

et simul media ad illum assequendum ostendit.

ad finem consequendum ostendit: *Poenitentiam agite, appropinquavit enim regnum coelorum,* [17] regnum Dei: ecce simul finis et media. In sermone autem, quem habuit in monte, multo apertius et explicatius de utroque multis disseruit finem describens: *Ipsorum est,* inquit, *regnum coelorum... ipsi possidebunt terram... ipsi consolabuntur... ipsi saturabuntur... ipsi misericordiam consequentur... ipsi Deum videbunt... ipsi filii Dei vocabuntur:... ipsorum est regnum coelorum... merces vestra multa est in coelis.* [18] Media vero: *Beati pauperes spiritu... qui lugent... qui esuriunt et sitiunt... misericordes... mundo corde... pacifici... qui patiuntur persecutionem propter iustitiam.* [19]

Hoc declaratur etiam in hodierno Evangelio figurate

III. Utrunque autem horum in sacrosancto hodierno Evangelio mirifice declaratur. Primo quidem figurate: *Ecce ascendimus Ierosolymam.* In Divinis autem Litteris Ierusalem, quae erat in corde felicissimae terrae promissionis, symbolum, hieroglyphicum est patriae coelestis. [20] Est autem Ierusalem v i s i o p a c i s et d u p l i c i s p a c i s – ירושלים duali numero dicitur Hebraeis, [21] – pax animae et pax corporis, pax interna et pax externa, perfecta quies animi, cordis, spiritus, sensus et carnis. Sed neque animus quiescit cum aliquod bonum ei deest, neque sensus carnis, sed valde conqueritur quaerens quod sibi deest. Igitur, si ibi duplex pax, ibi omne bonum, omne igitur desiderium ibi plene satisfactum. Ecce igitur finis noster, ubi animus noster omni quiete fruitur. Sed absque labore non pervenitur ad hanc quietem: *Ecce ascendimus Ierosolymam.* Conscenso monte excelso, Christus transfiguratus fuit *et resplenduit facies eius sicut sol;* [22] *Ecce ascendimus Ierosolymam,* cuius fundamenta sunt in montibus; [23] mons autem altus sine magno labore et sudore non ascenditur.

et aperte.

Adhuc Christus veluti hanc figuram mysteriumque ascensus huius in Ierusalem aperiens ait: *Filius hominis tradetur principibus sacerdotum et scribis, et condemnabunt eum morte, et tradent eum gentibus*

17) Mt 4, 17. 18) Ibid. 5, 3-12. Vulg.: *Merces vestra copiosa est in coelis.* 19) Ibid. Vulg.: *Qui persecutionem patiuntur,* etc. 20) Cf. Ps 47, 1 sqq.; Apc 21, 1 sqq. 21) Ms.: *Ierusalaim,* et sic infra. Cf. supra, Dominica Secunda Quadr., not. 47, pag. 458. 22) Mt 17, 1-2. 23) Cf. Ps 86, 1.

ad illudendum et flagellandum et crucifigendum, et die tertia resurget : [24] ecce finis : *Die tertia resurget.* Resurrexit autem Christus ad vitam immortalem et gloriam sempiternam, beatus et gloriosus, sicut in transfiguratione apparuit. Sed via qua ad hunc finem pervenit, passio fuit : *Tradetur... ad illudendum et flagellandum et crucifigendum.*

Finis ultimus consistit in fruitione omnium bonorum tum internorum tum externorum,

Et mirum quidem videtur quod, cum media debeant fini esse conformia, sicut medelae sanitati et calefactio fit calidi admotione, frigefactio frigido adhibito, illuminatio lumine non tenebris adhibitis, neque aliquid dulce admixtione amari ; media tamen haec fini videntur esse contraria. Felicitas enim procul dubio in omnium bonorum affluentia consistit ; omnia autem bona vel sunt intra hominem vel extra. Intra hominem sunt pax et perfecta quies mentis et corporis, gaudium et voluptas, utriusque hominis vita felix ; extra hominem sunt cetera bona mundi utilia, delectabilia, honorabilia quae sunt felicitatis veluti fundamentum et basis, esca et ligna in quibus ignis hic ardet. Sic felicitas paradisi in duobus hisce bonorum generibus consistit : in internis, hinc dicitur יְרוּשָׁלַיִם, d u p l e x p a x , perpetua fruitio perfectae pacis atque quietis carnis et spiritus ; et in bonis externis, hinc dicitur *regnum coelorum,* [25] *thesaurus* magnus *in coelo.* [26]

sed duplex haec felicitas in paradiso invenitur.

Media ad hunc finem perveniendi sunt passiones et tribulationes.

Christus autem ad hanc perfectam et numeris omnibus absolutam felicitatem per media utique contraria : ad vitam per mortem, ad gaudia per passiones, ad gloriam per ignominiam : *Tradetur... illudetur... flagellabitur,* [27] crucifigetur, per duplicem poenam et malorum perpessionem pervenit ad omnium bonorum utriusque generis consecutionem. Nudus Christus fuit flagellatus et crucifixus : ecce privatio omnium bonorum exteriorum ; flagellatus, crucifixus et mortuus fuit: [28] ecce privatio omnium bonorum interiorum ; sed *tertia die resurget :* ecce vita beata, omnia bona interna ; *Sedeant hi duo filii mei unus ad dexteram tuam et unus ad sinistram in regno tuo :* [29] ecce omnia bona externa. Pro consequendis duobus hisce omnium bonorum generibus Dominus duo etiam a nobis requirit : *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* [30] calicem passionis et martyrii. Patientia malorum necessaria est, hoc medium est ad consequenda bona interna :

24) Mt 20, 18-19. Vulg.: *Tertia die resurget.* 25) Ibid. 4, 3. 10; 7, 21; 19, 24.
26) Cf. Ibid. 19, 21; Lc 12, 33. 27) Lc 18, 32. 28) Cf. Mt 27, 26-35; Mc 15, 15-25; Lc 23, 34; Io 19, 23. 29) Mt 20, 21. 30) Ibid. vr. 22.

Qui se humiliaverit exaltabitur, [31] utique in honore et gloria regni coelorum ; hoc medium est ad consequenda bona externa, magnum *thesaurum in coelo,* ipsummet *regnum coelorum.*

Ergo ad hunc finem per labores huius vitae tendere debemus.

Sic ad beatum hunc finem nostrum per media contraria deducendi sumus, sicut per noctem pervenitur ad diem, per hiemem ad aestatem, per certamen ad victoriam, per laborem ad quietem. Sic bellorum finis pax est et regni tranquilla possessio ; ita per desertum nobis tendendum in terram promissionis est, per labores praesentis vitae ad aeternam quietem futurae, ut in coelesti regno Christi sedeamus perpetuo ad dexteram ipsius. Hic finis est noster : sedere ad dexteram Christi in regno ipsius, similes esse Christo, similes esse Deo in gloria ipsius.

Sedere Deus dicitur ad significandam summam et infinitam perfectionem qua est in semetipso beatissimus;

Deus semper sedet, semper quiescit. Quiescens innixus scalae visus est Iacob ; [32] sedens visus est Moysi, Aaron, Nadab, Abiu et septuaginta senioribus Israel ; [33] sedens visus est Isaiae, [34] Michaeae, [35] Ezechieli, [36] Danieli. [37] Est enim Deus suapte natura immutabilis et omnino immobilis : *Ego . . . Deus et non mutor.* [38] Non potest Deus loco moveri, quia infinitus est, omnia implens. Nec Deus esset si infinitus non esset. Et si alteratione aliqua mutatur utique vel in bonum vel in malum, vel acquirendo aliquam perfectionem, quam non habet, vel perdendo quam habet. Sed si quam posset acquirere perfectionem, utique imperfectus esset ; ergo Deus infinitae perfectionis non esset. Et si perdere aliquam perfectionem potest, ergo imperfectus est, deest enim ei summa perfectio, secura omnium bonorum, absque quovis metu, possessio essetque passibilis, quod est contra naturam deitatis. Est igitur Deus omnino immutabilis, quia aeterna et infinita omnis bonitatis affluentia in semetipso gaudet.

talis etiam erit electorum felicitas absque ullo defectu.

Haec est autem aeterna quies electorum in coelo : gaudere infinita aeternaque omnium bonorum affluentia in Deo, absque ullo penitus bonitatis defectu. Hoc est coelum apertum quod sancto patriarchae ostenditur, sed simul cum scala ad ascendendum ; ostenditur finis, sed cum mediis necessariis ad finem consequendum.

31) Ibid. 23, 12. 32) Cf. Gn 28, 13. 33) Cf. Ex 24, 10. 34) Cf. Is 6, 1. 35) Cf. 3 Rg 22, 19. 36) Cf. Ez 10, 1; 43, 7. 37) Cf. Dn 7, 9. 38) Mal 3, 6. Vulg.: *Ego . . . Dominus*, etc.



FACSIMILE SCRIPTURAE S. LAURENTII TERTIA PARTE DIMINUTAE

IV. Sed multi volunt sine scala in coelum ascendere cum hisce filiis Zebedaei: *Dic ut sedeant hi duo filii mei unus ad dexteram... et unus ad sinistram in regno tuo.* Christus autem: *Potestis,* inquit, *bibere calicem, quem ego bibiturus sum,* [39] *et baptismo, quo ego baptizor, baptizari?* [40] Scala, inquit, per quam ego ad gloriam coelestis regni mei ascensurus sum, crux est; potestis et vos per hanc scalam ascendere, crucem ferre, crucem pati? Bibere amarissimum calicem martyrii, baptizari baptismo sanguinis? *Calicem quidem meum bibetis; sedere autem ad dexteram meam vel* ad *sinistram non est meum dare... nisi quibus paratum est a Patre meo.*[41] Constituit imperator praemia certantibus iis, qui in stadio currunt, vel equites vel pedites ad bravium consequendum; similiter iis, qui in agone contendunt, [42] proposuit coronas deditque in manu filii, ut eas victoribus largiatur. Non potest filius pro libito largiri praemia et coronas, sed iis, qui ea merentur iuxta imperatoris dispositionem. Ita Christus ait: *Sedere... ad dexteram meam vel* ad *sinistram non est meum dare... nisi quibus paratum est a Patre meo.*

Sed mediis utendum est ut ad finem hunc altissimum perveniatur.

non enim datur praemium et corona nisi merentibus.

Vere Dominus in altum hodie spiritu magis quam corpore ascendit, tanquam aquila enim in altissimum coelum se levavit in contemplatione mysterii divinae praedestinationis. *Quibus,* inquit, *paratum est a Patre meo; Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi.* [43] Paravit autem Deus omnibus, qui necessaria et convenientia media ad beatitudinis finem consequendum iuxta consilium voluntatis suae disposita non renuerint: *Esurivi enim et dedistis mihi manducare; sitivi et dedistis mihi bibere,* [44] etc.; praeparavit omnibus iustis, qui divinam legem servaverint.

merebuntur autem qui legem Dei inviolate servaverint.

Nunc igitur, o fratres, contendendum nobis est, ut hisce mediis satagamus finem hunc nostrum consequi una cum Christo, ne putemus posse nos sine mediis hisce a Christo propositis, [45] coronam absque certamine, bravium abqsue cursu [accipere]; non potest quis sine navi navigare, [sine] equo equitare, [45a] non potest avis volare sine pennis, animal sine pedibus gradi, homo sine oculis vi-

Haec sunt media nobis adhibenda: poenitentia et humilitas.

39) Mt 20, 22. 40) Mc 10, 38. Vulg.: *Aut baptismo,* etc. 41) Mt 20, 23. Vulg.: *Sed quibus,* etc. 42) Cf. 1 Cor 9, 24-25. 43) Mt 25, 34. 44) Ibid. vr. 35. 45) Ms.: *Sine mediis* repetitur. 45a) Ms.: *Ad equitandum,* loco: *Equitare.*

dere, viator absque itinere in patriam pervenire. Si salvari volumus, duo haec necessaria sunt: *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? Qui se humiliaverit exaltabitur.*

Hoc fecerunt martyres et ipse Christus qui pro gloria Dei et salute nostra turpissimam mortem subiit.

Duo vel maxime diligit homo in hac vita super omnia: vitam et honorem. Si quis autem aeternam vitam gloriamque perpetuam in coelo vult consequi, necesse est ut, si opus fuerit, propter iustitiam virtutemque servandam tum vitam tum honorem prodigat, sicut fecit sancta mulier Susanna: vitam potius honoremque amittere voluit, quam peccatum committere.[46] Sic omnes Christi martyres fecerunt propter fidem et Evangelium Christi; nam et ipse Christus pro gloria Dei et salute nostra tum vitam tum honorem exposuit, prodegit, amisit patiens turpissimam mortem summa cum ignominia: *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.*[47]

Hoc nobis agendum est, si consequi beatitudinem cupimus.

Haec est via salutis, fratres mei: poenitentia, afflictio carnis cum humilitate spiritus, fugere vanitates mundi, crucifigere carnem *cum vitiis et concupiscentiis*[48] suis, fugere superbiam vitae, humiliari *sub potenti manu Dei.*[49] Haec, inquam, nobis agenda sunt, si consequi beatitudinem volumus; alioquin petere quidem poterimus, non tamen obtinere; desiderare, non tamen consequi. Moyses, post peccatum *ad aquas contradictionis,*[50] petiit a Domino gratiam ingrediendi in terram promissionis, sed minime obtinuit.[51] Ascendendum nobis est in Ierusalem per montem: *Oportuit pati Christum et ita intrare in gloriam suam;*[52] *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.*[53]

Si pro vana mundi gloria tantum laboramus, multo magis laborare debemus pro acquirenda aeterna gloria.

V. O fratres, qui sanitatis est cupidus gravi morbo laborans, quid agit, quid patitur ad eam consequendam? Nos autem consecuturi sumus aeternam immortalitatem, vitam perpetuam, sanitatem sempiternam, sed: *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* Pro sanitate acquirenda multae et amarissimae et diuturnae sumuntur potiones: *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* Et pro modica obtinenda a principe dignitate, dicas mihi, quae non agit homo? Quibus non mediis utitur? Ambitione stimulante, nullum non movet

46) Cf. Dn 13, 2 sqq. 47) Phil 2, 8. 48) Gal 5, 24. 49) 1 Petr 5-6.
50) Cf. Nm 20, 9-13. 51) Cf. Dt 3, 23-26. 52) Lc 24, 26. 53) Act 14, 21.

lapidem. Sumus natura ambitiosi, sed cur non veram gloriam verumque honorem ambimus? Apostoli isti non ambierunt gloriam regni Christi, nam iam audierant: *Cum sederit Filius hominis in sede maiestatis suae, sedebitis et vos super sedes duodecim iudicantes duodecim tribus Israel,* [54] sed ambierunt primatum huius gloriae, volentes esse primi et supremi principes regni ceteris omnibus antelati atque praepositi. Hoc naturale est desiderium velle superesse ad instar olei quod omnibus liquoribus supernatat.

Virtus etiam in hoc mundo felices nos reddit,

Sed, bone Deus, in omnibus volumus hanc ambitionem habere, praeterquam in virtute, in iustitia, in sanctitate, in gratia Dei, in caritate! O sancta ambitio, cur pectora nostra non imples? O felices qui sancta hac superbia pleni sunt! Hi enim etiam in hoc mundo vere felices et beati sunt, Deo enim etiam in hoc mundo per gratiam fruuntur. Sicut enim acus in pyxide et in parvulis horologiis solaribus, quae gestari solent ad cognoscendum quota sit hora diei, quoniam magnete attemperata est, nunquam quiescit nisi cum versus stellam polarem respicit, eo autem respiciens quiescit immobilis sive dies sit sive nox, sive in mari tranquillitas sit sive tempestas, sive navis in alto maris sit sive in portu, sic cor nostrum, quia veluti magnete attemperatum est desiderio verae beatitudinis, perfectae felicitatis, nunquam quiescit nisi cum fruitur Deo. Nam solus Deus est qui potest nos beatos efficere, solus Deus est finis noster beatificus: « Fecisti nos, Domine, ad te, et inquietum est cor nostrum donec requiescat in te ». [55]

quia in Deo quiescere nos facit qui solus finis noster beatificus est;

ideo soli iusti *beati* dicuntur, quia etiam in passionibus Deo per gratiam fruuntur.

Hinc in Divinis Scripturis soli iusti, qui Deo per gratiam fruuntur, *beati* dicuntur, et in tribulationibus positi: *Beati qui patiuntur persecutionem propter iustitiam.* [56] Et Christus etiam in passione crucis beatus fuit animo, nil minus ac nunc est in coelo. Nos autem conditi sumus ut Christo similes simus: *Quos praescivit et praedestinavit conformes fieri imagini Filii sui,* [57] ut simus nos quoque filii et heredes Dei, fratres et coheredes Christi per gratiam adoptionis. [58]

Sicut igitur Christus etiam in hoc mundo beatus fuit, ita nos quoque beati esse possumus, si velimus. Fuit autem Christus in hoc

54) Mt 19, 28. 55) S. Augustinus *Confessionum*, lib. 1, cp. 1, (P. L. 32, 661).
56) Mt 5, 10. Vulg.: *Qui persecutionem patiuntur*, etc. 57) Rom 8, 29. Vulg.: *Imaginis Filii sui.* 58) Cf. ibid. vr. 17.

Animi beatitudo non in mundana felicitate quaerenda est, quam hodie Christus Apostolis petentibus negavit;

mundo felix quidem et beatus, sed animo, non corpore. Ita animi felicitas in hoc mundo quaerenda nobis [est] spiritusque beatitudo, non carnis; carnis enim voluptas et mundana felicitas non vera felicitas est, non verum bonum est. Hinc [59] Christus, bonorum omnium perennis et copiosissimus fons, unde egreditur fluvius ad irrigandum paradisum, [60] negat hanc hodie Apostolis et dilectissimis discipulis suis, quam multis peccatoribus et infidelibus inimicis suis concedit. Neque negavit hoc eis Christus ex benevolentiae defectu, sicut Salomon negavit Abisag Adoniae fratri, [61] neque in peccati alicuius poenam, sicut Deus negavit Moysi gratiam quam petiit ille, ut in terram promissionis ingrederetur, non ex impotentia quod non posset mundanam hanc felicitatem eis concedere, sicut Salomoni concessit, [62] sed quia felicitas est vana non vera: *Vanitas vanitatum et omnia vanitas.* [63]

hanc enim nec pro se elegit, ut agnosceret mundus vanitatem temporalis felicitatis.

Hinc Christus nec pro se quidem, cum posset ad libitum, mundanam hanc felicitatem elegit, et Deus, qui Salomoni summam dedit felicitatem, Christo, qui eius dilectissimus Filius est, dare minime voluit. Cur, quaeso, et quam ob causam? Ut agnosceret mundus vanitatem temporalis felicitatis. Ideo Christus, qui seipsum in mundo ad suum libitum facere potuit ut magis libebat, vel divitem vel pauperem, vel dominum vel servum, vel beatum vel miserum, renuit mundi gloriam, nam quod altum est apud homines abominatio est apud Deum. [64]

Christus in hoc mundo gloriosus et felix apparere noluit, ut ostenderet mundanam felicitatem vanam esse et mendacem.

VI. O frater, tu, qui mundanam gloriam tantopere curas et quaeris, dic mihi, quaeso: Quid putas de Christo? Num forte quod non potuit felix esse et gloriosus mundo apparere, sicut in transfiguratione? [65] An ex ignorantia et insipientia putavit malum esse quod bonum est, accipiens pro auro aurichalcum et pro argento plumbum? Dicendum igitur quod noluit; nam si quis aliquid non agit, hoc est vel quia non potest vel quia nescit vel quia non vult. Christus potuit et novit, quia virtus et sapientia Dei est; [66] ergo noluit, iudicans mundanam felicitatem vanam esse, mendacem et fallacem.

Mundus vero est qui aliter sentit. Tu, o frater, quam vis sequi

59) Ms.: *Eam* adicitur. 60) Cf. Gn 2, 10. 61) Cf. 3 Rg 2, 17 sqq. 62) Cf. ibid. 3, 11-13; Eccle 2, 4-10. 63) Eccle 1, 2; 12, 8. 64) Cf. Lc 16, 15. 65) Cf. Mt 17, 1-5; Mc 9, 2-7; Lc 9, 28-35. 66) Cf. 1 Cor 1, 24.

Christum ergo non mundum sequi debemus, quia cum Christo etiam in hoc mundo paradiso fruemur.

sententiam ? Si magno pretio velles pretiosissimam emere margaritam, inventa autem una apud mercatorem aliquem, eam velles emere, quoniam optima tibi videtur et mercator optimam esse diceret, at superveniens aliquis amicus tuus amantissimus et earum dignoscendarum peritissimus dicat tibi : Vide ne feceris, quoniam margarita haec adulterina et falsa est, non vera, sed arte conficta ; dicas mihi : Cui magis crederes ? Mendaci et fallaci mercatori, an sapienti et veraci amico ? Nunc autem tu cui magis credis : Christo an mundo ? Cuius sententiam sequeris ? Si mundi sequaris sententiam, sub ficta felicitatis larva veram patieris infelicitatem perpetuumque infernum sustinebis etiam in hac vita ; sed si sequaris Christi sententiam, etiam in hoc mundo paradiso frueris.

Sed ut cum Christo hac felicitate donemur, mundum relinquere et temporalia bona contemnere debemus,

Quid igitur faciendum est ut in hoc mundo cum Christo animi felicitate donemur ? Ascendendum nobis est hodie cum Christo ; siquidem hodie Christus ab Iericho in Ierusalem ascendit, Iericho autem mundum istum designat. De Iericho scriptum est : *Habitatio terrae huius optima est . . . sed aquae pessimae sunt et terra sterilis,* [67] optima habitatio secundum apparentiam, sed pessima secundum existentiam ; et Iericho interpretatur l u n a, quae opposita est solis imago, sicut nox diei. Videtur luna luminosa, sed tantum superficietenus luminosa est, *et nunquam in eodem statu permanet,* [68] nunc enim crescit, nunc decrescit, et cum plena est, tum maxime a sole distans pati solet eclipsim luminisque deliquium. Sic est mundana felicitas. Ut igitur cum Christo mente beati simus, ascendendum nobis est ab Iericho, egrediendum ex Aegypto ; [69] si volumus coelesti manna cibari, in desertum nobis contendendum est ; [70] qui enim non diligit temporalia bona, ob haec nullum pati potest animi incommodum mentisque perturbationem. Temporalia enim bona spinae sunt, sicut Dominus ait in parabola seminatoris ; [71] spinae autem non pungunt si eas minime tangas nec manu stringas. Omnis autem animi perturbatio oritur ex amore et affectione ; amor mensura doloris est : [72] qui multum amat, multum timet et dolet ; qui parum amat, parum timet

quae causa sunt omnium perturbationum spiritus;

67) 4 Rg 2, 19. Vulg.: *Habitatio civitatis huius*, etc. 68) Iob 14, 2. 69) Cf. Ex 13, 17-18. 70) Cf. ibid. 16, 13 sqq. 71) Cf. Mt 13, 2-22; Mc 4, 3-19; Lc 8, 5-14.

72) Axioma philosophicum, de quo cf. S. Thomas *S. Theolog.*, 2.a 2ae, q. 28, a. 1. Amor mensura est doloris sicut et gaudii, quia ex amore gaudium et tristitia contrario modo procedunt.

aut dolet; qui vero nihil amat, nihil timet nihilque dolet. Si quis igitur nil mundum diligat, sed tantum Deum ac coelestia bona, is nullam unquam pateretur animi angustiam et tribulationem. Quare, sicut tinea oritur ex ipsomet panno et vermiculus ex ligno, sic ex nobis ipsis oritur omnis internae pacis perturbatio, quoniam amor passionum harum causa et origo est. Spernenda sunt igitur ex alto temporalia bona nihilque faciendum, sed ad coelestia obtinenda contendendum.

imo temporalia mala desiderare, quae si patienter ferantur, in coelesti patria merces sunt infiniti valoris.

VII. Alterum nobis faciendum est: ut temporalia mala pati desideremus potius quam abhorreamus. Hoc facit hodie Christus: *Ecce,* inquit, *ascendimus Ierosolymam et Filius hominis tradetur principibus sacerdotum... ad illudendum et flagellandum et crucifigendum.* Abiecit Christus temporalia bona et elegit temporalia mala, et haec multo libentius dat Deus electis suis, ut luce clarius in sacrosancto hodierno Evangelio constat. Petunt Apostoli hi duo a Christo temporalia bona, et ipse negat haec eis et promittit temporalia mala: *Calicem quidem meum bibetis.* Hoc autem quia infirmis et valetudinariis multo utiliores sunt amarae potiones quam dulce mel; mala etiam temporalia, si patienter ferantur, in coelesti patria apud Deum sunt infiniti valoris; bonorum enim omnium in coelo infinita est copia, malorum vero infinita inopia.

Ideo his tantum onustus Christus ad gloriam ingredi voluit, et haec libentius dat electis suis,

Hinc passiones in coelo sunt veluti merces infiniti pretii atque valoris, ideo Christus navim humanitatis suae passionibus tantum onustissimam duxit in coelum. Haec enim est sapientis mercatoris industria: res emere ubi vilissimo pretio venduntur et ubi maxima est abundantia, transferre vero et vendere ubi ob summam caritatem earum rerum carissimo pretio eas vendere possit ac sic ditari. Sic Christus mercator sapientissimus egit, et haec est causa cur electis suis adversitates et tribulationes libenter immittit, ut his thesauris eos in coelo ditissimos faciat.

quia vera felicitas non in rebus prosperis mundi huius, sed in adversis quaerenda est.

Si autem homo in mundo his delectetur, non poterit non felicissimus esse nullaque unquam poterit affici infelicitate, quoniam ea quae mundo solent tristitiam afferre, huic gaudium afferunt. Sicut autem sanitas in amaris potionibus, non in dulci melle et lacte quaerenda est, sic et felicitas vera animi non in prosperis, sed in adversis, non in bonis huius mundi, sed in malis quaerenda est. Quamvis enim

suapte natura felicitas in bonis consistat, non in malis, Deus quidem, ut ostendat quod non in bonis creatis, sed in bonis increatis, non mundanis, sed divinis consistit vera felicitas, efficit ut homo potius in malis huius mundi quam in bonis reperiat animi quietem, potius in paupertate quam in divitiis, in humilitate quam in dignitatibus, in poenitentia quam in voluptatibus. Haec autem privationes sunt temporalium bonorum.

Tandem, ut animi felicitate in hac vita potiri possimus, necesse est ut in omnibus conformemus voluntatem nostram cum voluntate Dei, ut una sit nostra cum divina voluntate. Sic enim nihil poterit nobis contra voluntatem nostram accidere, quoniam omnia a divina voluntate dependent.

et in conformitate voluntatis nostrae cum voluntate Dei.

II. ALIA HOMILIA

Accessit ad Iesum mater filiorum Zebedaei... adorans et petens aliquid ab eo... Dic ut sedeant hi duo filii mei unus ad dexteram, etc. [1]

I. Cum locutus fuisset Dominus de gloria regni sui et quod in eo multi novissimi erunt primi, [2] duo hi Apostoli filii Zebedaei, existimantes Christi regnum fore temporale et mundanum in terra, non aeternum et divinum in coelo ambientesque primatum, mittunt matrem ad Christum, ut pro ipsis ad Christum accederet ad gratiam istam impetrandam gloriae singularis et primatus honoris: *Ut sedeant... unus ad dexteram... et unus ad sinistram in regno tuo.* [3] Gloriam petunt temporalem, non aeternam, sicut filii Ruben et Gad petierunt a Moyse terram Galaad, non terram promissionis; [4] et sicut Adonias captus amore Abisag reginae petiit eam a Salomone per Bethsabee matrem ipsius Salomonis, [5] sic hodie isti a Christo mundanam gloriam petunt per matrem. Et Adonias quidem vere nescivit quid peteret, nam Abisag sibi causa mortis extitit; Salomon enim indignatus ob talem petitionem illum morte damnavit. [6] Sic Christus his hodie ait: *Nescitis quid petatis.* [7] Temporalis et mundana felicitas

Apostoli gloriam petunt temporalem, putantes Christi regnum temporale fore;

at temporalis felicitas causa est perditionis;

1) Mt 20, 20-21. 2) Cf. ibid. 19, 28-20, 1-16. 3) Ibid. 20, 21. 4) Cf. Nm 32, 1-5. 5) Cf. 3 Rg 2, 17-21. 6) Cf. ibid. vrr. 22-25. 7) Mt 20, 22.

utique [est] veluti illa Abisag pulcherrima mulier – pulcra res est oculis gloria huius mundi; – interpretatur autem p a t r i s m e i e r r o r, huius enim felicitatis et gloriae promissio : *Nequaquam ... moriemini ... eritis sicut dii scientes bonum et malum,* [8] decepit primos parentes nostros, et quia homo hanc Abisag concupivit, [9] illum Deus morte damnavit, [10] sicut Salomon Adoniam.

bona enim, in quibus videtur consistere, fallacia sunt et causa aeternorum malorum,

II. *Nescitis quid petatis :* latet sub melle venenum. Mundana felicitas in tribus bonorum generibus videtur consistere : in copia et affluentia delectabilium, honorabilium et utilium, voluptatum, dignitatum, facultatum, [in] deliciis, honoribus et divitiis. Sed : *Nescitis quid petatis.* Sub primo enim melle latet venenum luxuriae, quod infecit Davidem [11] et Salomonem ; [12] sub secundo venenum superbiae, quod infecit Adam in terra et angelum in coelo; [13] sub tertio latet venenum avaritiae, quod infecit et occidit Saul [14] et *est simulacrorum* et *idolorum servitus.* [15] Hinc merito Christus ait : *Nescitis quid petatis,* quoniam temporalia bona causa sunt aeternorum malorum, temporales voluptates aeternarum poenarum, temporales honores aeternae ignominiae, temporales divitiae aeternae paupertatis.

et etiam malorum temporalium, nam gula et luxuria infirmitates generant;

Sed praeter mala aeterna sunt etiam causa malorum temporalium, nam deliciae et voluptates trahunt hominem ad gulam atque luxuriam. Si his indulgeas, gula causa est mille infirmitatum replens corpus humoribus indigestis ; hinc podagrae, chiragrae, hinc mille infirmitatum genera ; luxuria autem causa potissima est brevitatis vitae, salacia enim animalia vitae brevissimae sunt. [16]

honores temporales laboribus et anxietatibus opprimunt;

Honores etiam temporales onera potius sunt quam honores ; hinc Hebraeis gloria dicitur כָּבוֹד, [16a] quod est g r a v i t a s. Nam si dominus est quispiam provinciae vel regni, necesse est ut statum vel bene gubernet et regat, vel male. Si bene, multa opus est cura, multa sollicitudine, multo labore ; hinc Moyses vehementer cum Deo conquestus fuit quod maximum pondus imposuerat super humeros eius. [17] Quare magna est infelicitas munus regendi populos ;

8) Gn 3, 4-5. 9) Ms.: *Concupiscit.* 10) Cf. Gn 3, 6-19. 11) Cf. 2 Rg 11, 1 sqq. 12) Cf. 3 Rg 11, 1-13. 13) Cf. Is 14, 5-15; Ez 28, 12-19. 14) Cf. 1 Rg 15, 1-9. 15) Eph 5, 5; Col 3, 5. 16) Cf. Aristoteles *De Longitudine et Brevitate Vitae*, cp. 5, t. 1, pag. 442. 16a) Ms.: כבד, *kabod.* 17) Cf. Nm 11, 11-15.

hinc, uti in libro *Iudicum* legimus in parabola Ioatham, neque oliva neque ficus neque vitis acceptare voluerunt regimen silvae lignorum.[18] Viri sapientes fugiunt renuuntque rerumpublicarum regimina et principatus; sic Moyses recusavit et restitit quantum potuit ne illum Deus principem populi constitueret.[19] Quod si male regat, ecce populorum tumultus, ecce clamores, odia, seditiones, insidiae; unde necesse est principem infeliciter vivere, semper cum timore, semper cum mille suspicionibus.

divitiae quoque magnum pondus sunt et tanquam spinae animum exulcerant.

Divitiae tandem magnum sunt pondus; sitis enim avaritiae inexplebilis est, sicut *ignis* qui *nunquam dicit: sufficit.*[20] Et divitiae quidem « magno acquiruntur cum labore, possidentur cum timore et amittuntur cum dolore ».[21] Dives, si multas divitias habeat, necesse est ut satagat eas conservare, vel etiam augere, alioquin divitiae in fumum abeunt, sicut aqua vitis, nisi vas summa sit cum diligentia obturatum. Sed si conservationi studet, ecce animi infelicitas, ecce curae et sollicitudines animum tanquam spinae pungentes et exulcerantes.

Mundana felicitas vanitas est.

III. *Nescitis quid petatis.* Mundana felicitas est ad instar picturae, quae a longe quidem pulcherrima videtur, sed a prope turpissima est, ut prioris pulcritudinis nihil discernas. Est sicut arundo foris aurea et intus vacua: *Vanitas vanitatum et omnia vanitas;*[22] *Filii hominum usquequo gravi corde?* עַד־מֶה כְבוֹדִי לִכְלִמָּה:[23] *Usquequo gloria mea contemptui?* בְּנֵי־אִישׁ:[24] *Filii viri hominis honorabilis et gloriosi, usquequo gloriam meam contemnetis, diligetis vanitatem, diligetis inane, quaeretis mendacium?*[25] Usquequo eligetis potius falsa numismata quam vera? larvam felicitatis quam veram felicitatem? *Nescitis quid petatis.*

ideo Christus dux noster fieri voluit ut viam verae felicitatis nobis ostenderet.

Auditis, auditis, fratres, quod Christus ait, quod qui temporalia bona quaerunt nesciant quid agant. O homo, si tu in bivio positus pergens in patriam tuam, viator ignorans quaenam viarum illarum

18) Cf. 9, 7-13. 19) Cf. Ex 3, 10-4, 1-13. 20) Prv 30, 16. 21) S. Prosperus *De Vita Contemplativa*, lib. 2, cp. 13, (P. L. 59, 457). 22) Eccle 1, 2; 12, 8. 23) Ms.: *Ad chebodi lichlimah.* Prout in Textu Hebraico habetur pericopen hanc transcripsimus; in ms. deest *mah.* 24) Ms.: *Beni isc.* 25) Ps 4, 3. Ex hebraico.

bona sit, sed videns alteram quidem viam latam et spatiosam floridamque, alteram vero arctam valdeque strictam et senticosam, tu profecto latam illam eligeres. Sed si vir optimus et fide dignissimus occurrens tibi dicat quod illa via bona non est, sed alia accipienda est diceretque : Veni mecum, ego quoque in eandem civitatem eo, tu utique illum sequereris, si vere velles in tuam patriam ire, et illi viro crederes, nisi forte putares illum deceptorem esse ac latronem quendam, qui in illam vellet te ducere, ut omnibus bonis tuis te spoliaret. O frater, igitur tu dicis quod vis salvari et dicis te credere Christo ; quomodo ergo non audis eum dicentem hodie : *Nescitis quid petatis?* quod via paradisi non est temporalis felicitas, sed poenitentia, non superbia, [26] avaritia, maxime cum ipsum Christum videas hac arcta via incedentem, non lata illa ? Putas Christum deceptorem atque latronem ?

Eum ergo sequi debemus, si salvari volumus.

Ah christiane, ah frater, quid igitur agis ? cur non audis ? cur non sequeris Christum ? cur non conformas voluntatem tuam cum voluntate Christi ? Mirum est hoc, quam diversa sit nostra voluntas a voluntate Christi. Non tam diversa est terra a coelo, luna eclipsata a sole, aqua frigidissima ab igne. O fratres, Christus voluit poenas, nos voluptates ; Christus humilitatem, nos superbiam mundi ; Christus paupertatem, nos divitias saeculi ; Christus dicit : *Nescitis quid petatis*, et nos id satagimus.

Parentes pro filiis petere debent non temporalia bona, sed spiritualia;

IV. *Accessit ad eum mater filiorum Zebedaei adorans et petens aliquid ab eo.* O parentes, nimium providi nimiumque solliciti ut filiis vestris temporalia bona thesaurizetis, cumuletis, relinquatis, qui haec illis summopere desideratis, procuratis, quaeritis, petitis etiam a Deo, satagite ut spiritualibus bonis principaliter filios vestros ditetis ; haec eis thesaurizate ; haec postulate eis a Christo ; haec prima sint studia, haec princeps cura. Bethsabee postulavit a David rege pro Salomone filio suo regnum Israelis et obtinuit. [27] Sic parentes a Deo pro filiis suis postulare debent regnum paradisi, hoc enim a Deo obtinere facillimum est, quamvis res maxima sit, summi et infiniti momenti atque valoris. Abraham a Deo vitam petiit pro Ismaele filio suo ; [28] parentes vitam aeternam pro filiis pe-

26) Ms.: *Sed* loco: *Non*. 27) Cf. 3 Rg 1, 15 sqq. 28) Cf. Gn 17, 18-20.

tant. *Quaerite*, quaerite, o parentes, filiis vestris *primum regnum Dei et iustitiam eius, et haec omnia adicientur*[29] eis; providete eis Deum, non mundum.

Bone Deus, quaenam haec nostra est infelicitas, ut parentes filiis nonnisi temporalia, terrena carnaliaque bona quaerant, quae causa sunt ruinarum perditionisque et damnationis animarum? Hi quidem filiis[30] provident artes, illi officia et dignitates, alii militiam, alii studia, alii ecclesiastica beneficia; nemo providet Deum regnumque coelorum. Quid, quaeso? Nunquid corpus tantum habent filii vestri, non animam? Carnem tantum, non spiritum? Pro temporali tantum vita nati sunt, non pro aeterna? Pro mundo, non pro Deo?

sed multi sunt qui sicut mater Apostolorum nonnisi terrena bona quaerunt.

Quaerit autem haec mater pro filiis tria: otium, dignitates primas et regales divitias: *Dic ut sedeant:* ecce primum, *unus ad dexteram . . . et unus ad sinistram:* ecce secundum, *in regno tuo:* ecce tertium, quoniam in his tribus videtur consistere humana felicitas: in voluptatibus, honoribus et dignitatibus. Sed: *Nescitis*, inquit, *quid petatis*. Cur, quaeso? Nunquid haec bona non sunt? Non sunt Dei dona, opera Dei? Nonne haec Salomoni Deus contulit?[31]

idest voluptates, honores, divitias.

V. *Nescitis quid petatis*, profecto quia felicitatis natura requirit cumulum omnium bonorum, ita ut, si unum desit, destruat universa. Est enim felicitas velut convivium lautissimum et regale: adsint epulae splendidissimae et pretiosissima vina, desit autem tantum sal, quod epularum omnium condimentum est, universa fastidio sunt et nauseam gignunt. Petit mater filiis convivium, sed sine sale sapientiae, ut Salomon;[32] ideo ait: *Nescitis quid petatis*. Est felicitas[33] veluti musicalis concentus: si qua desit vox aut discordet, unica illa dissonantia et defectus universam harmoniam dissolvit. Est sicut sanitas corporis, cuius si vel minima pars infirmetur, si unius dentis dolore afficiatur homo, de reliqua totius corporis sanitate nihil laetatur. Sic utique felicitas requirit universa bona; si unum desit reliqua nihil valent.

Vera felicitas requirit cumulum omnium bonorum; si unum desit, reliqua nihil valent.

Haec autem mater pro filiis quaerit bona tantum corporalia non

29) Mt 6, 33. 30) Ms.: *Filii*. 31) Cf. 3 Rg 3, 11-13; Eccle 2, 4-10.
32) Cf. 3 Rg 3, 5-9. 33) Ms.: *Sanitas* loco: *Felicitas*.

Stulte ergo terrena bona quaeruntur, quae potius vera mala dicenda sunt.

spiritualia, terrena non coelestia, mundana non divina. Si enim in hisce tantum bonis integra reperiretur felicitas, reges et principes mundi felicissimi essent, quoniam bonis hisce affluentissime abundant. Sed ad perturbandam homini mentem sufficit una tantum cogitatio vel minima suspicio, quae in principum domibus regnare quam maxime solet; semper enim cum magna suspicione vivunt ne veneno inficiantur, ne qua eis fiat proditio, ne thesauri diripiantur, ne bona et facultates eorum dilapidentur. Sic multis suspicionibus punguntur.

causa enim sunt multarum afflictionum, quae hominem vere infelicem reddunt.

Deinde, vitia animi infelicem hominem reddunt infernumque in humano pectore constituunt: avaritia, cupiditas inexplebilis famesque insatiabilis; ambitio, sitis inextinguibilis et ignis qui semper magis magisque accenditur; amor insanus mille sagittis acutissimis transfigit cor infelicis amantis; gula morborum origo, luxuria vitam abbreviat, invidia daemon est infernalis, ira ignis inferni semper urens et nunquam comburens. Una enim tantum animi passio Aman felicissimum principem ad summam infelicitatem perduxit, quod Mardochaeus eum non revereretur.[34] Hinc ergo ait: *Nescitis quid petatis*, quia bona tantum externa, non interna quaerebant. Homo autem *ad imaginem et similitudinem Dei*[35] conditus est; his igitur necesse est ut delectetur bonis quibus Deus; at Deus, cum spiritus sit, spiritualibus delectatur bonis; sic et homo.

Finis noster coelestis felicitas est, non terrena; in coelo ergo sicut Christus quaerenda est, et sicut Christus in tribulationibus beati erimus.

VI. *Nescitis quid petatis*. Petebant enim terrestrem potius paradisum quam coelestem, lutum praeferebant auro, lateres lapidibus pretiosis. Nos igitur, o fratres, cum ad imaginem Dei conditi simus Christo similes,[36] si una cum Christo volumus etiam in hac vita paradisum habere, necesse est ut non carnibus Aegypti delectemur, sed manna deserti;[37] necesse est ut Christum, qui in maximis etiam tribulationibus crucis et mortis beatus fuit, imitemur atque sequamur ascendentem ab Iericho in Ierusalem; ut thesaurus noster non sit in terra, sed in coelo, ubi nullae sunt tribulationes, nam: *Ubi... est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum;*[38] si igitur cor nostrum fuerit in coelo, beati semper erimus; ut sequamur Christum, qui

34) Cf. Est 3, 1-6; 5, 9-13. 35) Cf. Gn 1, 26-27; 5, 1; 9, 6. 36) Cf. S. Laurentius a Br. *Explanatio in Genesim*, pag. 198. 37) Cf. Nm 21, 5. 38) Mt 6, 21.

non bona mundi huius elegit, sed mala : *Ad illudendum et flagellandum, et crucifigendum,* [39] Christus enim passus est nobis relinquens exemplum ut sequamur vestigia eius ; [40] ut sequamur Christum, qui omnem felicitatem suam habuit intra se, non extra se, sic enim ait : *Regnum Dei intra vos est.* [41] Qui autem extra se quaerit felicitatem in bonis corporalibus, quaerit pisces in saltu piscari et feras venari in medio maris. [42] Felicitas nostra, o fratres, in cruce Christi quaerenda est, quoniam de cruce dixit Christus latroni : *Hodie mecum eris in paradiso ;* [43] crux enim *domus Dei est et porta coeli* [44] clavisque paradisi.

In cruce Christi beatitudo nostra consistit.

III. ALIA HOMILIA

Dic ut sedeant hi duo filii mei unus ad dexteram tuam et unus ad sinistram in regno tuo. Iesus autem dixit eis, etc. [1]

I. Mirabile dictu ! Hodie sol negat radios lucis coelestibus astris, mare aquas fluminibus, Christus negat Apostolis quod petunt. Apostoli hodie non reperiunt in sole lucem, in mari aquas, siccatum reperiunt mare divinae misericordiae. Christus quidem fons est omnium bonorum, naturae, gratiae et gloriae. Et hodie non tantum non concedit Apostolis gratiam quam quaerunt, sed etiam eos tanquam ignorantes redarguit : *Nescitis quid petatis,* [2] sicut Moyses redarguit Rubenitas et Gaditas petentes pro sua habitatione regionem Galaad extra terram promissionis, [3] et sicut Deus redarguit ipsum Moysen petentem ingressum terrae promissionis. [4] Quid hoc, quaeso, est: *Nescitis quid petatis ?* Abite, ignorantes ! Christus autem mare est aeneum in templo Domini [5] et mare magnum : *Congregationes ... aquarum appellavit maria,* [6] in Christo autem omnes gratiae Dei col-

Christus fons omnium bonorum non concedit Apostolis gratiam petitam, imo eos redarguit.

39) Ibid. 20, 19. 40) Cf. 1 Petr 2, 21. 41) Lc 17, 21. 42) Proverbium ex Plauto deductum:

« Iubeas una opera me piscari in aere,
Venari autem iaculo apros in medio mari ».

Asinaria, act. 1, sc. 1, vrr. 31-32. 43) Lc 23, 43. 44) Gn 28, 17.

1) Mt 20, 21. Vulg.: *Respondens autem Iesus dixit.* 2) Ibid. vr. 22. 3) Cf. Nm 32, 1-19. 4) Cf. Dt 3, 23-26. 5) Cf. 3 Rg 7, 23-26. 6) Gn 1, 10.

lectae sunt tum creatae tum increatae ; thesaurus est Christus omnium bonorum Dei.

quia mundana petebant, cum ipse docuerit coelestia quaerenda esse.

Sed mirabile etiam est quod in Apostolis Christi reperiretur ambitio saecularium dignitatum et mundanae potius gloriae desiderium quam divinae, cum Christus dictis et factis, fugiendo in montem cum eum facere voluerunt regem, [7] eos humilitatem et contemptum mundi docuerit. Hinc merito arguit eos, nec petita concedit : *Petitis et non accipitis, eo quod male petatis.* [8] Petendum enim est : *Sanctificetur nomen tuum, adveniat regnum tuum, fiat voluntas tua.* [9] Praeferunt hodie Apostoli hi felicitatem paradisi terrestris coelesti, praeferunt terram coelo, lunam soli, mundum Deo, ideo : *Nescitis quid petatis.*

Homo creatus est propter felicitatem, quae non in mundo, sed in coelo quaerenda est.

II. Certum est quod plantavit *Deus paradisum voluptatis a principio*, et propterea, statim ut formavit hominem, *tulit... eum et posuit in paradiso voluptatis*, [10] ut ostenderet quod propter felicitatem creatus est homo. Sed sicut ignoratur ubinam sit terrestris paradisus, ita ignorat mundus in quonam bono sita sit humana felicitas. Hodie Apostoli hi existimarunt sitam esse in voluptatibus, honoribus et divitiis ; ideo haec petunt a Christo. Sed Christus dicit falsam esse hanc eorum opinionem : *Nescitis quid petatis.* Omne autem bonum vel creatum est vel increatum, vel mundus vel Deus. Si humana felicitas non potest reperiri in mundo et creatis bonis, quaerenda igitur in Deo est. Hic est ascensus in Ierusalem, [11] hoc est : *Tertia die resurget.* [12] Quaerenda est felicitas in coelo non in terra, non in hac vita, in qua sumus in via, sed in futura vita, [in] qua erimus in patria, in coelesti Ierusalem non in Iericho.

Qui praemium virtutis in mundana felicitate quaerit stultus est et infelix.

Nescitis quid petatis. Pro sequacibus Christi in praemium virtutis non creavit Deus mundanam felicitatem in terra, sed divinam, aeternam in coelo. Si quis eligeret monetam falsam potius quam veram, nesciret quid ageret. Sic Christus ait : *Nescitis quid petatis.* Gloriam mundi quaerunt extra se qui non habent gloriam et consolationem Dei intra se. Hoc est quod designatur per parabolam lignorum volentium constituere regem super se. Renuit regiam po-

7) Cf. Io 6, 15. 8) Iac 4, 3. 9) Mt 6, 9-10. 10) Gn 2, 8. 15. Vulg.: *Et posuit eum*, etc. 11) Cf. Mt 20, 17. 12) Ibid. vr. 19.

testatem vitis, renuit ficus, renuit oliva; sed rhamnus acceptavit, arbor infructuosa et inutilis, nec tantum acceptavit, sed etiam tyrannice exercuit.[13] Qui thesaurum in agro absconditum[13a] invenit coelestis consolationis in corde, non quaerit externam consolationem, nec oblatum quidem regnum acceptat: *Nunquid possum deserere dulcedinem meam fructusque suavissimos ... ut inter ... ligna promovear?*[14] In regimine enim populorum magnus requiritur labor, magna vigilantia, sicut ad pascendas multas oves; ubi autem multus est labor, ibi nulla quies.

Statim ut audierunt Apostoli Christum dicentem: *Nescitis quid petatis*, quievere, nec amplius replicavere, profecto quia crediderunt Christo. Et Dominus in sacrosancto hodierno Evangelio ostendit quod dignitates et regimina non sunt quaerenda, quia ita disposuit Deus et ordinavit mundi rectores Ecclesiaeque pastores: *Sedere ... ad dexteram meam vel sinistram non est meum dare vobis, nisi quibus paratum est a Patre meo.*[15] Sicut bravia iudex non dat cui magis libet, sed ei qui in stadio praecurrens prior venit ad metam, et coronae victoribus dantur qui in agone legitime certarunt victoriamque de antigonista reportarunt,[16] sic ait: *Non est meum dare vobis, nisi quibus paratum est a Patre meo.* **Non petentibus, sed merentibus praemium datur.**

III. *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* et *baptismo, quo ego baptizor, baptizari?*[17] Quid, quaeso, est hoc? Apostoli quaerunt felicitatem, et Christus offert eis passionem, crucem suam. Ah, fratres, scitis quid est hoc? Passio via est felicitatis: *Oportuit pati Christum et ita intrare in gloriam suam.*[18] Sed adhuc ostendit Dominus quod animi nostri felicitas potius in malis huius mundi quam in bonis consistit, in passionibus quam in voluptatibus. Considerandum enim est quod sicut ad sensus satisfactionem non semper pretiosiora requiruntur – est libra auri pretiosior libra panis, sed ad satisfaciendum fami non aurum sed panis aptus est; pretiosius est oleum balsamumque quam aqua, sed ab bibendum melior est aqua quam oleum; lapis quiescit in terra, non in aere, quia, quamvis elementum aeris nobilius sit quam elementum terrae, lapis tamen **Felicitas animi nostri potius in malis quam in bonis huius mundi consistit, quia passio via est felicitatis.**

13) Cf. Idc 9, 7-15. 13a) Cf. Mt 13, 44. 14) Idc 9, 11. 15) Mt 20, 23. Vulg.: *Sed quibus paratum est*, etc. 16) Cf. 2 Tim 2, 5. 17) Mt 20, 22; Mc 10, 38. 18) Lc 24, 26.

suapte natura in terra quiescit, non in aere aut aqua; et piscis in aqua vivit, non in aere, avis autem [in] aere, non in aqua, – sic utique uniuscuiusque natura rei consideranda est, ut videamus quid ei convenientius sit. Non enim omnia omnibus conveniunt: equus delectatur herbis et leo carnibus ad comedendum; sic diversorum animalium diversus est cibus, quo unumquodque secundum suam naturam delectatur. Ad comedendum aptus est panis, non lapis, quamvis pretiosissimus, aut aurum optimum; ad bibendum vinum, non oleum, aqua dulcis fluminum et fontium, non salsa maris.

Deus solus verus est cibus animae, quae materialibus rebus saturari non potest.

Sic consideranda est hominis natura. Haec autem non tota corporalis est, sed princeps pars est spiritualis, anima *ad imaginem et similitudinem Dei* [19] condita. Quod si anima spiritualis est, quomodo corporalibus rebus unquam poterit saturari? Omnia mundi bona corporalia sunt, non igitur conformia gustui et appetitui animae, quae spiritualis et divina est. Anima suapte natura spiritualibus delectatur; Deus igitur solus cibus est animae. Nam cibus quidem intellectus est veritas, Deus autem summa est veritas; cibus voluntatis est bonitas, Deus vero summa et infinita est bonitas. Sic quicunque aliud quidpiam quaerit praeter Deum, nescit quid agat. Corporalia autem bona impedimento sunt animo quo per contemplationem et amorem perfruatur Deo, quae summa est animi felicitas. Merito igitur ait Christus: *Nescitis quid petatis*, et: *Potestis bibere calicem?* etc., quia in privatione temporalium bonorum reperitur Deus, qui solam et nudam quaerit animam in secreto, sicut sponsus sponsam sic quaerit: *Ducam eam in solitudinem et loquar ad cor eius,* [20] idest consolabor eam. Hoc est manna in deserto, in solitudine. [20a] Hinc Paulus praefert caelibatum castamque et virginalem continentiam matrimonio, quoniam caelibatus maiorem dat facultatem fruendi Deo in oratione et contemplatione divina, ut solum Deum pura mente et libero corde quaeramus, absque ulla sollicitudine saecularium rerum. [21] Anima enim nostra suapte natura veluti aquila est sursum volans in coelum ad contemplandum solem. Sed saecularia bona sunt veluti grave pondus ad eius pedes, qui sunt animi affectus, alligatum quo minus sursum volare nequaquam

Imo hae impedimento sunt quominus anima per contemplationem et amorem Deo perfruatur.

19) Gn 1, 26-27; 5, 1; 9, 6. 20) Os 2, 14. 20a) Cf. Ex 16, 13 sqq. 21) Cf. 1 Cor 7, 7-8, 32 sqq.

possit ut vellet : *Quis dabit mihi pennas sicut columbae, et volabo et requiescam ?* [22] Sed liberam necesse est esse avem ad volandum.

Bona totius mundi nihil sunt respectu aeternae felicitatis.

IV. *Nescitis quid petatis.* Magnum vobis videtur esse quod petitis, temporalem gloriam petentes, sed minimum quid est. Sicut si filius regis adhuc puer petet a patre ut mitteret eum gubernatorem alicuius civitatis, aut ducem cohortis centum militum in exercitu, magnum quid petere videretur, sed puerilis esset petitio meritoque diceret ei pater : Nescis quid petas ; sic Christus dicit : *Nescitis quid petatis,* quoniam gloria mundi respectu gloriae paradisi nihil est ; sicut unius civitatis principatus respectu totius imperii et monarchiae totius mundi est, et terra universa coelo comparata nihil est, minimum punctum, sic totus mundus respectu Dei : finiti ad infinitum nulla est proportio. [23] Mundus iste est sicut Laban, qui post multos labores promittit Iacob pulcram Rachelem, sed postea dat turpem Liam ; [24] promittit optatissimam felicitatem et non dat nisi veram infelicitatem.

nec possibile est terrenis consolationibus simul et coelestibus gaudere.

Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum ? Populum electum de Aegypto eductum Deus prius duxit ad amarissimas aquas Mara, deinde ad dulcissimas aquas Elim ; [25] et postquam defecit farina Aegypti, pluit eis manna de coelo ; [26] et cum transissent Iordanem, circumcidi eos voluit antequam daret eis possessionem terrae promissionis. [27] In Lege haliaeetus, avis marina quae simul volat per aera et natat in mari ad capiendos pisces, immunda est ; [28] sic apud Deum immundus est quicunque quaerit consolationes coelestes et mergi etiam in aquis carnalium consolationum. Arca Dei noluit in uno eodemque templo simul cum Dagone, idolo Philisthaeorum, manere. [29] Non potest homo simul respicere sursum et deorsum, ante et retro, ad dexteram et sinistram : *Nemo potest duobus dominis servire ;* [30] Deo et Pharaoni simul servire non potuerunt Hebraei ; *Non potestis Deo servire et mammonae ;* [31] non potest homo simul vivere spiritu et carne : *Non . . . videbit me homo et vivet* [32] secundum

22) Ps 54, 7. 23) Axioma philosophicum, de quo cf. S. Thomas *S. Theolog.*, 1ª, q. 12, a. 1, ad 2. 24) Cf. Gn 29, 6-30. 25) Cf. Ex 15, 22 sqq. 26) Cf. ibid. 16, 1 sqq. 27) Cf. Ios 5, 1-9. 28) Cf. Lv 11, 13. 29) Cf. 1 Rg 5, 2-5. 30) Mt 6, 24. 31) Ibid. 32) Ex 33, 20.

carnem. Moyses fuit quadraginta diebus cum Deo, sed non manducans neque bibens aut dormiens;[33] non vixit secundum carnem.

Hinc Christus arguit Apostolos terrena bona petentes.

Filii Israel, qui elegerunt sibi possessionem in Galaad et terra Amorrhaeorum, non habuerunt partem in terra promissionis,[34] et illi quidem cum terram illam in possessionem petierunt a Moyse, acri et gravi reprehensione correpti fuerunt, quamvis postea concesserit eis Moyses quod volebant videns obfirmatam eorum voluntatem.[35] Christus vero hodie et arguit hos discipulos et quod petunt minime concedit: *Nescitis quid petatis.* Sed quid est quod illis quidem conceditur postulatio, istis autem minime? Quoniam hoc est discrimen inter Vetus et Novum Testamentum: illis Deus dabat pro mercede bona terrena, corporalia, temporalia, illis mundana haec visibilia conferebat; hinc ex Aegypto eduxit onustos opibus Aegyptiorum;[36] per medium maris licuit eis ambulare in luto aquarum multarum,[37] sordidatis affectuum pedibus amore terrenarum rerum; licuit eis cum patre eorum altero pede claudicare.[38] Sed in Novo Testamento non dantur nisi bona spiritualia, coelestia, aeterna, divina. Discipulos voluit Christus nudos, ut, relictis omnibus, ipsum sequerentur,[38a] ut cum Christo vel iuxta vel supra mare ambularemus.[39]

quae quidem sub Veteri Testamento dabantur in praemium virtutis,

sed in Novo dantur coelestia.

Quamvis Christus fons sit gratiae et bonitatis et propensissimus ad postulata concedenda,

V. *Nescitis quid petatis.* Opus hoc Christi extraneum valde et nimis alienum videtur ab eo; in sole meridiano non reperire lucem, in igne maximo non reperire calorem. Sol negat lucem, ignis calorem, fons perennis flumen, mare prohibet aquas. Christus *sol* est, *pater luminum: Omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum;*[40] *Sol et scutum Dominus Deus, gratiam et gloriam dabit Dominus; non privabit bonis eos qui ambulant in innocentia; Domine virtutum, beatus homo qui sperat in te.*[41] Fons est qui irrigat universam terram,[42] flumen paradisi,[43] mare omnium bonorum, ignis maximus et sphaera ignis maior universo coelo, et hodie negat discipulis suis minimam quam maxima cum instantia et modestia petunt gratiam? In templo Dei iuxta

33) Cf. ibid. 34, 28. 34) Cf. Ios 13, 7-12. 35) Cf. Nm 32, 20 sqq. 36) Cf. Ex 12, 35-36; Ps 104, 37. 37) Cf. Ex 14, 22. 38) Cf. Gn 32, 31 sqq. 38a) Cf. Lc 14, 33. 39) Cf. Mt 4, 18; 14, 25; Mc 1, 16; 6, 48-49. 40) Iac 1, 17. 41) Ps 83 (hebr. 84), 12-13. 42) Cf. Gn 2, 6. 43) Cf. ibid. vr. 10.

altare incensi erat mensa panum propositionis,[44] ut insinuaretur quod gratia mox sequitur petitionem: *Aperi os tuum et implebo illud;*[45] *Postula a me et dabo tibi;*[46] *Petite et accipietis, quaerite et invenietis, pulsate et aperietur vobis.*[47] Sic ipse dixit mulieri samaritidi: *Tu forsitan petisses, et dedisset tibi aquam vivam.*[48] Regius Vates aiebat: *Cum invocarem exaudivit me Deus iustitiae meae, in tribulatione dilatasti mihi,*[49] cor et animum per magnam consolationem: quotiescunque invocavi te, Domine, exaudisti me; quotiescunque dixi te invocando: *Miserere mei et exaudi orationem meam.*[50] tu me audisti et exaudisti. Quid ergo est quod hodie Christus, fons omnis gratiae et bonitatis, negat aquas gratiae discipulis suis?

Sed non mirum si negat Dominus Apostolis quod petunt, nam etiam Deus Moysi negavit quod petiit. Duo enim legimus petiisse Moysen a Deo et minime obtinuisse. Petiit ut videret faciem et gloriam Dei[51] et ut ingrederetur terram promissionis, transito Iordane;[52] et primum Deus negavit dicens: *Faciem meam videre non poteris, non enim videbit me homo et vivet;*[53] ad secundum vero quod petiit: *Transibo... et videbo terram hanc optimam trans Iordanem,* Dominus iratus respondit: *Sufficit tibi, nequaquam ultra loquaris de hac re ad me.*[54] Quae enim impossibilia sunt vel contra divinam voluntatem petere non debemus, ut si quis peteret a Deo gratiam ut vivus in paradisum cum Elia igneo curru raperetur,[55] vel aliquid simile. Cum ergo aliquid impossibile petitur vel contra iustitiam, non exaudit Deus, licet quod petitur bonum videatur. Sed quod hodie petunt Apostoli nec impossibile videtur Christo, qui omnia potest, nec contra iustitiam aut rationem. Cur ergo negat Christus quod petunt?

negat tamen Apostolis gratiam quam petunt,

non quasi sit Christo impossibilis, vel contra iustitiam,

Sed utique impertinens esset si quis a sole vellet abstrahere radium et apud se servare ad illuminandum nocte domicilium suum; itemque si ab igne vellet flammam accipere et secum ferre quasi titionem ad sese domi calefaciendum; si a fonte requireret aquas salsas, si a flumine aquas sulphureas et minerales balneorum, si a

sed quia impertinens petitio est et insanus appetitus.

44) Cf. 3 Rg 7, 48. 45) Ps 80, 11. Vulg.: *Dilata os,* etc. 46) Ps 2, 8. 47) Io 16, 24; Mt 7, 7. 48) Io 4, 10. 49) Ps 4, 2. 50) Ibid. 51) Cf. Ex 33, 18. 52) Cf. Dt 3, 23-25. 53) Ex 33, 20. Vulg.: *Non poteris videre faciem meam,* etc. 54) Dt 3, 25-26. 55) Cf. 4 Rg 2, 11-12.

mari aquas dulces et potabiles fontium et fluminum. Vani essent et insani huiusmodi appetitus. Sic ait Christus: *Nescitis quid petatis.*

Bona enim huius mundi vana sunt et mendacia; at stultitia est pretiosa spernere et fallacia quaerere.

Hoc est quod Regius Vates in *Psalmo* illo subiungit: *Filii hominum, usquequo gravi corde? Ut quid diligitis vanitatem et quaeritis mendacium?* [56] Hebraice: *Filii viri.* Vir autem dicitur hebraice homo nobilis, illustris et gloria conspicuus: *Filii viri, usquequo gloria mea contemptui?* [57] Usquequo spernetis et contemnetis gloriam meam, *diligetis* inanem vanitatem, *inane* et vacuum, uti est arundo, *quaeretis mendacium?* Mundana bona Regius Vates appellat *vana, inania, mendacia* fallaciaque. Stultitia est verum aurum, argentum et lapides pretiosos spernere et adulterina eligere specie decepti. Picturae excellentes saepe decipiunt simplicium oculos; res enim verae non fictae apparent, sed fallaces sunt. Insipiens esset qui cupiens ducere uxorem, cum possit accipere virginem pulcherrimam, nobilissimam, ditissimam et optimis moribus ornatam, vellet accipere infamem meretricem, turpissimam et pauperrimam, eo quod videat eam pulcram habere larvam, et mendaci illa pulcritudine decipitur. Hinc Christus *fallaces divitias* appellavit. [58]

quod probatur etiam divino iudicio in ipso Christo.

Deinde Regius Vates a divino iudicio probavit mundana haec fallacia bona esse. *Scitote quoniam mirificavit Dominus sanctum suum, separavit Dominus sanctum suum.* [59] Christus est sanctus Dei; [60] separatum autem Christum videmus ab omnibus bonis huius mundi, divitiis, honoribus et voluptatibus. *Separavit,* inquit, quasi ab immunditiis, quoniam mundana haec immundam faciunt animam. Abraham separavit filium suum Isaac a filiis concubinarum, quibus munera dedit, sed extra domum suam, Isaac vero heredem totius domus instituit. [61]

Ut ergo oratio exaudiatur affectum ab omnibus terrenis bonis separatum habere oportet,

Si quis igitur affectum habeat separatum ab istis bonis, semper exauditur a Deo cum bona spiritualia petit ab eo. Hinc sequitur: *Dominus exaudiet me cum clamavero ad eum.* [62] Quod si vos quoque, inquit, exaudiri vultis, *irascimini,* sive *contremiscite et ne peccetis, dicite in cordibus vestris, super cubili vestro, et silete; sacrificate sacrificium iustitiae et sperate in Domino;* [63] nam in templo prius re-

56) 4, 3. 57) Ex hebraico. Cf. supra, hom. praec., pag. 569. 58) Mt 13, 22. 59) Ps 4, 4. Ex hebraico. 60) Cf. Mc 1, 24; Lc 1, 35; Io 10, 36. 61) Cf. Gn 25, 1-6. 62) Ps 4, 4. 63) Ibid. vrr. 5-6.

periebatur altare sacrificiorum quam incensi. [64] Quod si *multi dicunt : Quis ostendit nobis bona*, quae vere appetenda sunt ? respondet Regius Vates quod ipsemet Deus : *Signatum est*, sive *exaltatum est super nos lumen vultus tui, Domine*, [65] quod illuminat mentes sicut sol illuminat oculos; et sicut sol laetificat etiam oculos eosque pascit, cum lumen cibus sit oculorum, sic, inquit, *dedisti laetitiam in corde meo.* [66] Dicetis : *A fructu frumenti et vini ... multiplicati sunt*, magni facti sunt multi propter copiam divitiarum ; ad me, inquit, nihil spectat : *In pace in idipsum* simul *dormiam et requiescam, quoniam tu, Domine, singulariter in spe constituisti me.* [67] Sufficit, inquit, mihi solus Deus, temporalia bona nil curo, sicut qui dormit nil cogitat aut desiderat.

et soli Deo adhaerentem.

VI. *Nescitis quid petatis*, sicut Loth nesciens quod futurum erat, elegit regionem Pentapolis, quoniam sicut paradisus videbatur. [68] Si scivisset quod post paucos dies civitas Sodomae capienda ab hostibus erat et diripienda omnisque populus in captivitatem ducendus, [69] si scivisset quod non multo post igne de coelo comburenda erat Pentapolis universa, [70] non elegisset eam. Cras videbimus Pentapolim igne combustam, cum dives cruciabitur in flamma omni gloria privatus.[70a] Mundana ista felicitas videtur mihi sicut mulier illa in *Apocalypsi*, quae induta regalibus vestimentis, purpura, auro et lapidibus pretiosis, portabat in manu vas aureum plenum abominabili immunditia et equitabat *super bestiam coccineam ... habentem capita septem et cornua decem ;* mulier autem vocabatur *Babylon*, [71] quod est confusio, ubi primo regnari coeptum fuit. [72] Mundana felicitas, superbia, avaritia et luxuria confundit omnia, nonnisi confusio est ; equitat super bestiam : cui innititur gloria mundana nisi carni ? Quid caro haec nostra nisi bestia ? Habet *capita septem*, a sensu enim carnali oriuntur septem capitalia peccata, *et cornua decem*, vis impugnandi decem mandata Dei. Bestia haec caro est vitaque carnalis, *concupiscentia carnis ;* vestitus tanta cum pompa *superbia*

Mundana felicitas nonnisi vitiis innititur

et causa est peccatorum;

64) Cf. 3 Rg 7, 48. 65) Ps 4, 6-7. 66) Ibid. 67) Ibid. vrr. 8-10.
68) Cf. Gn 13, 10-12. 69) Cf. ibid. 14, 1-12. 70) Cf. ibid. 19, 12-25.
70a) Cf. Missale Rom., Feria Quinta Dom. Secundae Quadr. 71) 17, 3-5.
72) Cf. Gn 10, 10.

vitae; vas aureum *concupiscentia oculorum,* [73] copia opum. Plenum est vas istud omni immunditia abominabili: pecunia causa est omnium malorum; hinc furta et latrocinia, hinc luxuriae, hinc pompae, hinc crapulae, hinc omne malorum genus, quia *pecuniae obediunt omnia,* [74] pecunia regina rerum. [75]

Ideo Apostolorum petitio repulsam patitur a Christo, quia carnalis et ambitiosa.

Nescitis quid petatis. Repulsam patitur a Christo Apostolorum supplicatio, eo quod esset carnalis, terrena, ambitiosa et ignorantiae plena, veluti si paupercula mulier a filiis instigata ad Papam accederet postulans ut filios suos faceret Cardinales, nec tantum Cardinales, sed supremos Cardinales, ut alter esset Decanus, summus Poenitentiarius et Vicarius Papae; alter vero esset summus Inquisitor, Cancellarius, Camerlingus, caput Consultae et Datarius, ut ipsi soli universam Ecclesiam administrarent, alter quidem quoad spiritualia, alter vero quoad temporalia. Hoc est quod hodie piscatores hi desiderant

Honorem valde onerosum petebant Apostoli ignorantes quod qui praelaturam exercet multis virtutibus praeditum esse oportet;

VII. *Nescitis quid petatis.* Exaudit Christus non orationem, sed intentionem, sicut Salomon, etsi matris orationem non exaudivit, cum ad instantiam Adoniae petiit illa a rege Abisag reginam in uxorem ipsi Adoniae, [76] exaudivit tamen intentionem. Si sciretis, inquit, quod id quod petitis gravissimum potius onus est quam honos, minime peteretis. In libro *Iudicum* optima quaeque arbor, ficus, oliva, vitis, renuit principatum super ligna silvarum, ne bona sua amitteret, [77] sed rhamnus libenter acceptavit. [78] Apud Isaiam vir requisitus ut esset princeps, respondet: *Non sum medicus, et in domo mea non est panis neque vestimentum; nolite constituere me principem super vos.* [79] Principem enim oportet medicum esse animarum tum physicum tum chirurgum, ad vitia extirpanda et malis omnibus remedia pro viribus adhibenda; habere panem verbi Dei, ut sit pastor et doctor; habere multa vestimentorum mutatoria, ut divites solent et sicut de Naaman syro legimus, [80] habere virtutum exemplarium copiosam supellectilem, ut ostendat nunc mansuetudinem nunc severitatem, nunc se agnum nunc leonem, nunc vitulum nunc aquilam,

73) 1 Io 2, 16. 74) Eccle 10, 19. 75) Ex Horat. *Epist.*, lib. 1, epist. 6, vrr. 56-57. 76) Cf. 3 Rg 2, 19-22. 77) Ms.: *Amitterent.* 78) Cf. 9, 8-15. 79) 3, 7. 80) Cf. 4 Rg 5, 5.

ut erat sacrum illud animal apud Ezechielem.[81] Hinc Paulus Episcopum requirit virtutibus omnibus ornatum et vere sanctum, doctum et pium: *Oportet* enim *Episcopum,* etc.[82]

Sicut umbra fugit sequentem et fugientem sequitur, sic est honor. Coegit Deus renuentem Moysen ut principatum acceptaret,[83] et Christus hodie Apostolis hunc negat dicens dandum quibus a Deo paratum est, sicut Moyses non filiis suis reliquit principatum, sed Iosue iuxta divinam ordinationem.[84] Sicut autem amantissimus pater, si medicus sit, infirmo filio libentius dat amaram potionem quam dulcia pocula, quoniam haec filio possunt esse causa mortis, illa autem sanitatis, sic Christus electis suis in hoc mundo libentius dat mala temporalia, quae carnem affligunt, quam bona. Hinc hodie petentibus bona promittit mala: *Calicem... meum bibetis,*[85] et offert: *Potestis bibere calicem,* etc. Ubi ostendit quod felicitas potius consistit in calice amaro passionis quam in dulci consolationis, et quod in hoc mundo mala potius sunt desideranda quam bona, ne pereamus in sepulcris concupiscentiae,[86] quoniam in malis huius mundi Deus semper nobiscum est. Et sicut oculus plus videt ubi non est, quam ubi est, ita Deus plus consolatur in malis in quibus non est, quam in bonis in quibus est. Oculus non videt palpebras quibus clauditur, sic mundanae consolationes impediunt divinas. Qui desiderat mala mundi huius, nihil est quod ei possit afferre molestiam; beatus ergo erit. Haec ergo felicitas est: non bona, sed mala desiderare.

loco autem temporalis gloriae Christus eis proponit temporalia mala,

quia vera felicitas potius consistit in calice amaro passionis quam in dulci consolationis.

IV. ALIA HOMILIA

I. *Ecce ascendimus Ierosolymam,* etc.[1] In scala Iacob Angeli motus oppositos faciebant: hi enim sursum ascendebant ad Deum, illi vero deorsum descendebant in terram.[2] Sic in hodierno Evangelio videmus Christi et Apostolorum diversas cogitationes et opposita

Videmus in hodierno Evangelio opposita desideria et diversas cogitationes Christi et Apostolorum:

81) Cf. 10, 14. 82) 1 Tim 3, 2 sqq. 83) Cf. Ex 3, 10-4, 1-19. 84) Cf. Nm 27, 16 sqq.; Dt 31, 7-8. 85) Mt 20, 23. 86) Cf. Nm 11, 33 sqq.

1) Mt 20, 18. 2) Cf. Gn 28, 12-13.

desideria. Satagit autem Christus facere desideria Apostolorum suis similia. Prima pars hodierni Evangelii ostendit desideria Christi, secunda vero ostendit desideria Apostolorum. Quoad primum dicit: *Assumpsit* duodecim *discipulos* suos, [3] sicut Iacob duodecim filios synagogae patriarchas, [4] sicut Moyses duodecim principes et capita tribuum Israel, [5] sicut Aaron duodecim lapides pretiosos in *Rationali*, [6] sicut Iosue duodecim lapides de medio Iordanis [7] et duodecim vitulos maris aenei. [8] Hi sunt duodecim stellae in capite coelestis mulieris [9] et duodecim divini solis signa. *Assumpsit* autem ex Iericho ut duceret in Ierusalem; Iericho autem mundum hunc designat, qui *totus in maligno positus est*. [10]

Christus ascendit Ierosolymam mori desiderans, Apostoli, e contra, timebant et vivere cupiebant.

II. *Ecce ascendimus Ierosolymam.* Divus Marcus dicit quod Christus praecedebat Apostolos, ipsi autem *stupebant et sequentes timebant*. [11] Sed cur, quaeso, timebant? Quoniam ibat Christus Ierosolymam, ubi quaerebant eum Iudaei interficere; [12] hoc enim iter fuit postquam Dominus Lazarum suscitavit, quando iam determinaverant Iudaei ut Christum interficerent. [13] Ideo timebant Apostoli ne ipsi quoque interficerentur. Christus autem nil timet, sed intrepidus, imo cupidus mortis, hinc ex desiderio patiendi et moriendi accelerans iter, discipulos praecedebat. Illi vero stupebant, mirabantur hoc Christi desiderium animumque et sibi timebant. Christus cupiebat mori, Apostoli vero timebant mortem et vivere cupiebant. Hic enim naturalis est appetitus. Christus autem mortem desiderat, nec tantum mortem, sed etiam quaevis alia mundi mala: *Filius hominis tradetur principibus sacerdotum et scribis et condemnabunt eum morte ... ad illudendum et flagellandum et crucifigendum*. [14]

Nec tantum Christus mortem desiderat, sed et quaevis alia mundi mala;

In Christi passione omnia mundi mala concurrere. Mundi enim bona sunt deliciae, dignitates et divitiae; in Christi autem passione poenae acerbissimae, ignominiae et confusiones infinitae et paupertas extrema, nam nudus fuit crucifixus, bonis omnibus expoliatus. [15] Scala igitur per quam Christus ascendit Ierosolymam coelestem hos

haec enim scala fuerunt per quam in coelum ascendit.

3) Mt 20, 17. 4) Cf. Gn 35, 22-26; 49, 1-28. 5) Cf. Nm 1, 1-14. 6) Cf. Ex 39, 8-14. 7) Cf. Ios 4, 3-9. 8) Cf. 3 Rg 7, 44. 9) Cf. Apc 12, 1. 10) 1 Io 5, 19. 11) 10, 32. 12) Cf. Io 10, 31 sqq. 13) Cf. ibid. 11, 1-53. 14) Mt 20, 18-19. 15) Cf. ibid. 27, 35; Mc 15, 24; Lc 23, 34; Io 19, 23-24.

habet gradus: desiderium paupertatis, desiderium humilitatis et ignominiae, desiderium passionis et poenarum ac tandem desiderium mortis, quoniam bona his malis opposita Christus non in terra cupiebat, sed in coelo, non temporalia in mundo, sed aeterna in paradiso: *Et die tertia resurget.*[16] Haec est gloria Dei qui scalae innitebatur.[17]

Sed quod Apostoli mirabantur in Christo, in seipsis timebant et evitare desiderabant,

Apostoli autem stupebant haec quidem in Christo, sed in seipsis timebant, non cupiebant, sed fugere et evitare desiderabant. Sic saepe laudamus virtutes. opera et exempla Sanctorum, miramur vitam eorum, sed nonnisi secundum carnem vivere volumus. Stupebant Apostoli et timebant, nec tantum timebant, sed etiam desiderabant bona mundanis hisce malis opposita: *Ut sedeant..., unus ad dexteram... et unus ad sinistram in regno tuo.*[18] Tria desiderant: *sedere:* quietem, otium, voluptates; *dexteram et sinistram:* primatum honoris et dignitatum; *in regno tuo* possessionem divitiarum et facultatum. Timebant mori, ergo vivere cupiebant.

quia mundana quaerebant.

Sic dum Christi desideria et cogitationes ad coelum tendunt, Apostoli gloriam terrenam ambiunt.

Christi igitur cogitationes et desideria ascendebant sursum, Apostolorum vero descendebant deorsum. Christus est sicut sol oriens, Apostoli sicut luna occidens; Christus sicut ignis tendens sursum, Apostoli sicut aqua deorsum. Sunt oppositum toreumatis, sive imaginis in denario sculptae: Christus totus plenus devotione, Apostoli ambitione. Videtur hodie Christus totus incumbere et satagere ad curandum ambitionis morbum pestilentissimum, qui angelos in paradiso infecit[19] et homines in statu innocentiae;[20] quare ambitio serpens est venenatissimus, qui solo flatu et aspectu inficit veneno atque occidit, sicut basiliscus.[21] Hic ignis est alienus Nadab et Abiu sacerdotum filiorum Aaron, unde concitatus ira Deus igne eos consumpsit;[22] haec coma Absalom, qua suspensus in quercu occisus fuit,[23] nam ambitio in causa mortis illi fuit;[24] ob hanc item Adonias mortuus est[25] et ob hanc Core, Dathan et Abiron perierunt devorati a terra.[26]

Ab hac ambitione Christus eos curare satagit dictis et factis.

III. Conceperant hi duo Apostoli spem regni ex verbis Christi: *In regeneratione, cum sederit Filius hominis in sede maiestatis suae,*

16) Mt 20, 19. Vulg.: *Et tertia die resurget.* 17) Cf. Gn 28, 13. 18) Mt 20, 21. 19) Cf. Is 14, 12-15. 20) Cf. Gn 3, 4 sqq. 21) Cf. Plinius *Hist. Nat.*, lib. 8, cp. 21, pag. 84. 22) Cf. Lv 10, 1-2. 23) Cf. 2 Rg 18, 9-15. 24) Cf. ibid. 15, 1-10. 25) Cf. 3 Rg 1, 5-7; 2, 13-25. 26) Cf. Nm 16, 1-33,

sedebitis et vos, etc.[27] Videns autem Christus eos pestilentissimo hoc morbo et veneno infectos esse, ad eos curandos multa utitur diligentia : separat eos a turba, a populari tumultu, ut eos opportunius curare possit ; deinde tangit humorem piscantem, plagam occultam. Novit ipse peritissimus medicus latens virus. *Ecce ascendimus Ierosolymam*, etc. Ostendit Christus actis et dictis se non ambire nec quaerere mundi gloriam. Tactu autem hoc aperitur vulnus : *Accessit. . mater filiorum Zebedaei... adorans*, etc.[28] Christus autem, ut vulnus magis aperiatur : *Quid vis*,[29] inquit, faciam tibi ? At illa : *Dic ut sedeant*, etc. : ecce vulnus apertum et dilatatum : *Ut sedeant hi duo filii*, etc.

Ambitio est appetitus immoderatus honoris; artificiosissima est,

Haec est ambitionis natura, haec essentia : appetitus immoderatus honoris, maxime cum coniunctus est cum utilitate et voluptate ; tria enim hi ambiunt. Est autem ambitio similis caritati, de qua ait Apostolus quod *omnia credit, omnia suffert, omnia sperat, omnia sustinet.*[30] Sic ambitio implet cor magna fide et spe in principibus multaque sufferentia et sustinentia ut eis placeant; serviunt, sequuntur, adorant, frequentant curiam, fiunt curiales, nullum non movent lapidem, subornant et instigant amicos, quos aptos iudicant ad intercedendum et obtinendum.

impudens,

Cum autem cuiusvis peccati et vitii naturalis conditio sit pudor ob deformitatem, nam : *Qui male agit, odit lucem*[31] – hinc Adam post peccatum *abscondit se*[32] et Cain fugit *a facie Domini*,[33] – sola ambitio parum habet pudoris et frontis, sed ad instar turris Babel[34] sursum ascendit. Apud Marcum legimus quod ipsi Apostoli dixerunt Christo : *Magister, volumus ut quodcunque petierimus facias nobis.*[35]

temeraria,

Nec locum aut tempus opportunum servat, nam Christus erat in via, in itinere et loquebatur de mysterio passionis et resurrectionis. Ambitio autem interrumpit sermonem et Christum ex parte trahit. Quaenam haec importunitas ? Sic tractatur cum Summo Pontifice ? cum rege ? cum imperatore ? Sed ne praevenirentur timebant, ne Christus regni sui primatum aliis promitteret, propterea sunt sic

imprudens

importuni. Petunt et nullam causam petitionis assignant ad moven-

27) Mt 19, 28. 28) Ibid. 20, 20. 29) Ibid. vr. 21. 30) 1 Cor 13, 7. Vulg.: *Omnia suffert, omnia credit*, etc. 31) Io 3, 20. 32) Gn 3, 6-8. 33) Ibid. 4, 8-16. 34) Cf. ibid. 11, 4. 35) 10, 35.

dum Christum, ut solent oratores apud principes facere, quoniam simpliciter dignos se existimabant ac si deberetur eis de iure quod petebant.

et arrogans.

Cum autem rem maximam petant, primatum regni Christi, parum videtur eis esse quod petunt, ideo ait: *Adorans et petens aliquid.*[36] Sicut Bethsabee dixit Salomoni: *Rem unam parvulam ego peto a te,*[37] et tamen reginam petebat, sic inquit *aliquid,* quasi rem parvi momenti. Sicut enim homini in altissima turri constituto homines in platea, etiamsi gigantes essent, pygmaei viderentur, sic ambitiosis magna quaeque parva videntur suis meritis comparata.

Ad morbum hunc curandum Dominus prius causam detegit.

IV. Quoniam vero ex carnali affectu oritur omnis ambitio, hinc mater accedit et petit. Eva decepta a serpente desiderat vetitum fructum.[38] Dominus autem ostendit quod non tantum ab affectu carnali, qui nonnisi praesentem ac visibilem gloriam appetit, ortum habet, sed etiam ab ignorantia: *Nescitis quid petatis.*[39] Hoc autem Dominus inferius declarat dicens quod regnum ipsius non est sicut regnum mundi huius: *Principes gentium dominantur eorum et qui maiores sunt potestatem exercent in eos.*[40] Quoniam, inquit, scitis experientia docti quod principes mundi suo principatu, honore et dignitate potiuntur, dominantur gentibus suo arbitratu et pro libito exercent potestatem suam, ideo vos primatum regni mei desideratis, quoniam principatus videtur esse mundanae felicitatis sedes et thesaurus bonorum omnium desiderabilium. At, inquit, regnum meum non erit sic: *Non sic erit inter vos; sed qui voluerit inter vos maior fieri, erit vester minister, et qui voluerit... primus esse, erit vester servus, sicut Filius hominis,* etc.[41] Primatus, inquit, regni mei non est dominium, sed servitus, sed ministerium, opus laboriosum, sicut qui pastor est servus est ovium et gregum. Hoc est: In primatu regni mei non sunt quaerenda ea quae in mundano principatu quaeruntur, sed potius opposita; sicut ego non quaero in mundo divitias sed paupertatem, non delicias sed poenas, non dignitates sed humilitatem, non dominari sed servire, non vitam sed mortem,

Ambitio Apostolorum oriebatur ex falsa opinione quam habebant de natura regni Christi.

36) Mt 20, 20. 37) 3 Rg 2, 20. Vulg.: *Petitionem unam pavulam ego deprecor a te.*
38) Cf. Gn 3, 4-6. 39) Mt 20, 22. 40) Ibid. vr. 25. 41) Ibid. vrr. 26-28. Vulg.: *Non ita erit inter vos; sed quicunque voluerit . . . sit vester servus,* etc.

et de muneribus praesulum.

sicut *pastor bonus animam suam dat pro ovibus suis.* [42] Veni ut biberem calicem passionis, ut baptizer baptismo sanguinis mei. [43] *Potestis bibere calicem,* etc. Sicut, inquit, militum duces, qui exercitum ducunt contra inimicos, necesse est paratos esse ad certamina et ad mortem ipsam subeundam, sic omnes qui volunt ecclesiasticum primatum, necesse est ut parati sint animo ad labores, ad persecutiones, ad martyria etiam sustinenda pro gregibus.

Oriebatur etiam ex magna praesumptione,

V. *Possumus.* [44] Oritur etiam ambitio ex temeritate et praesumptione magna, sibi enim omnia posse promittunt; multa sibi pollicetur caro. Sed reluctante conscientia promittunt, nam timentes Christum sequebantur, timentes pericula mortis, etiam tamen paratos se dicunt mori cum Christo. Sicut Petrus dixit: *Tecum paratus,* etc., [45] sed postea facillime negavit; [46] ita Apostoli hi quoque fugerunt et Christum solum reliquerunt. [47] Sed forte non intellexerunt quid Dominus dixerit aut per calicem et baptismum intellexerit. Imprudenter ergo et non advertentes quid promitterent responderunt: *Possumus.* Veluti si princeps piscatori dicat petenti aliquid ab ipso: Potes tu facere quod ego facturus sum? et ille dicat: Possum, domine; imprudentissima esset responsio. Sic Apostoli imprudenter et temere responderunt: *Possumus.* Si piscator petatur: Potes facere quod facit pictor, sculptor, sutor, faber, doctor? dicet: Minime. At si petatur: Potes esse rector civitatis et provinciae? Possum, respondebit. O p o s s u m omnium causa malorum! Praelationem, quae «ars artium est», [47a] omnes possunt. Onus angelicis humeris formidandum possunt omnes. Gemunt sub mole gigantes, et pygmaei se posse praesumunt cum Atlante coelum humeris sustinere. [48] Viri sanctissimi Basilius, Chrysostomus, Augustinus, Ambrosius, Gregorius Magnus refugiebant onera, nunc autem nemo est qui non possit.

imprudenter enim promittebant, quia de se nimis praesumebant.

Oriebatur tandem ex ignorantia decretorum Dei,

Tandem oritur ambitio ex incredulitate divinae providentiae. Hanc causam tangit Christus: *Sedere autem ad dexteram . . . et sinistram non est meum dare . . . sed quibus paratum est a Patre meo.* [49]

42) Io 10, 11. Vulg.: *Bonus pastor,* etc. 43) Cf. Mc 10, 38. 44) Mt 20, 22; Mc 10, 39. 45) Lc 22, 33. 46) Cf. ibid. vrr. 54-60. 47) Cf. Mt 26, 56; Mc 14, 50-52. 47a) S. Gregorius M. *Regulae Past.*, liber 1, cp. 1, (P. L. 77, 14). 48) Cf. Hyginus *Fabulae,* fab. 150, pag. 36; Phurnutus *De Natura Deorum,* pag. 163. 49) Mt 20, 23. Vulg.: *Vel sinistram,* etc.

Sic Deus elegit Moysen, [50] Aaron, [51] Saul, [52] David, [53] Gedeon, [54] Samson, [55] et alios. [56] Deus est qui dat coronas et mitras quibus magis libet, *secundum consilium voluntatis suae.* [57] Nec potest quis fieri ex cuniculo leo. Novit Deus vias et modos exaltandi suos, sicut exaltavit Ioseph. [58] Quia igitur divinae providentiae rationes non cognoscimus, hinc ambimus honores et dignitates. Virga Moysi et Aaron sub divino propitiatorio posita fuit [59] cum urna mannae [60] et tabulis Legis, [61] quia Deus est qui dat vitam, iustitiam et potestatem regendi et gubernandi. Merito igitur ait Christus: *Nescitis quid petatis ;* istud enim *nescitis,* ista ignorantia causa est ambitionis praecipua, quia homo non cognoscit seipsum, propriam impotentiam, ignorantiam et indignitatem; non cognoscit quodnam verum sit bonum et quod fictum et vanum; non cognoscit mysteria divinae praedestinationis et providentiae. Hinc ambit, hinc accenditur ignis rhamni, qui significat ambitionem Abimelech, cui ambitio causa fuit infelicissimae mortis, [62] sicut et impio Aman. [63]

qui non pro ambitione sed pro meritis dat.

Nec tantum oritur ambitio ex ignorantia sed etiam ipsa, cum cor occupaverit, ipsum magis excaecat ut non intelligat divina mysteria, nam non intellexerunt Apostoli mysterium passionis Christi: *Erat enim cor eorum obcaecatum,* [64] *et non intelligebant quae dicebantur.* [65] Sicut autem Eliae, qui mortem desideravit et petiit, [66] Deus vitam dedit perpetuam usque in finem, [67] ita, e contra, iis qui bona mundi huius desiderant et petunt, mala immittit. Sic hodie ait his qui bona petunt: *Calicem ... meum bibetis.* Quod si Hebraeis in deserto petentibus carnem concessit, in malum eorum concessit. [68] Deus enim « multa negat propitius quae concedit iratus ». [69] Negat his Christus quod petunt, sicut pater negat vinum et aquam filio febricitanti. Felices ergo qui mala potius mundi huius desiderant quam bona. Haec est enim felicitas vera.

Haec autem ignorantia excaecat cor ut non intelligat divinae providentiae mysteria,

quae ex misericordia mala immittit iis qui bona mundi huius petunt.

50) Cf. Ex 3, 1-10. 51) Cf. ibid. 28, 1-3. 52) Cf. 1 Rg 9, 15-17. 53) Cf. ibid. 16, 1-13. 54) Cf. Idc 6, 11-16. 55) Cf. ibid. 13, 1-14. 56) Cf. Idc 4, 1 sqq.; Idt 8, 1 sqq.; Est 4, 1 sqq.; 1 Mach 2, 1 sqq. 57) Eph 1, 11. 58) Cf. Gn 41, 1-46.
59) Cf. Nm 17, 10; Hebr 9, 4. Cf. supra, Dominica Secunda Quadr., not. 69, pag. 462.
60) Cf. Ex 16, 33; Hebr 9, 4. 61) Cf. Ex 25, 16. 21; 40, 18; Dt 10, 5; 3 Rg 8, 7; Hebr 9, 4. 62) Cf. Idc 9, 1 sqq. 63) Cf. Est 5, 9 sqq.; 7, 8 sqq. 64) Mc 6, 52.
65) Lc 18, 34. 66) Cf. 3 Rg 19, 4. 67) Cf. 4 Rg 2, 11-12. 68) Cf. Nm 11, 32 sqq.
69) S. Augustinus *Sermo 355*, (P. L. 39, 1567).

INDEX

SYNTHETICO - ANALYTICUS

INDEX SYNTHETICO-ANALYTICUS
QUADRAGESIMALIS SECUNDI

DIES S. MATHIAE APOSTOLI

I. S. Mathias in duodecimum apostolum divinitus electus fuit. — II. Duodenarius numerus celeberrimus est in S. Scripturis. — III. S. Mathias figuratur duodecimo fundamento coelestis Ierusalem. — IV. In Epistola ponitur electio S. Mathiae divinitus facta, in Evangelio autem causa eiusdem electionis. — V. Causa electionis est merum beneplacitum divinae voluntatis. — VI. Causa reprobationis est mala voluntas humana. — VII. Ponuntur tamen qualitates electi et modus electionis. — VIII. Proponitur alius modus electionis, — IX. quo patet Mathiam electum fuisse tum ab hominibus tum a Deo . . . . Pag. 1-12

II. Alia homilia

I. Hodiernum Evangelium dogmaticum est, quia docet credenda, — II. est etiam paraeneticum, quia docet facienda . . . . Pag. 12-15

III. Alia homilia

I. Referuntur multa merita S. Mathiae, propter quae electus fuit in apostolum. — II. Nequit Ecclesia Christi esse sine veris Episcopis legitime ordinatis . . . . Pag. 15-16

DOMINICA SEXTA EPIPHANIAE

I. In hodierno Evangelio sub parabolis grani sinapis et fermenti Christus figuratur, — II. quia utraque mirabilem Christi virtutem et sapientiam significat, — III. eiusque humilitatem et caritatem. — IV. Docetur etiam alia esse studia virorum, alia mulierum. Praeter fermentum Christi est etiam fermentum diaboli . . . . Pag. 17-22

II. Alia homilia

I. Sub his parabolis ostendit Christus magnam virtutem verbi Dei et fidei. — II. Nullus fructus sperari potest a praedicatoribus qui ore tantum et non opere praedicant. Virtus divini verbi cum vitae sanctitate efficacissima est . . . . Pag. 22-24

DOMINICA SEPTUAGESIMAE

I. Deus semper operatur, ideo vult etiam hominem operari; hodie vero eum vocat ad duplicem laborem: ad malum vitandum et ad bonum faciendum. — II. Multa et magna mysteria sub hac parabola proponuntur, — III. praesertim magna merces voluntariae paupertatis. — IV. Haec parabola figurat Religionem seu statum perfectionis, ad quem omnes invitantur, tum pauperes tum divites. — V. Deus non censum sed affectum considerat, ideo multi ultima hora vocati in regno coelorum ceteris praeferuntur. — VI. Deus pro benignitate sua de beatitudine aeterna disponit, quia haec non operibus debetur sed gratiae. — VII. Hac parabola Christus docet Deum remunerare etiam solam bonam voluntatem; — VIII. docet etiam praedestinationem a dispositione divini consilii pendere. — IX. Deus magis respicit bonam voluntatem quam bona opera; — X. sed haec etiam requirit et his perseveranter incumbendum est, quia merces non datur nisi perseverantibus. — XI. Ipsum opus bonum, licet in voto tantum et non effectu, apud Deum multa meretur. — XII. Deus vult ut virtutibus operam demus, ideo multos vocat a saeculo ad Religionem . Pag. 25-42

II. Alia homilia

I. Homo semper operari debet sicut Deus semper operatur, — II. et semper ad perfectiora procedere. — III. Opera vitae activae duplicis generis sunt: alia quae spectant ad cultum Dei, alia ad proximi utilitatem. — IV. Homo operibus iustitiae incumbere debet, quae impossibilia non sunt. — V. Merces promissa infinita erit et absolute perfecta. — VI. Hodierna parabola summa est totius Evangelii . . . . Pag. 42-47

DOMINICA SEXAGESIMAE

I. Praedicatio divini verbi necessaria est ad spiritualem vitam instituendam. — II. Sub imagine seminatoris Christus figuratur, qui semen verbi in cordibus seminavit. — III. Verbum Dei tritico comparatur quod fecundissimum est, seminator designat etiam praedicatorem. — IV. Verbum Dei dicitur semen bonum et multis imaginibus in S. Scriptura designatur quia vere est thesaurus omnium bonorum. — V. Christus summus est praedicator, — VI. sed verbum eius fructum non affert ex malo corde hominis. — VII. Triplex causa sterilitatis huius seminis: ignorantia crassa, instabilitas cordis, cura superflua terrenorum. — VIII. Semen cadens in cor bonum semper optimos fructus affert . . . . Pag. 48-57

II. Alia homilia

I. Multa mysteria in hodierna parabola continentur. — II. Tria praecipue proponuntur: dignitas verbi Dei, difficultas et utilitas. — III. Semen figurat verbum Dei quo nil excellentius, sapientius et utilius. — IV. Deus non excaecat mentes, sed excaecari permittit ob nequitiam animi. — V. Utilitas verbi Dei infinita est, ideo multis imaginibus designatur, sed ut fructificet, in terra bona seminandum est. — VI. Hac parabola docet Christus paucos esse qui salvantur. — VII. Tria praecipue impedimenta salutis: primum incuria circa animae salutem; — VIII. secundum instabilitas mentis et voluntatis; — IX. tertium cura superflua terrenorum. — X. Qui a cura terrenorum liberi sunt facilius ad spiritualia diriguntur. — XI. Hac parabola Christus describit etiam triplicem statum fidelium in Ecclesia: imperfectorum, proficientium et perfectorum. — XII. Verbum Dei libenti animo audiendum est et executioni mandandum. — XIII. Semen cadens secus viam vecordes significat, quod supra petram instabiles, quod inter spinas vitiis infectos, — XIV. quod in terram bonam bene dispositos . . . . Pag. 58-73

DOMINICA QUINQUAGESIMAE

I. Tria mysteria proponuntur in hodierno Evangelio quibus Christus ostenditur verus homo, sanctus propheta et verus Deus. — II. Primum est iter Christi ab Iericho in Ierusalem, in quo consideranda sunt mysterium et historia. — III. Secundum est praedictio Christi de sua passione, morte et futura resurrectione, — IV. quas saepe praedixerat, ut significaret horum memoriam thesaurum infinitum esse omnium bonorum et voluntarie se ad passionem ire, — V. qua peccatum in deliciis commissum deleri oportebat. — VI. Tertium mysterium est illuminatio caeci, qua ostenditur Christi divinitas et magna virtus fidei. — VII. Caecitas ignorantiam divinorum significat, quae est causa perditionis . . . . Pag. 74-84

FERIA QUARTA CINERUM

I. Agit hodiernum Evangelium de ieiunio corporali et spirituali. — II. Duplicem thesaurum Christus hodie proponit: terrenum a quo revocat, et coelestem ad quem invitat. — III. Maxima dementia est aeternam vitam credere et bona terrena quaerere. — IV. Terrena bona nimia sollicitudine quaerenda non sunt, — V. sed incumbendum ut bona opera potius augeantur . . . Pag. 85-89

FERIA QUARTA CINERUM - II. Alia homilia

I. Fideles e mundo egredi oportet et virtutibus et poenitentiae operibus incumbere. — II. Christus dat hodie normam formamque ieiunii, ut sacrificium Deo dignum sit. — III. Vult autem ut omnis concupiscentia mala compescatur. — IV. Triplex concupiscentia fons et origo est omnium vitiorum, ideo destruenda est ut ieiunium sacrificium Deo gratum sit. — V. Opera bona, quae ex caritate non fiunt, nullam merentur gratiam; et hoc est discrimen inter iustos et hypocritas. — VI. Dura videtur sensui poenitentia, sed meditatione passionis Christi dulcescit . Pag. 89-94

FERIA QUARTA CINERUM - III. Alia homilia

I. Hodie mittit Deus praedicatores ad fugandas tenebras peccatorum et fideles poenitentia renovandos. — II. Hodie Christus docet thesaurizare non in terra sed in coelo, ieiunando tum ab escis tum a vitiis ex vera caritate. — III. Caritas quattuor virtutibus cardinalibus praedita esse debet. — IV. Sine his virtutibus caritas consistere nequit. — V. Docet etiam Christus ieiunium cum mentis humilitate et eleemosyna coniungendum; — VI. et avocat ab avaritia ostendens mala divitiarum. — VII. Virtutes christianae possibiles sunt, — VIII. pretiosissimae et nobilissimae et gratia Spiritus Sancti etiam faciles. — IX. Ad bene agendum Christus hodie nos impellit excitando timorem et spem, dolorem et gaudium; Ecclesia autem proponit hodie mortis memoriam ad extinguendam in nobis carnalem cupiditatem . . . . Pag. 95-108

IV. Alia homilia

I. Ut ieiunium sanctum sit, cum virtutibus theologicis et cardinalibus coniungi debet, sic enim erit scala coeli. — II. Primus gradus huius scalae est abstinere a cibo, quia abstinentia comprimit vitia, virtutes largitur, peccata redimit, tentationes diaboli vincit; — III. secundus, coniungere ieiunium cum vera iustitia interna et externa; — IV. tertius, ieiunare cum sancta hilaritate animi; — V. quartus, ieiunare cum vera fide soli Deo placere studendo; — VI. quintus, ieiunando ab amore divitiarum cor avertere; — VII. sextus, ad amorem coelestium animum excitare; — VIII. septimus, vera erga Deum caritate cor accendere. — IX. Absque his virtutibus ieiunium Deo gratum esse nequit . . . . Pag. 108-118

V. Alia homilia

I. Signa veri christiani sunt mortificatio carnis et spiritus et contemptus terrenorum. — II. Ut ieiunium salutare sit, ex vera caritate erga Deum fieri debet et cum recta intentione, — III. vacando bonis operibus et contra vitia pugnando. — IV. Duplex genus bonorum hodie Christus proponit: terrenorum et coelestium; illa contemnere docet, haec autem eligere. — V. Eleemosyna et oratio ieiunium Deo gratum reddunt. — VI. Stulti sunt qui terrenos thesauros quaerunt, coelestibus contemptis . . . . Pag. 118-126

VI. Alia homilia

I. Christus docet hodie ieiunium, quia necessarium est ad salutem. — II. Plurima beneficia ieiunium confert. — III. Cum ieiunio coniungenda sunt bona opera et vera fides, quia nil prodest externa sanctitas sine interna. — IV. Caritas erga Deum discipulis Christi facile reddit ieiunium. Pag. 126-131

FERIA QUINTA CINERUM

I. Ostenditur hodie mirabilis fides centurionis eiusque praemium. — II. Sanitas pueri centurionis magnum fuit miraculum, quo resplendet Christi benignitas et misericordia. — III. Sub hac sanatione multa mysteria meditanda proponuntur. — IV. Quattuor sunt naturae humanae status: innocentiae originalis, miseriae culpae, gratiae redemptionis et gloriae coeli. — V. Ad statum miseriae reparandum necessaria est gratia et fides Christi. — VI. Fides donum divinum est. — VII. Merito eam Christus in centurione miratur, quia auctrix est omnium bonorum, — VIII. cognoscere facit divina et humana, — IX. et omnia a Deo obtinere potest. — X. Ad salutem fides cum operibus caritatis coniungenda est. — XI. Hanc fidem diabolus maxime persequitur, sed hanc Christus a nobis exigit . . . . Pag. 132-147

II. Alia homilia

I. Mirabilis virtus fidei hodie ostenditur obiecto, subiecto, effectibus. — II. Omnes qui eadem fide centurionis praediti erunt, aeternum praemium consequentur; — III. sed ad hoc necesse est elongari a mundo, Deum orare, humiliari, poenitentiae et misericordiae operibus incumbere. — IV. Harum virtutum centurio exemplar absolutum fuit. — V. Praecipue vero exemplar est virtutum patrisfamilias. — VI. Fugiendum est peccatum, causa omnium malorum temporalium et aeternorum. — VII. Describit hodie Christus gloriam paradisi, poenas inferni, viam salutis ostendit et viam perditionis. — VIII. Sola fides non salvat nisi sit operosa et cum caritate coniuncta, sicut fides centurionis. — IX. Centurio iste contra christianos surget in die iudicii et fide sua eos condemnabit. — X. Tantopere centurio laudatur a Christo, quia, cum gentilis esset, secundum naturalem iustitiam vivebat . . . . Pag. 147-161

III. Alia homilia

I. In centurione evangelico proponitur typus christiani. — II. Ostenditur centurio hic multis naturalibus virtutibus praeditus, — III. sed specialiter maxima fide supernaturali, adeo ut ipse Christus eam miretur. — IV. Omnes centurioni huic similes esse oportet, — V. fides enim causa est omnium bonorum spiritualium . . . . Pag. 161-166

FERIA SEXTA CINERUM

I. Quia Deus totus caritas est, legem dedit amoris et caritatis plenam. — II. Semper caritatem erga inimicos Deus praecepit, falsa autem Pharisaeorum doctrina putabatur odium praecepisse. — III. Legem

Moysi imperfectam hodie Christus perficit. — IV. Inimicus diligendus est affectu et effectu, quia vere proximus noster et imago Dei. — V. Regulae dantur pro reconciliatione et remissione iniuriarum. — VI. Christus requirit veram caritatem, quae omnia odia superat et bona pro malis reddit. — VII. Quattuor rationes exponuntur quibus inimicus diligendus est. — VIII. Ex hodierno Evangelio sex aliae rationes afferuntur huius praecepti: *a*) quia inimicus proximus est ratione naturae; *b*) quia hoc est gravissimum praeceptum Christi; *c*) quia maxima praemia servatoribus promittuntur; *d*) quia fideles ethnicis meliores esse debent; *e*) quia filios patrem decet imitari qui inimicis benefacit; *f*) quia impossibile non est nec indignum . . . . . Pag. 166-182

II. Alia homilia

I. Christus hodie caritatem praecipit, quae est forma legis evangelicae et origo omnium virtutum. — II. Sex rationes adducuntur pro caritate erga inimicos. — III. Hinc apparet perfectio legis Christi supra legem Moysi, quae bona et sancta erat, sed multis imperfectionibus inquinata. — IV. Lex Christi perfectissima est in praeceptis, virtutibus et praemiis, in materia, forma et fine, — V. adeo ut nec ipsemet Deus perfectiorem statuere possit. — VI. Sub lege ergo sanctissima virtutes perfectissimae esse debent, praesertim caritas erga Deum et proximum . . Pag. 183-192

III. Alia homilia

I. Novem rationes afferuntur pro dilectione inimicorum. — II. Ex hac caritate multa bona oriuntur, ex odio autem multa mala. — III. Praeceptum hoc impossibile non est, imo facile et sacrificium Deo gratissimum. — IV. Veri inimici maximo odio prosequendi sunt: diabolus, mun dus et mala nostra voluntas. — V. Opera bona facienda sunt coram Deo ut illi soli placeamus, non coram mundo. — VI. Exemplo David docemur quid nobis agendum sit cum persecutione aliqua premimur, et quinque regulae tunc observandae exhibentur . . . . Pag. 193-205

SABBATUM POST CINERES

I. Tribulatio virtutem probat et gaudium parat, sicut cernitur in Beatissima Virgine. — II. Navis Salomonis figura est Beatissimae Virginis; — III. sicut enim navis illa facta fuit in litore orientali maris Rubri, sic Virgo formata fuit generatione naturali, sed conceptione immaculata, — IV. omni gratia repleta et omnibus virtutibus; — V. et tamen multis tribulationibus exagitata, sed tandem glorificata. — VI. Perfectissima fuit in omnibus virtutibus et potentiis animae, sed tribulationibus afflicta ut ditior fieret meritorum thesauris . . . . Pag. 206-213

II. Alia homilia

I. Navis haec evangelica Ecclesiam electorum significat fluctibus agitatam. — II. Deus tribulationes permittit ad salutem iustorum. — III. Triplex est tentationum genus, quae nos exagitant: carnis, mundi et satanae, contra quas maxima vigilantia opus est et magno labore . . Pag. 213-216

DOMINICA PRIMA QUADRAGESIMAE

I. Exhibetur hodie victoriosum certamen Christi cum diabolo. — II. Adam in paradiso a serpente tentatur et vincitur, Christus in deserto tentatur, sed diabolum vincit. — III. Tres victorias satanas de homine reportaverat, totidem Christus de satana reportat et triumphat, sicut Samson de Philisthaeis, David de gigante, Moyses de Pharaone. — IV. Variis nominibus appellatur daemon Christum tentans iuxta varios tentandi modos. — V. Prima tentatione quaerit ut Christus dubitet de paterna Dei erga ipsum providentia, de qua Christus triumphavit sapientissima responsione. — VI. Facil-

limum est in angustiis de divina providentia dubitare; Christus autem hanc fidem maxime studuit cordibus nostris inserere, nos esse filios Dei, et hanc satanas conatur evellere. — VII. Secunda tentatione quaerit ad oppositum Christum impellere, idest ad temerariam praesumptionem; sed Christus docet quod si sperandum in Deo sit, pariter etiam Deus timendus est. — VIII. Christus tentatur ut homo, ut in omnibus exemplar hominum esset. — IX. Tentatur dum orat et ieiunat, ut ostenderet multas esse tentationes in servitio Dei . . . . Pag. 217-229

II. Alia homilia

I. Ostendit hodiernum Evangelium certamen inter Christum et diabolum. — II. Multis nominibus appellatur in S. Scriptura diabolus, sed hodie tentator dicitur, quia eius ars est quaerere ut animas perdat. — III. Specialiter tentat membra Christi ubique et omnibus modis et astutissime. — IV. Tentat ut hominem ad peccatum inducat et perdat, — V. non cogendo voluntatem, sed sollicitando persuasionibus. — VI. Deus permittit nos tentari a satana ad virtutis exercitium, perfectionem et coronam . . . . Pag. 229-236

III. Alia homilia

I. Sicut diabolus Adam in paradiso tentavit invidens eius gloriae, sic tentat hodie Christum; sed Adam vinci potuit quia homo, non autem Christus quia Filius Dei. — II. Hodie proponitur Christus exemplar hominis christiani. — III. Christianus nobilissimus est *a*) origine, *b*) anima, *c*) forma, *d*) fine, *e*) gratia, *f*) divinis operibus. — IV. Ab hac maxima nobilitate conatur satanas hominem deicere per peccatum eum tentando de sollicitudine temporalium bonorum. — V. Finis tentationis est hominem ex filio Dei filium diaboli efficere. — VI. Christus ieiunio et oratione quadraginta dierum nos docet vitam ducere non secundum carnem sed secundum spiritum. — VII. Ut ab hac vita hominem avertat diabolus tentat etiam fallacis gloriae promissionibus, — VIII. quae tentatio potentissima est. — IX. Tentatio utilis est ad probandam et perficiendam virtutem. — X. Multis modis satanas tentat, occulte et manifeste . . . . Pag. 236-249

IV. Alia homilia

I. Proponuntur hodie pugna, victoria atque corona Christi, qui tentatur continuis quadraginta diebus omnibusque artibus. — II. Tres praecipue tentationes hodie referuntur: diffidentiae, praesumptionis et ambitionis. — III. Multis de causis satanas hominem tentat, et Deus permittit filios suos tentari ut coronam accipiant. — IV. Diabolo fortiter resistendum est. — V. Adam in paradiso victus fuit et genus humanum perdidit, Christus in deserto vicit et genus humanum salvavit. — VI. Tribus nominibus appellatur hodie daemon Christum tentans iuxta triplex tentationum genus. — VII. Tentatio timenda et fugienda est. — VIII. Praecipue diabolus tentat de sollicitudine temporalium rerum . . . . Pag. 249-255

FERIA SECUNDA DOMINICAE PRIMAE QUADRAGESIMAE

I. Terribilis est reo humani iudicii apparatus, sed terribilior valde erit reprobis apparatus divini iudicii. — II. Duobus generibus poenarum Deus peccata punit: temporali et aeterno, et de hoc agitur in hodierno Evangelio. — III. Multa signa praecedent divinum hoc iudicium. — IV. Certissimum est divinum iudicium, tempus vero incertum. — V. Iudex erit Christus, homo Deus, qui habet plenitudinem potestatis a Patre. — VI. Veniet cum maiestate ad iudicandum qui venit cum humilitate ad salvandum. — VII. Iudex dicitur hodie *Filius hominis*, *pastor* et *rex* ad designandam eius caritatem, scientiam et potestatem. — VIII. Veniet maxima gloria circumdatus, sicut eum vidit Ioannes in *Apocalypsi*, plenus etiam benignitate et iustitia. — IX. Ad hoc iudicium omnes convenient, facta universali resurrectione, sed oves, idest electi, separabuntur ab haedis, idest a

reprobis. — X. Ostendit hodie Dominus ad salutem non sufficere solam fidem, sed necessariam esse etiam caritatem et opera misericordiae. — XI. Ex hoc patet triplicem esse causam damnationis quam maxime timendae, quia post iudicium aeternum erit supplicium . . Pag. 256-273

II. Alia homilia

I. Maiestas Christi in divino iudicio revelata iam fuit Isaiae. — II. In fine mundi Deus maximam faciet bonitatis et iustitiae demonstrationem. — III. Poena erit duplex: privatio omnium bonorum et passio omnium malorum, specialiter ignis intensissimi. — IV. Multo plures erunt reprobi damnandi quam electi salvandi, et tamen terribile hoc iudicium non timetur. — V. Cavendum est a peccatis et operibus caritatis incumbendum . . . . Pag. 274-281

III. Alia homilia

I. Circa divinum iudicium finale considerandum est primum, persona iudicis, — II. secundum, convocatio iudicandorum eorumque discrimen, — III. tertium, sententia iudicis, in qua ostenditur principium, medium et finem praedestinationis et reprobationis. — IV. Omnes ad tribunal Christi congregabuntur, sed non omnes iudicabuntur. — V. Quattuor nominibus iudex appellatur: *Filius hominis, rex, pastor* et *frater noster*, ad significandas causas salutis et damnationis. — VI. Regius quoque Vates *Ps.* 49 et 96 describit iudicis maiestatem, iustorum exultationem et reproborum confusionem . . . . Pag. 281-292

FERIA TERTIA DOMINICAE PRIMAE QUADRAGESIMAE

I. Hodie Christus manifestando seipsum, qui suprema veritas est, satisfacit naturali hominis desiderio cognoscendi veritatem. — II. Tria sunt mirabilia in universo: Deus, mundus et homo, sed Christus in se tria haec complectitur. — III. Christus, cum Deus sit, imperfecte cognosci a nobis potest, sed cognitio haec, quamvis imperfecta, vera vita est. — IV. Ierusalem miratur videns Christum pauperem et tanquam regem acclamatum. — V. Talis Christus esse voluit ut ostenderet amorem divitiarum ad interitum, earum autem contemptum ad salutem ducere . . . Pag. 293-300

II. Alia homilia

I. Proponuntur hodie tria mirabilia: ingressus Christi, opus misericordiae et opus iustitiae. — II. Mirabilis ostenditur hodie Christus pauper et rex ingrediens civitatem et eam commovens, quia Deus est qui omnia commovit in nativitate et in morte sua. — III. Commovit enim mundum, synagogam, paradisum, commovet etiam animas fideles. — IV. Christus futurus erat rex, propheta et Salvator. — V. Mirabilis etiam ostenditur in operibus misericordiae sanans infirmos, iustitiae eiciens mercatores de templo. — VI. Eicit mercatores ut templum a pollutione purgaret et cultum Dei a cultu terrenorum, quae maxima sunt fomenta vitiorum et causa perditionis. — VII. Bona temporalia contra voluntatem et iustitiam diligenda non sunt, nam salvari nequit qui bona sua magis quam Deum et proximum diligit. — VIII. Hinc apparet quam difficile sit mercatores salvari. — IX. Non prohibetur mercaturae operam dare, sed mercatores prudentes et iustos esse oportet. — X. Commotio Ierusalem significat commotionem mundo a Christo allatam qui renovavit populos dans omnibus fidem et legem, cultum mutans illum de carnali in spiritualem, templum faciens illud vere domum orationis. — XI. Oratio necessaria est ad salutem, utilis, delectabilis et efficax . . . . Pag. 300-316

III. Alia homilia

I. Quem principes non noverant, noverunt turbae Christum verum prophetam. — II. In cognitione Christi invenitur vera quies animae, quia thesaurus est omnium bonorum Dei. — III. Sicut in *Canticis* quattuor praecipue commendantur de Deo: sapientia, potentia, caritas et bonitas, haec etiam de Christo praedicantur hodie. — IV. Haec ergo nobis cognoscenda sunt de Christo. — V. Gloriose ingrediens Ierusalem super asinam sedens Christus ostenditur dominus universi, rex potentissimus, sapientissimus, optimus et iustissimus. — VI. Ingreditur Ierusalem post resurrectionem Lazari, ut significet adventum suum gloriosissimum in finali iudicio revelans maiestatem, iustitiam et misericordiam. — VII. Habentur etiam hodie figurae electorum et reproborum et insinuantur causae electionis et reprobationis . . . . Pag. 317-326

IV. Alia homilia

I. De Deo quattuor praecipue cognoscenda sunt: bonitas, sapientia, sanctitas et potentia, sed primo cognoscendus est ut Salvator qui omnia bona confert. — II. Summa ergo ingratitudo et temeritas est peccatum. — III. Turbae Christum acclamantes figurabant populos Gentium ad fidem convertendos . . . . Pag. 326-329

FERIA QUARTA DOMINICAE PRIMAE QUADRAGESIMAE

I. Christus Pharisaeos arroganter signa petentes acriter arguit et repellit. — II. Synagoga reprobata fuit non ex defectu gratiae ex parte Dei, qui ad eam salvandam ipsum Filium suum misit, qui super omnes est. — III. Causa perditionis synagogae sua ipsius pravitas fuit, quae semper incredulitatis vitio laboravit. Christus miracula hodie negat, quia ad salutem necessaria non sunt. — IV. Sex causae incredulitatis Iudaeorum exponuntur, quibus synagoga reprobata fuit et eius loco Ecclesia Gentium electa. — V. Timendum nobis est ne iisdem causis in eandem ruinam incidamus. — VI. Conversio ad horam mortis differenda non est, quod esset a Deo petere miraculum non necessarium. — VII. Alia causa reprobationis synagogae fuit amor terrenorum qui mentem excaecat et causa fit omnium malorum. — VIII. Christus maiorem se dicit Salomone et Iona, quia maior est omnibus creaturis, rex simul et summus propheta. — IX. Talem praedicatorem poenitentiae Deus nobis misit, quia haec est nostra vera salus . . . . Pag. 330-345

II. Alia homilia

I. Christus ostendit hodie se esse maximum Prophetarum operatione miraculorum, — II. coelesti sapientia, revelatione arcanorum Dei et vitae sanctitate. — III. Si ergo talem vere credimus eum, imitari et audire debemus. — IV. Loquitur hodie Christus de duplici iudicio synagogae: in hoc saeculo et in futuro, et de duplici causa eiusdem reprobationis; — V. ex quattuor autem causis iustificat condemnationis sententiam. — VI. Caveamus ne in nobis quoque hae causae damnationis reperiantur. Pag. 345-352

III. Alia homilia

I. Voluntas humana est causa perditionis, voluntas autem divina est causa salutis. — II. Mala voluntas omnium malorum origo est et ad extremas ruinas perducit; — III. bona autem voluntas omnium bonorum et virtutum fons est. Cognoscere ergo oportet effectus pessimos malae voluntatis et optimos voluntatis bonae. — IV. Diversi sunt gradus malae voluntatis: pessima, peior et mala. — V. Ad salutem necessaria est bona voluntas quae Deum super omnia diligere studet, et cavendum maxime a mala voluntate . . . . Pag. 352-362

FERIA QUINTA DOMINICAE PRIMAE QUADRAGESIMAE

I. Hodie Christus venatorem agit animarum. — II. Christus fluvius divinus est qui a Patre exiens irrigat Ecclesiam triumphantem gloria et militantem gratia. — III. In mundum venit ut eiceret diabolum et venator esset peccatorum, pastor autem iustorum. — IV. Venator hodie ostenditur chananaeae. — V. Difficile virum vere fortem invenire, difficilius mulierem, tamen talis ostenditur hodie chananaea. — VI. Mulier haec exemplar est mulieris christianae. — VII. Gravissime peccant mulieres vanam pulcritudinem ostentantes. — VIII. Matres diligere debent filios secundum spiritum, pro eis orare, eas custodia vigilanti prosequi et in necessitatibus ad Deum recurrere. — IX. Christus chananaeam prius mortificat ut postea eam consoletur precibus eius exoratus. — X. Ad Christum accedendum est magna fide, quae mundum et diabolum vincit. — XI. Differt Deus audire preces nostras ad augendum fidei meritum et ut pretium gratiae agnoscamus. Pag. 363-377

II. Alia homilia

I. Christus chananaeam probat ad declarandam magnitudinem ipsius fidei. — II. Pro salute unius iter hodiernum aggressus est, ut ostenderet quod pro salute etiam unius animae passus fuisset. Mos Dei est prius humiliare et postea exaltare. — III. In tribulatione causata a peccato, hoc prius per poenitentiam auferendum est, — IV. et postea ad Deum cum fide accedendum et in oratione perseverandum. — V. Ostendit hodie Christus se venisse ad Gentiles convertendos. — VI. Per Christum ad Deum accedimus. — VII. Admirabilis processus gratiae in conversione animae ostenditur, sed semel accepta gratia servanda est bene vivendo. — VIII. Fictis repulsis Christus virtutem probat ut magis exaltet . . . . Pag. 377-385

III. Alia homilia

I. Egressus Christi et egressus chananaeae mysteria sunt. — II. Christus in mundum venit ad nos liberandos de potestate diaboli et ideo ad multa patiendum. — III. In occursu Christi et chananaeae ostenditur admirabile processus gratiae in conversione animae. — IV. Femineum sexum Deus valde honoravit in creatione mundi, sed multo magis in recreatione. — V. Mulier magnum Dei donum est homini factum; sed fieri potest etiam magnum malum. — VI. Chananaea exemplar est mulieris christianae, cuius conditio multis de causis melior est conditione viri. — VII. Iuvenes mulieres magis tentantur a satana, praesertim vanae pulcritudinis ostensione. — VIII. Bona terrena Deus multis afflictionibus sepivit ne boni pereant. — IX. Significat hodie Christus se non venisse ad delicias quaerendas, sed ad patiendum pro salute animarum, mutans iram in misericordiam. — X. Isaias vaticinatus fuerat destructionem, reaedificationem et conversionem Sidonis. Tyrus figura est mercatorum . . . . Pag. 385-397

FERIA SEXTA DOMINICAE PRIMAE QUADRAGESIMAE

I. Agitur in hodierno Evangelio de iustificatione animae per Sacramenta. — II. Piscina evangelica figura fuit Baptismi, et etiam legis mosaicae. — III. Ab origine mundi semper fuerunt sacramenta in Ecclesia, sed imperfecta, solus Christus instituit Sacramenta perfecta, qui est auctor iustificationis. — IV. In sola Ecclesia reperiuntur vera Sacramenta. — V. Septem piscinae leguntur in Sacra Scriptura, figurae septem Sacramentorum; hodierna Baptismum et Poenitentiam significat. — VI. Baptismum aufert peccatum, sed impeccabilitatem non confert, ideo praeter Baptismum necessaria est Poenitentia. — VII. Deus vult salutem nostram operari, sed requirit ex parte nostra bonam voluntatem. — VIII. Inexcusabiles ergo et ingrati sumus si tantam gratiam neglexerimus . . . . Pag. 398-409

II. Alia homilia

I. Mirabile exemplum caritatis dat hodie Christus erga Deum et proximum. — II. Magna erat caritas Christi erga Patrem, magna quoque ostenditur eius caritas erga proximum; talis autem caritatis exemplum dedit quia haec necessaria est ad salutem. — III. Piscina haec figura est cordis humani. — IV. Duo miracula referuntur hodie quibus figuratur duplex modus iustificationis, quae est magnum miraculum. — V. Unum tantum ex tot infirmis sanat Christus; significat autem paucos esse qui salvantur. — VI. Vere iustificati sunt qui a peccatis surgunt et virtutibus incumbunt. — VII. Peccata post iustificationem commissa graviora sunt, peccatum vero causa est omnium malorum, sicut cernitur in Adamo, a quo miserabili statu relevatur homo per gratiam Christi. — VIII. Iustificatio Dei donum est. Exponuntur causae, effectus et subiectum, circumstantiae et finis iustificationis. — IX. Deus vult et potest iustificare, imo vehementer desiderat, sed ut iustificatio sequatur requiritur cooperatio ex parte hominis. — X. Languidus evangelicus exemplar est hominis vere et sincere iustificationem volentis. — XI. Etiam in statu peccati potest homo aliqua bona facere et ad iustificationem se disponere . . . . Pag. 410-426

III. Alia homilia

I. Heri iustificata fuit mulier gentilis, figura Evae, hodie iustificatur homo iudaeus, figura Adae. — II. In Christo et in languido hodierno proponuntur hodie duo exemplaria virtutum. — III. Magna res est homo quia imago Dei, a diabolo quidem labefactata sed a Christo refecta. — IV. In languido cernuntur damna peccati et beneficium gratiae Christi. — V. Sicut Deus creaturarum ministerio mundum regit, sic Christus gratiam suam Sacramentis administrat . . . Pag. 426-431

SABBATUM POST DOMINICAM PRIMAM QUADRAGESIMAE

I. Sicut summus est amor parentum erga filios, talis etiam debet esse filiorum erga parentes, ideo Christus Matrem suam summe diligere et amare debuit. — II. Deus, qui Christum constituit super omnes creaturas, illi simillimam voluit etiam eius Matrem. — III. Maria simillima Christo fuit in praedestinatione, vocatione, iustificatione et gloria. — IV. Magnitudo gloriae Beatae Virginis aequat magnitudinem incomprehensibilem eius gratiae, qua ab omni prorsus peccato immunis fuit, — V. et omnibus virtutibus praedita praesertim caritate erga Deum, quem omni amore rationali, affectivo et sensuali ineffabiliter dilexit; ideo etiam gloria eius incomprehensibilis est, quae omnem paradisum illuminat. — VI. Tanta gloria Beata Virgo coronata fuit, quia gratiam acceptam fideliter custodivit. — VII. Christus vult ut Deum amemus, beneficiorum eius recordemur, illum cognoscamus, novissima nostra passionemque eius meditemur . . . . . . Pag. 432-442

II. Alia homilia

I. Gloria vestimentorum Christi figura est gloriae coelestis. — II. Multis imaginibus designatur in Scripturis gloria paradisi; hodie significatur hieroglyphico lucis Christi. — III. Immensitas et pulcritudo coelestis gloriae describi nequit. — IV. Consistit autem in absentia cuiusvis mali et in fruitione aeterni gaudii . . . . Pag. 443-446

III. Alia homilia

I. Hac gloriosa transfiguratione Christus ostendit imaginem gloriae futurae nostrae resurrectionis ad movendos animos. — II. Quattuor demonstrantur hodie: huius gloriae auctor, essentia, locus et tempus. — III. Moyses et Elias figurant glorificationem humanitatis nostrae in futura resurrectione. — IV. Ostenditur hodie Christus fons verae felicitatis eiusque caritas, qua mala nostra suscipere voluit. — V. Proponitur nobis consideranda gloria Christi ut Deum verum eum agnoscamus, gloria nostra ut illam speremus . . . . Pag. 446-451

DOMINICA SECUNDA QUADRAGESIMAE

I. Hodierna transfiguratio Christi figura et promissio est aeterni gaudii electorum. — II. Tanto splendidior Moyse Christus apparuit quanto illo maior et sua lex perfectior. — III. Mons excelsus transfigurationis imago est vitae christianae, ad quam Christus nos provocat visione gloriae, in qua omnia mysteria futurae gloriae nostrae proponuntur consideranda; — IV. designatur enim locus huius gloriae, plenitudo tum animae tum corporis, societas Beatorum, origo eorum iucunditatis, et summus honor. — V. Ad hanc gloriam assequendam Christi virtutes imitari oportet. — VI. Gloria paradisi ineffabilis est . . . . Pag. 452-464

II. Alia homilia

I. Ostendit hodie Dominus gloriam paradisi atque arduam viam virtutis ut eum sequamur. — II. Tres Apostolos duxit secum Dominus significans parvum esse numerum electorum et ut testes fierent gloriae paradisi. — III. Pro contemptu terrenorum maxima retributio dabitur etiam in hoc saeculo. — IV. Exemplo suo docet Christus tribulationes viam esse ad coelum. — V. Declaratur hodie Christi divinitas, de qua David vaticinatus fuerat. — VI. Gloria hodierna Christi figura est gloriae quam in mundo consecutus est post passionem suam. — VII. Ipsis actibus Christus hodie ostendit divinam virtutem suam. — VIII. Duplex est transfiguratio hominis: una per fidem in hac vita, altera per gloriam in futura . . . . Pag. 465-475

III. Alia homilia

I. Ostendit hodie Dominus gloriam regni sui, quae excedit omnem magnitudinem animi. — II. Sed multis laboribus eam consequi oportet. — III. Pulcritudo Dei incomparabilis est, sic eius gloria. — IV. Ostenditur nobis hodie divina Christi pulcritudo et infinita gloria, ut illius amore capiamur; sed maxima puritate opus est ad eam assequendam. — V. Declaratur hodie Christus Filius Dei, qui est principalis articulus fidei. — VI. Cum Christus Deus sit, ei obedire debemus; ideo eius gloria nobis ostenditur . . . . Pag. 476-485

FERIA SECUNDA DOMINICAE SECUNDAE QUADRAGESIMAE

I. Mortuus est qui destituitur fide, spe et caritate, quae vita sunt animae. — II. Christus causa est salutis omnibus in ipsum credentibus, quae autem de eo credenda sunt duodecim proponuntur ex hodierno Evangelio; — III. quae omnia ad tria capita reducuntur, singula tripartita. — IV. Haec fides de Christo salutis est initium, cui praemium aeternum promittitur dummodo sit cum operibus coniuncta. — V. Vaticinatur hodie Christus mortem suam, quam subiturus est sponte non coacte. — VI. Vaticinatur etiam Iudaeorum interitum, conversionem Gentium, suam et omnium in ipsum credentium in coelos ascensionem. — VII. Summa differentia est inter Christum et homines peccatores, qui nunquam in coelum ascendent quia fide et caritate destituti. — VIII. Iudaeis nomen eius petentibus Christus respondet sicut Deus Moysi, quia Christus etiam verus Deus est, primum ens, independens, infinitum, unum et purissimum, Verbum Dei per quod omnia creata sunt. — IX. Christus ergo auctor est omnium bonorum et rector mundi, quod ostendit omnibus miraculis patratis vivens et moriens. Non ergo timere debemus ne in eius servitio necessaria nobis deficiant. — X. Christus principium est creationis. Affertur duplex cabalistica interpretatio dictionis hebraicae libri *Genesis :* בְּרֵאשִׁית, — XI. quae mire concordat cum initio Evangelii D. Ioannis, Christus enim Deus aeternus et omnipotens est, qui vere mundum ex nihilo creavit. — XII. Mundus aeternus esse nequit. Christus est principium creationis etiam quatenus homo, quia mundus creatus fuit ob praevisa merita Christi . . . . Pag. 486-510

II. Alia homilia

I. Sicut sol differt a terra, sic Christus differt a mundo. — II. Ostendit hodie Christus quidnam sit peccatum, quod Deus maximo odio prosequitur. — III. Nil horribilius peccato, quod bonis omnibus hominem spoliat malisque omnibus tremendoque iudicio Dei et aeternae morti exponit. — IV. Contra venenum peccati antidotum fides est; et nil magis molitus est Deus quam peccati destructionem. Pag. 510-519

FERIA TERTIA DOMINICAE SECUNDAE QUADRAGESIMAE

I. Hodie Christus docet obedientiam praestandam praelatis Ecclesiae et principibus saecularibus. — II. Messias venturus erat ut magister esset scientiae salutaris, doctor iustitiae et propheta, et talem se hodie ostendit. — III. Obediendum est potestati tum saeculari tum ecclesiasticae, quia utraque a Deo constituta, et designatur per duas columnas templi Salomonis. — IV. Christus fundamentum est potestatis temporalis et spiritualis, sed haec nobilior est illa. Mundus gubernari nequit sine obedientia, ideo hanc hodie Christus praecipit. — V. Principes sapientia, prudentia et pietate praeditos esse oportet; qui autem tales non sunt, non imitandi sed audiendi sunt. — VI. Enarrat hodie Christus vitia principum, quae fugere debemus. — VII. Etiam malis principibus obediendum est, dummodo mala non praecipiant. Perfecta obedientia hominem iustum reddit et Deo gratissima est. — VIII. Confundi non debet cathedra cum personis, quia potestas sacerdotalis eadem est tam in bono quam in malo praelato et mirum non est sacerdotem peccare; potestas sacerdotalis a Deo instituta fuit . . . . Pag. 520-532

II. Alia homilia

I. Multa cum maiestate introducitur sacerdotium in Divinis Litteris. — II. Triplex reperitur sacerdotium: Melchisedech, Aaron, Christi, sed hoc longe nobilius est omnibus, quia eius sacrificium infiniti valoris est. Talis est etiam dignitas sacerdotalis in Ecclesia. — III. Moyses exemplar est sacerdotum, qui doctrina et exemplis viam salutis ostendere debent. — IV. Sacerdos mediator est inter Deum et hominem, ideo debet omnibus virtutibus fulgere et quotidie sanctior evadere. — V. Multis tentationibus diabolus sacerdotes impetit, habent tamen auxilium gratiae Dei qua valeant Ordinem sancte exequi. — VI. Sacerdotes iudices sunt animarum et magna sanctitas ab eis requiritur. — VII. Peccatum sacerdotis valde gravius est peccato cuiusque personae populi, imo totius populi. — VIII. Sacerdotium magnum beneficium est a Deo mundo collatum, eo magis quod non solis sanctis sed etiam peccatoribus conceditur. — IX. Christus hodie patrem et magistrum nostrum seipsum ostendit, qui vult Ecclesiam gubernare ministerio hominum. — X. Sacerdotes item positi sunt in Ecclesia ut magistri et patres populi christiani, ideo praediti esse debent scientia et caritate . . . . Pag. 532-546

III. Alia Homilia

I. Dat hodie Christus legem obedientiae, quia Ecclesia monarchia est quae sine obedientia regi nequit. Praelatum optimis qualitatibus praeditum esse oportet et in medio gregis residere. — II. Christus verus magister est omnium virtutum et quidem magister magistrorum. — III. Docet hodie viam salutis obedientiam esse, dummodo humilis sit, integra et discreta. — IV. Quo facilior evadat obedientia, magna dignitate superiores donavit, vult eos etiam virtutibus fulgere, et ipsemet exemplo suo obedientiam docet. — V. Praecipit tamen fugam vitiorum, si quae in superiore reperiantur. Haec obedientia scala coeli est habens multos gradus. — VI. Ostenditur Dei infinita bonitas qui talem magistrum perfectae iustitiae nobis dedit . . . . Pag. 546-554

FERIA QUARTA DOMINICAE SECUNDAE QUADRAGESIMAE

I. Hodie Christus indicat media, quibus veram beatitudinem consequi possimus. — II. Finis ultimus, ad quem homo creatus fuit, non reperitur in hoc mundo sed in futuro; hoc docuit Christus iam initio praedicationis suae, et hodie etiam declaratur. — III. Finis ultimus consistit in fruitione omnium bonorum internorum et externorum, media autem ad illum assequendum sunt passiones et tribulationes. — IV. His mediis ergo utendum est; ad hoc movet Christus ipse verbis et exemplis. — V. Non ergo in vana mundi gloria quaerenda est felicitas animi, sed in solo Deo, qui etiam in hoc mundo iustos beatificat. — VI. Christus exemplo suo ostendit mundanam felicitatem vanam et mendacem esse; ergo contemnenda est, — VII. imo ipsa temporalia mala desideranda, quibus onustus Christus ad gloriam ingredi voluit . . . . Pag. 555-567

II. Alia homilia

I. Apostoli felicitatem temporalem quaerunt, quam Christus illis negat, quia ipsa est causa perditionis — II. Bona enim, in quibus videtur consistere, fallacia sunt et causa aeternorum malorum. — III. Christus dux noster fieri voluit ut viam verae felicitatis ostenderet. — IV. Parentes pro filiis petere debent non temporalia bona sed spiritualia. — V. Stulte quaeritur mundana felicitas quae hominem vere infelicem reddit. — VI. Finis noster aeterna felicitas est, quam tribulationibus consequimur . . . . Pag. 567-573

III. Alia homilia

I. Christus Apostolos redarguit mundana quaerentes. — II. Felicitas hominis non in mundo sed in coelo quaerenda est, quae est merces virtutis. — III. Felicitatis via passio est. — IV. Bona terrena nihil sunt respectu aeternae felicitatis, hinc Christus arguit Apostolos illa petentes, — V. quia vana sunt et mendacia. — VI. Mundana felicitas nonnisi vitiis innititur et causa est peccatorum. — VII. Qui praelaturam exercet multis virtutibus praeditum esse oportet . . . Pag. 573-583

IV. Alia homilia

I. Videmus hodie opposita desideria Christi et Apostolorum. — II. Christus passionem et mortem desiderat, hi autem vivere cupiebant quia mundana quaerebant. — III. Ambitio est appetitus immoderatus honoris. — IV. Haec in Apostolis oriebatur ex falsa opinione quam habebant de regno Christi, — V. et ex magna praesumptione et ignorantia decretorum Dei . . . . Pag. 583-589

CORRIGENDA

Pag.	116	Linea	6	loco	mmundas — immundas
»	»	»	7	»	aeternun — aeternum
»	152	»	25	»	mensibu — mensibus
»	241	»	14	»	doptionis — adoptionis
»	300	»	27	»	multidudo — multitudo
»	337	»	1 (marg.)	»	desideria — desidia
»	344	»	4	»	ponitentiae — poenitèntiae
»	561	»	31	»	abqsue — absque
»	586	»	4	»	piscantem (ms.) — peccantem